De
515

De
515

De
515

Franc. Turrian de N.S.
Theolica et pastore eius.

De 515

FRANCISCI TVRRIANI SOCIETATIS IESV, DEFENSIO LOCORVM S. SCRIPTVRAE.

DE

ECCLESIA CATHOLICA, ET EIVS PASTORE EPISCOPO Romano, B. Petri, principis Apostolorum successore, libri duo.

Aduersus nugatorias cauillationes Antonij Sadeelis Lutherani.

Pro loco ad fr̃s Pr Dñj Dñj

Wartenburg nord: gratia Cromerj Conc Warm

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Anno cIↃ. IↃ. LXXX.
Cum priuilegio sacræ Cæsareæ Maiestatis.

EX LIBRIS
Nr

BIBLIOTHECA
LYCÆI REGII
HOSIANI

ILLVSTRISSIMO

ET POTENTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, D. VVILHELMO LANDGRAVIO HASSIAE, COMITI IN KATZENELNBOGEN, DIETZ, ZIGENHAIM, & Nidda &c. Domino Clementissimo.

TSI Celsitudo V. cum libros meos, quibus ad Capita Lypsicæ disputationis Andreæ Freyhubij Lutherani nuper respondi, ad Antonium Sadeelem misit, non iussit ei vt responderet, vt ex epistola ipsius ad Cels. V. quam libello suo adiunxit, perspici potest, intellexit tamē homo gloriæ cupidus, quod Cels. V. futurum esset gratum. Itaq; præsentiens γνῆσιν ϕ ἀκοῆς, id est, pruritum auriū Cels. V. libris meis respondendo se ipse sectæ suæ patronū, & Celsit. V. magistrū libenter, & sponte adoptauit. Ego vero pati nō potui, neq; debui, vt ille data sibi occasione respondendi libris meis, tanquā ἅρμαιον nactus, Celsitudinem V. & populos ei subiectos libro eidem inscripto decip ret. Immo quia, sicut apost. ad Tim. scripsit, profana vaniloquia multum proficiunt ad impietatem, ne sermo istius, vt Çancer serperet, nō putaui differendum esse responsum. Sed rursus, quia ad singula respondere volui, & ne minutula quidem præterire, contra quam iste fecit, qui semper quæ grauiora sunt, & quæ magis premūt, quia in eis nullam cauillatiunculam inuenire potuit, astutè dissimulauit, vt à me locis suis notatum est, non potui tam breui, quam & optabam, & opus erat, ad omnia respōdere. Idcirco ex xii. locis scripturæ sanctæ, quos Antonius ex duobus libris meis, vt sectam suam defenderet, ad eludendum, potiusquam ad refellendum elegit, tres primos locos à cauillationibus, quibus eos tentauit, hoc priore libro defendo, mox reliquos altero libro proximo defensurus. Ex his tribus locis in primo, qui est, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, sudat Antonius laborans, quomodo defendat, Ecclesiam Catholicam esse inuisibilem Ecclesiam electorū. Sic enim existimat Antonius iste se & omnes Protestantes in tuto esse, quamuis ab Ecclesia Catholica, quæ per vniuersum orbem diffusa cernitur, facti sint Anathema, & ab ea in communionem, & pacem non recipiantur. In hoc primo loco sola recitatione & quidem mutilata,

quatuor locorum scripturæ, sine vlla interpretationis probatione aut ratione, aut testimonio vllo dicit probari Ecclesiam Catholicam esse Ecclesiam inuisibilem electorum. Ego vero contra, ex eisdem ipsis quatuor locis ab isto curtè recitatis, collatis alijs locis scripturæ sanctæ, & testimonijs antiquorum patrũ adhibitis, ita perspicue Ecclesiam Catholicam visibilem esse demõstro, vt nullius cauillationis perfugium ei reliquerim. In secũdo loco, qui est, Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. laborat idem Antonius, quomodo cauillando tueri videatur, nõ pertinere hunc locum ad primatum Petri, nec ad successionem pontificum Romanorũ in Cathedra Petri. Sic enim putat iste bonus patronus, non esse iudicandum se cum clientibus suis ab eo, qui claues regni cælorum Petro dedit, si primatum eius in successoribus neget. Tertius locus est, quod dictum est Petro in Euangelio Ioannis, Pasce oues meas. In quo omnibus machinis cauillationum studet Antonius limites, regiones, & cõfinia ouilis Petri determinare; ei rei finitor factus ipse, vt ille in Pœnulo Plauti, signatores facit Protestãtes. Sic etiam autumat se cum suis Protestantibus non esse oues Petri, nec ad eius pascua pertinere, nec ad eius pedum, quod iste in sceptrum iam conuersum esse calumniatur. Quod vero ego cauillationes Antonij voco, non postulo, vt mihi Cels. V. credat, nullus. n. idoneus testis in re sua intelligitur, dixit Pomponius Iuris consultus. Sed par itidem & æquum est, vt nec Antonio credat, cum rationes meas ex locis scripturæ, quos eludere conatus est, concluſas, Sophismata Turriani appellat. Quin potius conferat Cels. V. causam cum causa, rem cum re, rationes cum rationibus, argumenta cum argumentis, testes cum testibus, & cũ hoc fecerit, iudicet de nostris libris, & nominib⁹ cauillationum, & sophismatum. Dicet fortasse Cels. V. non sum Theologus, vt de his iudicem; non me exercui in scripturis sanctis. Concedamus id, nec enim hoc dico necesse esse, scio quod Apost. ad Corinthios scripsit, nõ in omnibus est scientia. Nec arguet Dominus Cels. V. quia non didicit litteras sacras, non enim postulat studium huius scientiæ gubernatio ciuilis populorum vestrorum, quæ sine hac exercitatione & peritia, quæ in Celsitudine V. non ex officio muneris, sed ex studio tantum scientiæ laudem haberet, regere, & custodire eos potest. Illud tamen cauendum est, ne ille, de quo scriptum est in psalmo, qui finxit sigillatim corda eorũ, qui intelligit omnia opera eorum, conscientiã Cels. V. conueniat, & dicat quod illis in Euangelio Lucæ dixit, Quid autem et quod iustũ est, à vobis ipsis nõ iudicatis? si qui enim ad ciuitates Cels. V. & ad earum vicinitates, & oppida venirẽt, & noua iura finium regundorum, & noua iussa populis de regionibus, limitibus, & confiniis describerent, quibus Cels. V. non mandasset, an non continuo & quidem iuste, ac merito diceret, quid in meo agitis?

agitis? quo iure syluam meam cæditis? limites meos cõmouetis? quid hic in alieno seminatis, & pascitis? olim possideo; habeo origines firmas: ipsis auctoribus, quorum fuit res, hæres sum. Haud dubio sic Celſ. V. in re sua ageret. Quod quidem satis documẽto est, quomodo in re Christi agere debeat, vt ex se ipso secundum Euangelium, id est, exemplo de se & re sua sumpto, quod iustũ est in causa Christi iudicet. Venit Martinꝰ Lutherus parentũ vestrorũ temporibus, quod Celſ. V. ignorare nõ potest, qui nouus veluti metator, & finitor dogmatũ, nouas regiones, & limites descripsit præter iura & iussa Ecclesiæ Catholicæ, & omnium Ecclesiarum, quæ in Germania erant; communis enim res erat ex testamento Christi religio, fides, Ecclesia. Cõmuni diuidundo, & familiæ erciscundæ iudicium sibi vsurpauit Lutherus idem actor, qui contra Ecclesiam ad iudicium prouocauit, vnde nomen dedit Protestantibus; idem iudex & prætor adiudicationes, aut exceptiones dando. Hic autem si quod damni datum, factumq; est ab isto cõmuni matri Ecclesiæ, & filijs eius patribus vestris, à parentibus, vt leuissimè dicam, dissimulatum est, ne continuo existimet Celſ. V. non pertinere amplius ad se iudicium bonæ fidei, non ita est. Non enim est possessio caduca res fidei. Non silebit in die iudicij illa increpatio horribilis, & pertimescenda accusatio, quid autem & quod iustum est à vobis ipsis non iudicastis? non est mea Illustriſſ. D. hæc à iurisconsultis translata ad nostram causam actionis forma, nec enim prudentiã iuris mihi vendico; Doctissimi & antiquissimi auctoris Tertulliani est, qui & in scripturis sanctis eruditissimꝰ fuit, & in iuris ciuilis cognitione, & omnibus doctrinis apprimè exercitatus, qui veteres hæreticos Valentinum, Marcionem, Apellem, & alios, & in eis etiam nostræ ætatis hæreticos ita fatigat, & tanta vi in eos fertur, vt cum eius impetum sustinere nullo modo possint, gradu cedere necesse sit. Recitabo pauca ex eius libro, qui de præscriptionibus hæreticorum inscriptus est. Eligãt, inquit, sibi tempora vniuersæ hæreses, quæ, quando fuerint; non interest, dum non interfit, quæ, quando de veritate non sint: vtique quæ sub Apostolis non fuerunt, fuisse non possunt; si enim fuissent, nominarentur & ipsæ, vt & ipsæ coercendæ. quę vero sub Apostolis fuerunt, in sua nominatione damnantur. Hoc ideo dicit Tertullianus, quia omnis fides, vt magnus Athanasius ait in quæstionibus & responsionibus ad Antiochũ principem, quæ in terra ab hominibus nomen accepit, vt à Simone Simoniani, à Marcione Marcionistæ, ab Ario Ariani, addamus nos, à Luthero Lutherani, hæ, inquit, omnes fides, non sunt fides Dei, neq; Deus est in ipsis. Si enim huiusmodi fides Dei essent, cur ab hominibus nominarentur? & eorum nominibus gloriarentur? deinde subiungit, gloriatio summa est Catholica Ecclesia, & nos Christianos nominari, & prædicari, qui in ipsa Ecclesia Catholica sumus non ab

homine nominati, sed à Deo illuminati. Hæc diuinus Athanasius. si hic Clar. V. audierit idē obijcere nobis ministros, & doctores Protestantiū, quia ex religiosis alios nominamus Franciscanos, alios Benedictinos, alios alio nomine, & in scholis alios Thomistas, alios Scotistas, & si qui alij tales; sciat Clar. V. cauillationem esse ad depellēdum crimen fidei nouæ, vt pote ab hominibus nominatæ inuectam. Apud nos enim religiosi, cuiuscūque ordinis, ac nominis sint, in fide, & dogmatibus fidei vnum, & idem dicunt, eodem sensu, & scientia sunt, sicut Apostolus præcipit, & non sunt schismata. Et si quis aliter sentiret, non parceretur ab ijs, qui in fidē cuiusque vigili curā inquirunt, vt, sicut Apostolus Timotheo præcipit, depositum fideliter custodiatur. In scholis similiter, qui se Thomistas profitentur, de nulla quæstione, quæ ad fidē pertineat, ab ijs, qui se Scotistas nominant, dissentiunt; neque dissentire vllo modo eis licet, sed in alijs quibusdā opinionibus, quæ salua & integra vnitate fidei disceptantur. Nihil tale à vestris ministris Illustriss. D. dici potest, qui tot fides, & cōfessiones profitentur, quot nomina ab hominibus acceperūt, vt Lutherani à Luthero, & eius tanquā radicis fibræ Carolstadiani, Zuingliani, Osiandrini, Suuenfeldiani; vtrū autē istæ sectæ, & variæ nominationes in fide discrepēt, principes & Comites Mansfeldenses testes esse possunt, qui xi. sectas Lutheranorum libris magnis editis condemnarūt. De quibus autē dissentiunt tam grauia sunt, vt ex Lutheranis Nicolaus Gallus in libro Theseon, & hypotyposeon affirmet, de grauissimis, & sublimib⁹, (sic enim loquitur) Christianæ doctrinæ articulis Lutheranos inter se dissentire, & disceptare. Testes item sunt tabulæ, quibus multiplices, ac multiformes Lutheranorum sectas Coclæus, Staphylus, Thamerus, Lindanus, & alij distinxerūt. Exposui, quomodo, sicut Tertullianus dixit sectam Marcionis, Valentini, & aliorum in sua nominatione damnari, sic secta Lutheri, siue Protestātium, siue confessionis Augustanę in sua nominatione dānatur; quia eorum fides non contenta Christi nomine, quo fides Ecclesię Catholicæ in vniuerso orbe contenta est, nomen à Luthero accepit, & eorū confessio à loco in quo primum edita est, nominationem sumpsit, vt Augustana diceretur, & intestimoniū nouitatis eius annus etiam appositus est teste Philippo Melanchthone in epistola ad lectorē ante confessionem Ecclesiarum Saxonicarum. Sic enim ait, Repetimus sententiam confessionis, quæ imperatori Carolo exhibita est in conuentu Augustano anno M.D.XXX. tantundem fecerunt Ariani, qui, vt magnus Athanasius scribit, edita confessione in Synodis Seleucię & Arimini, consulē, mensem, & diem apposuerunt, quo, inquit, scripto initium fidei suæ indicant; & quando primum cœperint credere; & iam inde volunt fidē suā prædicare. Si Clar. V. nomē antiquissimæ, & nobilissimæ familiæ suæ videret à posteris mutari, quid ageret?

putaret

putaretne dissimulandũ esse? minime certe. Merito igitur hic audiet vocem illam Domini, Quid autem & quod iustum est à vobis ipsis non iudicatis? cur inquã, Cels. V. patitur, vt populi sui, qui Christo nomẽ in sacro Baptismo dederũt, Lutherani dicãtur de Lutheri fide, quæ posterior est & aduentitia, & ideo falsa, vt à prima, & Apostolica fide degenerans? & qui bonã confessionem, quam Ecclesia Catholica vbique confitetur, & prædicat, in baptismo confessi sunt Christo, & Christi sunt sanguine redempti, confessionem Augustanam anno M. D. XXX. in conuentu Augustano natam, relicta antiqua, & Apostolica omnium Ecclesiarum cuncti orbis confessione profiteantur? Redeo ad Tertull. qui pergens præscribere contra hæreses, quæ, vt dixit, in sua nominatione damnantur; siue ergo, inquit, eædem nunc sunt aliquanto expolitiores, quæ sub Apostolis rudes, habent exinde suam damnationem; siue aliæ quidem illæ fuerunt, aliæ autem postea obortæ, quasdam ex illis opiniones vsurpauerunt, habendo cum eis consortium prædicationis, habent, necesse est, etiam consortium damnationis, præcedente illo fine posteritatis, quo etsi nihil de damnaticijs participarent, de ætate sola præiudicarentur, tanto magis adulteræ, quãto nec ab apostolis nominatæ. Vnde firmius cõstat, has esse, quæ adhuc tunc nunciabantur futuræ. Deinde subiungit Tertull. his definitionibus prouocatæ à nobis, & reuictæ omnes hæreses, siue quæ posteræ, siue quæ coætaneæ Apostolorum, dummodo diuersæ, siue generaliter, siue specialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ, audeant respondere & ipsæ aliquas eiusmodi prescriptiones aduersus nostram disciplinam. Si enim negant veritatẽ eius, debẽt probare illam quoq; hæresim eadẽ forma reuictam, qua ipsæ reuincuntur; & ostendere simul, vbinã quærenda sit veritas, quam apud illas non esse, iam constat. Posterior nostra res nõ est: immo omnibus prior. Hoc erit testimoniũ veritatis vbiq; occupãtis principatum: quod ab apostolis non damnatur, immo defenditur, hoc erit iudiciũ proprietatis. Hic quoq; Tertull. tres alias præscripti ones cõtra hæreses omnes fixit, quæ sectã Lutheri reuincunt. Vna est, quod habet quasdã opiniones & quidẽ non paucas ex ijs hæresibus, quę iã pridem ab Ecclesia Cath. damnatæ sunt; vt ex hæresi Aerij, quã S. Epiphan. libro 3. tomo 1. hæresi 75. confutat. Is .n. Aerius tradidit, presbyteros ab episcopis non differre; nõ esse precandũ pro mortuis, nihil .n. nostris orationibus eos iuuari; non esse Ieiuniũ ex præcepto suscipiendũ, sed libere; alias itẽ ex hæresi Ioannis VVickleff, & postea Ioannis Hus. Secta ergo Lutheri habendo cũ his hæresibus consortiũ prædicationis, habeat, necesse est, consortiũ damnationis secundum definitionẽ, siue præscriptionẽ Tertull. Alia præscriptio, quod tametsi non esset Lutheri secta in illis superioribus hæresibus prius damnata, tamẽ de sola ætate, auctore Tertull. præiudicaretur. Posterior

enim

enim, inquit, noſtra res non eſt: immo omnibus prior eſt. Hoc eſt teſtimonium veritatis vbiq; occupantis principatum. Quis dubitare poteſt. quin diſciplina Lutheri, ſi vera eſſet, noſtrã, quæ Catholica eſt, & per omnes mundi Eccleſias prædicatur, anteceſſiſſet? at, vbi erat ante Lutherum? niſi ex parte in hæreſi Aerij, & Ioannis Vuiclef, & Hus olim anathematizatis, & ad inferos relegatis, ex parte autem tunc primum cum Lutheri, & ſociorum eius prædicatione orta. Scilicet his ſolis, & his primis poſt tot ſæcula reuelata eſt veritas, maiorem videlicet dignationem, & pleniorem gratiam à diabolo conſecutis; hoc ipſum dixit idem Tertull. de illis Valentino, Marcione, & aliis hæreticis. Hic igitur Celſitudinem V. compellat dominus his verbis in Euangelio ſuo ſcriptis, Quid autem, & quod iuſtum eſt, à vobis ipſis nõ iudicatis? ſi quis enim quæ veſtra Celſitudo olim iure poſsidet, ſua eſſe diceret, & Celſitudinem veſtram deijcere de poſſeſsione vellet, an pateretur ſe deijci? nonne iniuriam faceret tum maioribus ſuis, qui ex teſtamento illa ſuis hæredibus reliquerunt? tum ſuis ſucceſſoribus, ad quos illa bona hæreditate ventura erãt? ſic igitur Celſitudo Veſtra cogitet, fidem, quæ perpetuo in maioribꝰ ſuis, auiꝭ, proauis, atauis, & in reliquis ſuperioribus vſq; ad primum ſui nobiliſsimi, & antiquiſsimi generis Chriſtianum, & in patre ſuo ad tempus, & in matre matrona nobiliſsima ſemper vſq; ad extremum ſpiritum habitauit, poſſeſsionem eſſe ſanguine Chriſti partam, & ab illis, quos dixi, maioribus Celſ. V. commendatam, relictam, ſacramento religionis adiuratam, & obſtrictã. Hanc Celſ. V. ita recuperare debet; vt niſi recuperet, ſummam iniuriam, & maioribus ſuis ac poſteris inferat: immo ipſi Chriſto Deo noſtro, qui ſuam & illorum vicem interitũ veſtro ſempiterno in geenna ignis vlciſcetur: & iam nunc macula fœdiſsimæ infamiæ in omnem poſteritatem, & memoriam ſæculorum redundatura vlciſcitur. An excuſabit Celſ. V. cum omnes, ſicut Apoſt. ait, ſtabimus ante tribunal Chriſti, patrem ſuum ſic credidiſſe? ſic Lutherum docuiſſe? ſic miniſtros ſuos dócere, ſcientiam ſcripturarum ſe non percepiſſe? non fuiſſe theologum neq; doctorem? minime. Nihil horum licebit excuſare. Redibo enim ad lineam euangelicæ præſcriptionis in mente Celſ. V. inſculptam, Quid autem & quod iuſtum eſt, dicit dominus, à vobis ipſis non iudicatis? ſic expoſtulabit in illo die ſeueri, & horribilis Iudicij. An natura non docuit Celſ. V. honorandos eſſe parentes, & maiores? mater Celſ. V. quæ eam in Chriſto regenerauit, Eccleſia Catholica eſt, per vniuerſũ orbem diffuſa. In hac fuerũt patres, & maiores veſtri omnes. hęc Lutherum, ex quo cœpit nouam fidem prædicare, ætate noſtra anathematizauit; & qui de eius noua fide Lutherani vocantur, nunquam ab ea in pacem & cõmunionem recepti ſunt, nec recipientur, donec redeant, vnde exierunt. Nonne

oporte-

oportebat Celſ.V. hanc matrem ſuam Eccleſiã honorare, quæ, ſicut ait beatus Cyprianus in libro de vnitate Eccleſiæ, Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit? & inſtar arboris ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit? conſideret Celſ. V. quanto honore Eccleſiam Dei Apoſtolus proſequendam eſſe cenſuerit, cum ad cõmendandum ritum communem Chriſtianorum honeſte orandi in Eccleſia viris aperto capite, mulieribus velato, cõtentioſis, & non obedientibus obiecit conſuetudinẽ Eccleſiæ, ſi quis, inquit, vult contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Quid ſi in eo ritu fides mutata fuiſſet, quanto acrius dixiſſet, nos talem conſuetudinem, ac talem prędicationẽ non habemus, nec Eccleſia Dei? Ante Lutherum omnes in Germania eandem fidem profitebantur, quam Eccleſia Catholica per omnes mundi regiones ab initio per prędicationem Apoſtolorum accepit, & vſque in hodiernum diem profitetur; quare ſi in diſciplina Lutheri eſt veritas, illa prima debuit à ſanctis Apoſtolis prædicari, & ab Eccleſijs, quas primi inſtituerunt, recipi, quia rectum, vnde fit παρέκβασις, id eſt, aberratio, natura prius eſt, quam ipſa aberratio, ſicus prius eſt habitus, quam priuatio. Noſtra igitur diſciplina, ſi in ea non eſt veritas, ſuccedere debuit diſciplinæ Lutheri. Quod ſi non ſucceſsit, quin potius, vt paulo ante dixi ex Tertull. poſterior noſtra res nõ eſt, immo omnibus prior eſt, Lutheri aũt diſciplina poſterior eſt vix annos Lxx. nata, de ſola igitur ætate ſecũdum præſcriptionem Tertulliani damnatio eius præiudicatur. ſi Celſ. V. teſtamentum faceret, eſſet ne iuſtum, vt alius mutaret? aut teſtamentum ſubijceret? ſecundum hominem dico, inquit apoſt. in Epiſt. ad Galatas, tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Quomodo ergo quod in ſuo teſtamento fieri non ſineret, in teſtamento Chriſti id vt à Luthero in populis ſuis factum ſit, & fiat, permittit? an non iuſte, & merito dicetur ei, quid autem & quod iuſtum eſt à vobis ipſis nõ iudicatis? audiet fortaſſe Celſ. V. à ſuis miniſtris, ſicut à Luthero ſubiectore teſtamenti Chriſti didicerunt, ſic eſſe tabulas teſtamenti intelligendas, vt Lutherus interpretatus eſt, hic occurrit alia præſcriptio Tertulliani aduerſus hæreſes, tertia ex illis tribus, quas paulo ante dixi, hæc autem eſt, non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quos ſine ſcripturis, inquit Tertullianus, probamus, ad ſcripturas nõ pertinere, quia in ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit. Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à Chriſto habendo, quod de ſua electione ſectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Chriſtiani nullum ius capiunt Chriſtianarum litterarum. Ad quos merito, inquit Tertull. dicendum eſt, qui eſtis, quando, & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? quo denique

Marcion iure syluã meã cædis? qua licẽtia Valẽtine fontes meos trãſ-
uertis? qua poteſtate Apelles limites meos cõmoues? qd hic cæteri ad
voluntatẽ veſtrã ſeminatis, & paſcitis? mea eſt poſſeſsio, olim poſſi-
deo, habeo origines firmas ex ipſis auctorib. quorum fuit res. Ego
ſum hæres Apoſtolorũ; ſicut cauerũt teſtamẽto ſuo, ſicut fidei cõmi-
ſerunt, ſicut adiurauerũt, ita teneo. Vos certe exhæredauerũt ſemper,
& abdicauerũt vt extraneos, vt inimicos. Vnde aũt extranei, & ini-
mici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quã vnuſquiſq;
de ſuo arbitrio aduerſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit? illa igi-
tur & ſcripturarũ, et expoſitionũ adulteratio deputãda eſt, vbi diuer
ſitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propoſitũ aliter docẽdi, neceſ-
ſitas inſtituit aliter diſponẽdi inſtrumẽta doctrinæ; aliàs. n. nõ po-
tuiſſent aliter docere, niſi aliter haberẽt, per q̃ docerẽt. Hæc ten⁹ Ter-
tull. q non aliter ageret cũ Lutheranis, ſiue Proteſtantib. ſi hodie vi-
ueret. Hęc eadẽ in eos trãsferret, in quos pari ratione, & cauſa cõueni-
unt. Ego vero vt vna ſimplici percõratione oẽs iſtas Tertulliani cõ-
prehendã, percontabor, quare Luther⁹ ſcripturas, & vt ipſe loqui ſo-
let, verbũ Dei aliter expoſuit in Germania, quàm Eccleſia Catholica
ab initio in cũcta Germania sẽper ante cũ expoſuerat, & p̃dicauerat,
& extra Germaniã per oẽs mũdi ꝓuincias, regna, nationes Chriſtia-
norũ, vbicũq; vnitas Eccleſiæ Catholicæ retinetur, & cõſeruatur? Ec-
cleſia. n. catholica ſicut ab Apoſtolis accepit, ita ab initio p̃dicauit,
& p̃dicat? & ſicut prædicat, ita ſcripturas intelligẽdas, & interpretan
das proponit; & ſicut intelligẽdas & interpretandas proponit, ita ea-
rum ſenſum ſuę fidei cõmiſſum, & à ſe conſeruatum, tanquam depo-
ſitum per prædicationem Apoſtolorum acceptum, & Apoſtolis per
os Chriſti traditum, à nobis filijs ſuis fideliter cuſtodiri iubet. Et
eos, qui ſuo ſenſu, & nõ Eccleſiæ Catholicæ, expoſitiones ſcriptura-
rum interuertũt, inter alienos, & inimicos, & hæreticos numerat, ſi-
cut ſemper numerauit. Et vt Celſ. V. intelligat, quãta vis, & auc-
toritas in Apoſtolica traditione inſit, q̃ in Eccleſia tanquã in vaſe anima-
to conſeruatur, videat, quid Irenæus Apoſtolicus auctor, quem Ter-
tull. frequenter ſequitur, & à quo hunc locũ de traditione mutuatus
eſt, libro 3. contra hæreſes ſcripſerit. Traditionẽ, inquit, Apoſtolorũ
in toto mundo manifeſtam in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus,
qui vera velint audire. Si traditio Apoſtolorum in toto mundo ma-
niſeſtata, in Eccleſia cernitur, & perſpicitur, & doctrina Lutheri ab
ea traditione, quæ in Eccleſia cernitur & perſpicitur, aliena eſt, igi-
tur non eſt Apoſtolica; quod ſi Apoſtolica nõ eſt, relinquitur, vt ſit
terrena, carnalis, & diabolica. Et habemus, inquit Irenæus, annumera
re eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſũt Epiſcopi in Eccleſijs, ſucceſſores
eorũ vſq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, neq; cognouerũt. Et pau-
lo poſt. ſed quoniã valde longũ eſt in hoc tali volumine omnium Ec-
cleſiarũ enumerare ſucceſsiões, maximæ & antiquiſsimę, & omnibus

bus cognitæ à glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romę fundatæ, & cõſtitutæ eã, quam habet ab Apoſtolis traditionẽ, & annũciatã hominib. fidẽ per ſucceſsiones Epiſcoporũ peruenientẽ vſq; ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per ſui placẽtiã malam, vel vanã gloriã, vel per cœcitatem, & malam ſententiam præterquam oportet, colligunt. ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatẽ neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiã, hoc eſt, eos, q̃ ſunt vndiq;, fideles; in qua ſemper ab ijs, qui ſunt vndiq;, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Hactenus Irenæus. Secundũ hanc traditionẽ, q̃ Eccleſia Romana à duobus Apoſtolis Petro, & Paulo accepit, & quæ per ſucceſsiones Epiſcoporũ vſq; ad nos peruenit, Eccleſię primæ in Germania à beato Bonifacio natione Anglo fundatæ, & cõſtitutæ ſunt. Is enim xxxvi. annis in ea p̃dicauit ſub quatuor põtificibus, duobus Gregorijs ſecũdo & tertio, Zacharia, & Stephano, vt idẽ Bonifacius in Epiſt. ad Stephanũ teſtatur. Hãc traditionẽ, q̃ tanquã depoſitũ ab Eccleſijs Germaniæ inuiolatè, & fideliter vſq; ad finẽ cuſtodiẽda erat, Martinus Lutherus primus fraudauit, cũ ſcripturas ſuo ſenſu, & non ſecundũ ſenſum Apoſtolicæ traditionis in Eccleſia Catholica cõſeruatę interpretari cœpit. Age verò Illuſtriſſ. D. ferret æquo animo Celſ. V. vt depoſitũ ſibi, aut vlli ex ijs, qui fidei, & tutelæ Veſtrę cõmiſsi ſunt, nõ redderetur bona fide? minime, ne iniuſtitiæ argueretur. Quomodo igitur q̃ in depoſito tenui, parui precij, & terreno Celſ. V. nõ patitur, in depoſito Apoſtolico, q̃ Chriſti, & ſpiritus sãcti depoſitũ eſt, patietur? Quomodo nõ coget, vt bona fide reddatur, ſi iuſtitię cultor, & ſeruator haberi vult? Quomodo nõ horret Euãgelicã illã exprobrationẽ, immo minacẽ increpationẽ, quid autem & q̃ iuſtum eſt, à vobis ipſis non iudicatis? Niſi, p̃fectus eſſet ſanctus Bonifacius ad feroces, & indomitas gẽres Germanorũ, ſic enim eas vocat Zacharias Pont. in Epiſt. ad eundẽ Bonifaciũ, & ibi quotidie moriẽs, ſicut Apoſt. ait, propter ſalutẽ Germanię p̃dicaſſet, & depoſitũ Apoſtolicæ traditionis eis cõmiſſet, nõ eſſent hodie in Germania Chriſtiani, adhuc idola colerẽt, tã & ſi Antonio Sadeeli homini ingrato, & gratię Dei immemori ſtomachũ mouet, q̃ Bonifaciũ Apoſtolũ Germaniæ vocamus. Ergo q̃ ille tãtis laboribus, tot periculis, tã diuturnis ſudoribus cõmendauerit, & cõmiſſerit, Celſ. V. perfidia vnius hominis interuerſum, & fraudatum eſſe patietur? & nõ potius oẽs vires eius ad id vnũ incumbẽt, vt reddatur, redintegretur, reſtituatur? & q̃ glorioſius, aut diuinio factũ cogitari poteſt, aut quo magis Deũ prępotentẽ Celſ. V. imitari videatur, quã ſi efficiat, hoc fiant populi veſtri, quod erãt à principio? tunc dico, cũ ſicut Apoſt. ad Coloſ. ſcripſit, dignos eos fecit Deus in ſortem ſanctorũ in lumine, cũ eripuit eos de poteſtate tenebrarũ, & tranſtulit in regnũ filij dilectionis ſuæ, & ſicut idẽ Apoſt. ad Cor. ſcripſit, cũ

is, qui dixit de tenebris lucẽ ſplendeſcere, illuxit in cordib. eorum ad illuminationẽ ſciẽtię claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. Tũc. n. Deum cognouerũt, & relicta idololatria, Chriſtiani facti ſunt: tunc ſanctus Bonifacius, vt in Epiſtola ad Danielẽ in Anglia Epiſcopũ ſcripſit, ſemen verbi Dei de ſinu Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ ſumptũ, ſibi cõmendatũ in eis ſeminauit, & quod ab initio ſeminatũ fuit, in eis creuit, & fructũ attulit iuxta parabolã Euangelij aliud quidẽ centeſimum, aliud autẽ ſexageſimũ, aliud vero triceſimũ. Hi ſunt, vt antiqui patres interpretati ſunt, gradus Virginitatis, cõtinẽtiæ, & honeſti, ac pudici cõiugij, ex quib. duos primos vt funditus tolleret, laborauit Lutherus, tertiũ corrupit, & violauit; illius. n. eſt illa flagitioſa, & ſcelerata ſentẽtia, q̃ in libris eius fertur, ſi nõ vult vxor, veniat ancilla. Extant tamẽ adhuc in Germania monaſteria virginũ ſacrarum in teſtimoniũ Apoſtolicæ traditionis, cuius ſemẽtem primus in Germania S. Bonifacius fecit, q̃ ſemper facta fuit, & nunquã intermiſſa vſq; ad aduentũ Lutheri, & ſociorũ eius, de quib⁹ dicendũ eſt, quod in Oſea propheta ſcriptũ eſt de decẽ tribub⁹ Iſrael, q̃ in Samaria duce Hieroboã idola coluerunt; ſunt. n. dogmata hæreticorũ inſtar idolorũ, quia ventum inquit ſeminarunt, turbinẽ metent. Culmus ſtãs non eſt in eo, germen non faciens farinam. Ventum vocat propheta, quod Lxx. interpretati ſunt ἀνεμόφθορον, id eſt, ſemen vento corruptũ, quod inutile eſt ad ſeminãdum, vt ex eo poſtea panis conficiatur. Sic eſt doctrina hæreticorum corrupta, ad omne genus virtutis inutilis, quam ſequitur interitus. Age ergo Illuſtriſſ. D. propone tibi exemplum ſummi Dei ad imitandum, quo nihil poteſt eſſe, vt paulo ante dicebam, glorioſius, nec in quo magis tibi auxiliũ & opem Dei polliceri, & ſperare debeas. Deus enim in mundum venit, vt hominem culpa ſua perditum, in tanta alioqui gloria conditum, εἰς τὴν κατ' ἀρχὰς reſtitueret, ſic antiqui patres loquuntur, id eſt, vt ad id quod erat à principio, reduceret; vt ſcilicet homo, qui ſic creatus fuerat, vt Dei gratia & beneficio immortalis eſſe poſſet, ſed per peccatum ad perpetuam mortem iuſte damnatus erat, rurſus per mortem Chriſti immortalis fieret, ac ſic quidẽ immortalis, vt amplius mori non poſſet, quod per glorioſam reſurrectionẽ conſequetur. Sic Celſ. V. ſi populos ſuos ad gloriam illã Apoſtolicæ & diuinæ diſciplinæ, atque inſtructionis, vnde à Luthero pſeudoapoſtolo miſerè decepti exciderũt, reuocauerit; imitatione Dei Deus eorum erit, ſicut ſcriptũ eſt, ego dixi, dij eſtis, & ſcriptura ſolui non poteſt. Scio diſſuadebit hoc, qui ſaluti Celſ. V. & populorum ſuorum inuidet, dęmonẽ dico, qui vt Ioannes in Epiſt. ſua ait, ab initio peccat, & à principio homicida fuit, & in veritate non ſtetit. Subijciet diabolus, & illi ipſi, quos ille incitabit, & quorum opera, & ſtudio vtetur, fieri hoc ſine magno tumultu, & ſeditione non poſſe; cum pro nulla re acrius omnes homines, quam

pro

pro religione, quam habẽt, pugnare soleant. Cæterum si Dei metus fuerit, & memoria futuri Iudicij, & rationis reddendæ inprimis ipsius fidei, cum stabimus omnes, sicut Apost. ait, ante tribunal Christi, nihil iã aliud Cels. V. metuet; vbi metus Dei erit, ibi Deus erit; & vbi Deus, ibi tutela, & præsidium Dei. Infinita occurrebant in scripturis ad hunc locum appositа: sed illa pauca satis nunc sint ex psal. xxxii. cum Dauid de conuersione gentium ad fidem prophetans, in primis hortatur ad metum Dei, quia scriptum est in prou. initiũ sapientiæ timor Domini, timeat, inquit, Deum omnis terra; ab eo autem commoueantur omnes inhabitãtes orbem. Deinde, quia prospiciebat, & animo contemplabatur futuros tumultus in eos, qui concepto metu Dei, & relicta falsa religione ad fidem Christi venirent, addit animos, ne aduersarios metuant, subiungẽs, Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum; cõsilium autem Domini in æternum manet. Et paulo post, vt moneret, soli Deo confidendũ esse, qui sit solus metuendus, in terrenis autem, & humanis præsidijs non esse fiduciam collocandã, subiungit, non saluatur Rex per multam virtutem; & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Ecce oculi Domini super metuẽtes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Ad metum ergo Dei hortatur propheta accedere, vt oculos Domini prospicientes, & ab insidijs nos tuentes habeamus. Hæc ille, quia omnia potest, qui fidelis est, & mentiri non potest, Celsitudini. V. promittit. Quid hic rursus poterũt homines promittere, cum scriptũ sit, est autem Deus verax, omnis autem homo mendax? si qui tamen erũt, qui pro suo erga Cels. V. studio, & amore ab hoc proposito & consilio tanquam nimis difficili, laborioso, & solicitudinis, ac molestiæ pleno eã dehortari, & deterrere voluerint, habet exemplum Domini, quod imitetur, quod ad nostram vtilitatem, & eruditionem scriptum est. Cum enim Petrus Christum audiret dicere, oportere ire se Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, velletque, quia Christum amabat, hanc rem ei dissuadere, absit, inquit, à te Domine; non erit tibi hoc, conuersus Dominus dixit Petro, vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Quid? quod nulla hic, crux imminet; nulla mors impendet; nullum periculum instat. Quamquam si quid durum, & graue patiendum esset, audire deberet Cels. V. illud Apostoli ad Hebr. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem, vt nõ defatigemini animis vestris deficiẽtes, nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes, & obliti estis cõsolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur? fili noli negligere disciplinam Domini, neque defatigeris, dum ab eo argueris; quem enim

diligit, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Sed, vt dixi, nullū periculū, nullum discrimen metuendum, aut subeundū est, oēs populi te diligūt vt Dominū clementissimū. Simul atq; te velut alterum Gedeonē audierint, sicut scriptum est in libro Iudicum, quod me facere videritis, hoc facite; & quod fecero, sectamini, currēt pones te omnes. Si malus pudor obstiterit, audiat Cels. V. quid spiritus S. in scriptura Ecclesiastici dicat, pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est confusio, quæ Græce dicitur αἰσχύνη, adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam. est enim αἰσχύνη quam interpres vetus vertit confusionem, φόβος δόξης, sic Stoici definiunt, id est, metus dedecoris; at non est dedecus Illustrissime Domine, sed ingens gloria & diuina, relicto errore sectæ fallæ fieri tot populorum liberatorem? seruatorem tot animarum, quod Dei proprium est, secum per gratiam eius communicare. Quis gloriosior in terris triumphus cogitari poterit, & vnde maior exultatio, & lætitia in omnes terrarum oras, & in ipsos cælos redūdet? Quod si, vt Dominus in euangelio Lucæ testatus est, ita erit gaudium in cælo super vno peccatore pœnitētiam agente, quàm super nonaginta iustis, qui non indigent pœnitentiam, quantum erit super tot populis ad fidem patrum suorum reuersis, id est, ad fidē Ecclesiæ Catholicæ, quæ in patribus, & maioribus eorum ab ipso ortu Christianæ religionis in Germania cum præclara laude pietatis semper habitauit? Quantum splendorem gloriæ auitæ progenies vestra nobilissima recuperabit? si quis auderet dicere, genus vestrum nō esse antiquum, sed nouum; & veterem, atque Illustrem familiam Landgrauiorū Hassiæ recentem, & nouitiam faceret, an æquo animo Cels. V. ferret? non ne iniuriam nobilitati, & antiquitati stirpis vestræ illatam esse existimaret? immo maximè. Quid igitur, quod iustum est à vobis ipsis non iudicatis? an non priuauit Celsitudinem. V. antiquitate nobilitatis, & claritate veteris familiæ, qui nouam fidem ei tradidit, quæ non possit iam laudari, sicut ab Apostolo laudata est fides Timothei? quæ est, inquit, in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice; certus sum autem quod & in te. fides enim Cels. V. orta est cum confessione Aug. quæ edita est anno M. D. xxx. ipsi enim auctores fidei, & confessionis, vt antea dixi, annum apposuerunt, sicut apposuerunt consulem, & mensem, & diem auctores Arianæ confessionis & fidei, qui Arimini in Italia, & Seleuciæ in Oriente ad edictum Ariani Imperatoris conuenerunt. In quos ita scribit beatus Athanasius. Quod si secundum ipsos ab istis consulibus principiū accepit, quid facient patres, & beati martyres? aut quid faciunt illi, qui ab eis in Christiana religione instituti sunt, & ante cōsules istos dormierunt? quomodo illos excitabūt, vt quod didicerint, obliteretur? & quod ipsi scribendo inuenerunt, in eos inferant? deinde subiungit,

adeo

adeone crassi sunt, vt nihil fingere queant nisi cauillationes, easque indecoras, & incredibiles, & statim de proximo argumentis refutabiles? Hactenus Athanasius in nouam fidem, & confessionem ab illis appositio consule, & mense, & die editam. Hæc eadem licet in nouam fidē, nouæ confessionis Augustanæ, & in eius auctores dicere. Quid facient aui, proaui, ataui, & reliqui oēs vestri generis maiores, qui ante aduentum Martini Lutheri mortui sunt? Quomodo ad vitam reuocari poterunt, vt nouam fidē discant? sine fide enim salui esse non possunt. Quid facient tot myriades Germanorum à sancto Bonifacio, & alijs sanctis martyribus institutæ, & fidem Ecclesiæ Romanæ professæ? Adeo ne inquit Athanasius, crassi sunt, vt nihil fingere queant nisi cauillationes, easque indecoras, & incredibiles, & facile refutabiles? idem dicendum est in magistros Protestātium: cum enim ab eis quæritur, vbi erat Ecclesia Lutheri ante Lutherum? si nusquā erat, sequitur Ecclesiam Lutheri, vt verbis Tertulliani vtar, non esse pro consanguinitate Catholicam; si quidem Catholica Ecclesia quæ per cunctum orbem cernitur diffusa secundum promissionem à Deo patre Christo filio suo de semine Dauid factam, Ecclesiam Lutheri anathematizat. Si autem erat ante Lutherum Ecclesia Lutheri, & non est recens, & noua, & per hæresim introducta, quæritur ab eis, vt ostendant, vbi illa Ecclesia Protestantium ante Lutherum erat? Sed quia ostendere non possunt, respondent Ecclesiam Catholicā non esse eam, quæ per omnes terræ partes cernitur propagata, & in qua impletum est, quod Deus pater filio suo ex semine Dauid promisit, sicut in psalmo secundo scriptum est, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; & illud Apostolis dictum, qui vbique gentium Ecclesias instituerunt, accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Iudæa, & Samaria vsque ad vltimum terræ, sed dicunt Ecclesiam Catholicam esse inuisibilem. Quam sit vero ista crassi, & obtusi ingenij cauillatio, & quā facile redarguatur, multo melius, & facilius Cels. V. intelliget, & iudicare poterit, quam Antonius Sadeel, si legat, quæ primis capitibus huius libri de hac re contra eum scripsimus. Ad quę nunquam ille nisi ineptius, & obtusius cauillando respondere poterit. Præterea, cum quæritur ab eis, quos habeant Ecclesiæ Protestantium Episcopos, sicut semper habuerunt Ecclesiæ in Germania ante Lutherum, & sicut habent Ecclesiæ Catholicorum per cunctum orbem; Episcopi enim sunt successores Apostolorum, quos Deus, sicut Apostolus ait, posuit in Ecclesia, hi sunt summi sacerdotes in Ecclesijs suis; hi sunt patres presbyterorum, quos ordinant, qui per ordinationem eorum accipiunt potestatem remittendi peccata, & consecrandi corpus Domini. Sed quia ostendere non possunt huiusmodi episcopos, ac proinde neque sacerdo-

cerdotes

cerdotes habent, qui peccata remittant, & eucharistiam consecrent, Lutherus enim, quia presbyter tantum fuit, non potuit ordinare, hæreticam cauillationem ante annos mille ducentos extinctã Aerij reuocant. Aiũt æquales esse presbyteros Episcopis, & Lutherũ ordinare põtuisse, nullum enim esse discrimen in Episcoporum & presbyterorum potestate; cũ tamẽ aperte Paulus Timotheum Episcopũ Iudicem presbyterorum suorum esse fateatur, siquidem ei præcipit, vt aduersus presbyterum accusationem ne recipiat nisi sub duobus, aut tribus testibus. Quis autem ignorat iudicem maiorem esse eo, quem iudicat? an non est hæc cauillatio satis crassi ingenij, & facili argumento refutabilis, vt Athanasius paulo ante de cauillationibus Arianorum aiebat? Sed crassitiem, & hebetudinem huius cauillationis auxit adhuc Antonius Sadeel. fortassis enim alij ministri, & Doctores protestantiũ, qui simili errore Episcopos, & presbyteros exæquant, si rogati essent, an ipsi haberent successores Apostolorũ, quos Deus Ecclesiæ suæ dedit, fortassis, vt minus delirarent, responderent, presbyteros, quos se habere putant, esse Apostolorũ successores: qui enim Episcopos presbyteris æquant, consequens est, vt presbyteros pariter & Episcopos successores Apostolorum faciant: at nunc primus, quod sciam, post Lutherum Antonius Sadeel, vt sit contra sententiam Domini discipulus super magistrum suum, negat vllos esse in Ecclesia successores Apostolorum. Vt plane sequatur, nullam esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata, nullam consecrãdi sanctã Eucharistiam. Quibus enim primum hanc potestatem Christus dedit nisi Apostolis? Quare si nulli loco eorum, qui mortui sunt, remãserunt, nec eorum potestas remansit: aut si remansit, ipsi illi, in quibus remansit, successores eorum numerandi sunt. Iudicet Celsitudo Vestra an sit ista satis crassi ingenij cauillatio, & facile refutabilis. Non opus est Celsitudini Vestræ cognitione sacrarum litterarum, neque scientia Theologiæ, ne fortassis istud excuset, nec opus est acuto ingenio, quo aiunt præditam esse Cels. V. hic sic opus est tanta acie ingenij, quanta in demonstrationibus Euclidis, in quibus erudita, & excercitata est, vt audio, non requiretur à Cels. V. cognitio sacrarum scripturarum. Episcopis enim & presbyteris præcipit Apostolus vt sint διδακτικοί, id est, idonei & prompti ad docendũ. Sine verbo Dei potest, & debet Cels. V. idque ab ea requiretur, quod iussum est, à se ipso, id est, exemplis de se & re sua sumptis iudicare, vt satis à me supra explicatum est. Quare si clamauerint vestri ministri verbum Dei, verbum Dei, sciat Cels. V. nõ esse verbum Dei, quod isti clamant, non magis quam erat verbum Dei, quo Valẽtinus, aut Marcion, aut Apelles, aut Hermogenes, aut hæretici posteriores, Arius, Eutyches, Nestorius, & reliqui vtebantur. Omnes enim testimonijs scripturarum vsi sunt, quia omnibus hæreticis materias, vt Tertull.

ait,

ſuos, quare ipſi nō credant verbo Dei, quod Valētinus proloquitur; quo Marcion gloriatur; quod Apelles iactat; quod Arius ventilat, quod Neſtorius proteſtatur? reſpōdebunt nimirū, non recte eos interpretari verbum Dei; ac proinde non iam verbum Dei eſſe ſic ab ipſis intellectum, & expoſitum, ſed verbum potius ipſorum hæreticorum. Hoc ipſum cogitet Celſ. V. de verbo Dei, quod Lutherus producit, quia ſic probat verbum Dei, quod iactat, quomodo illi ſuperiores, & nō aliter, ſuo nimirū ſenſu. Proprio enim ſenſu interpretandas, & intelligendas eſſe ſcripturas profeſſus eſt Lutherus. Si rurſus quærat Celſ. V. à ſuis miniſtris, vnde certus fuit Lutherus de ſuo ſenſu verbi Dei, nō eſſe eum ſenſum falſum, nihil reſpondebunt, niſi quod ille reſpondere eos docuit, faciles eſſe ad intelligendum ſcripturas. Et quia facile omnes errant in eo, quod ignorant, vt Ariſt. ait, in Metaphyſicis, ne iſti ſe exiſtimētur errare, omnes profitentur ſcire ſe ſcripturas. At in Eccleſia noſtra Catholica Illuſtr. D. præſcriptionem apoſtolicam habemus, quomodo verbū Dei interpretari, & intelligere liceat, & non ſecus quam præſcriptum eſt niſi periculo vitæ, & ſempiternæ infamiæ: ſic ſcilicet ſicut S. Apoſtoli à Chriſto acceperunt; acceperunt autem omnē veritatē; & ſicut acceperunt, ſic eccleſiæ tradiderunt, & commiſerunt; & ſicut Eccleſia traditum & commiſſum ſenſum verbi Dei ab illis tanquam depoſitum accepit, ſic fideliter, & integre retinet, ſeruat, docet, prædicat. Ab Eccleſia igitur Catholica nos verbū Dei accipimus; & vnde Eccleſia certa eſt de ſenſu verbi Dei, inde nos certi ſumus, & falli non poſſumus. Redeat igitur Celſitud. veſtra ad hāc apoſtolicæ præſcriptionis lineam; huc collineet, ſi veritatem verbi Dei tenere vult; & Deum veritatis in cæleſti patria poſsidere. Hac ſola præſcriptione apoſtolicæ traditionis, quæ ad intelligendum, & interpretandum Catholice, & apoſtolice verbum Dei, in Eccleſia Dei tanquam depoſitum fideliter cuſtoditur, ſine vllis ſcripturis, ne quid Celſ. V. excuſare poſsit, omnes miniſtros & doctores Proteſtantium reuincet. obijceat illis, non ſic credit, non ſic docet, non ſic prædicat Eccleſia Catholica per totum orbē diffuſa, ſicut vos creditis, docetis, prædicatis, ergo non accepiſtis ab Eccleſia verbum, quod prædicatis. Aliunde accepiſtis, foris eſtis. Quod ſi ab Eccleſia Catholica per cunctū orbem diffuſa non accepiſtis, igitur non accepiſtis ab Apoſtolis verbum, quod prædicatis, quia quod ab initio audiuit Eccleſia Catholica ab Apoſtolis, qui vbique prædicauerunt, hoc in ea permanet. Teſtis eſt Ioannes in Epiſtola ſua, cum vnum quemq; noſtrum, ne ab hæreticis, qui doctrinam ab Eccleſia alienam tradunt, ſeducamur, monet hic verbis, vos, quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat; quia ſi in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in filio, & in patre manebitis. Et hæc eſt repromiſsio, quā ipſe pollicitus eſt nobis vitam æternam. Hæc ſcripſi vobis de ijs, qui ſeducunt vos. Hæc ad Celſ. V. & ad oēs, qui in Eccleſia Catholica baptizati ſunt, ſcripſit Ioannes, & ſubiungit, & vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in

vobis; & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos; sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus; & verum est, & non est mendacium, & sicut docet vos, manete in eo. Interroget Cels. V. scribas confessionis Aug. quomodo non necesse est, vt aliquis doceat nos, ne seducamur (dixerat enim paulò ante hæc scripsi vobis de ijs, qui seducũt vos) si quidem, vt Apost. ad Corinth. scripsit, non in omnibus est scientia? & quæ ista vnctio est, quæ docet de omnibus? Iam scilicet erant tempore Ioannis Euangelistæ hæretici, qui seducebant, Simon, Nicolaus, Cerinthus, Marcus, Menander, Basilides, Saturninus; sed prius, quam isti venirent, Ecclesiam, quæ tunc erat, omnem veritatem sancti Apostoli docuerant; & non erat necesse, vt alius præter id, quod prius didicerant in Ecclesia Catholica, eos doceret, quia in Ecclesia apostolica manebat spiritus S. sicut nunc manet, quo pater filium suum vnxit, sicut Petrus in actis Apost. dixit; & quem promisit, & dedit sanctis Apostolis, & nobis, qui per verbum illorum, & prædicationem credidimus. Hæc est vnctio, quæ de omnibus docet eos, qui venerunt ad Ecclesiam, & in ea manent. Quare non necesse erat, neq; licebat, vt Lutherus veniret, & aliud prædicaret, præterquã quod ab initio Ecclesia in Germania audierat, & quod in ea permanebat. Quod à nobis omnibus, sicut beatus Ioannes præcipit, faciendum est. Hoc ipsum præcipit Apost. in Epist. ad Philipp. cum ait, verum tamen ad quod præuenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula. scilicet illud est, ad q̃ præuenimus, siue præcurrimus, (hoc enim significat verbum græcum φθάνωμεν) quod ab initio audiuimus, vt Ioannes in Epist. sua dixit, quod iubet permanere in nobis omnibus, vt sicut Paulus ait, omnes idem sapiamus, & in eadem regula permaneamus. Id ipsum rursus monet idem Apost. Paulus in Epist. ad Galatas, cũ ait, sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Et iterum, si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Interroget rursus Cels. V. scribas confessionis Augustanæ, vtrum prædicauerit Lutherus præter id, quod prius ante Lutherum acceperant Ecclesiæ Germanorũ? negare non possunt. infiniti enim in Germania testes esse possunt prædicasse eum præter id, quod antea acceperant. Idem enim acceperant, quod nos accepimus; & in eis permanebat, quod in nobis, & in omnibus Ecclesijs totius orbis permanet, traditio scilicet apostolicæ doctrinæ ab initio traditæ, & prædicatæ. Factus est igitur anathema Lutherus ab Apostolo. Aut si dicant scribæ isti, prædicasse quidem præterquam quod acceperant, quia acceperant falsum, & Lutherus prædicauit verum, dicam hic, quod Tertullianus respondet alijs hæreticis, idem dicentibus, quale est, vt antea fuerit hæresis, q̃ vera doctrina? prius Germani hæretici, quam Christiani? & non potius contra, prius semen bonum iuxta parabolã Euangelij, & postea Zizania, quæ inimicus homo superseminauit? Adde, quod si falsam doctrinã acceperant Ecclesiæ in Germania,

Germania, antequã veniret Lutherus, cum illa ipsa doctrina, quam acceperant, in Ecclesia Catholica vbiq; gentiũ, & terrarũ hodie permaneat, si falsa est, sequitur vt nusquã sit Ecclesia nisi falsi nominis, excepta Germania. Amisit igitur regnum suum Christus; exhæredatus est filius Dei ex semine Dauid: frustrata est illa patris cęlestis promissio, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, possessionem tuam terminos terræ. Aut si respondeant, hoc enim supereſt, doctrinam Lutheri antiquã esse, & ab initio traditã, postea intermissam, postremo à Luthero reuocatã, ostendant eam Celſ. V. in antiquis non damnatis; proferant vnũ tantum veterem auctorem, qui eam cõmendet. Si enim Celſ. V. curã habet in ditione sua, vt reddatur vnicuiq;, quod ei debetur, sicut Apost. ait, cui tributum, tributũ; cui vectigal, vectigal; cui timorẽ, timorem; cui honorem, honorem; cur exemplo de se sumpto, non iudicabit quod iustum est in ijs, quæ ad Deum pertinent? vt sicut sibi pendi vult, quæ sibi debentur, tributa, vectigalia, honor, & timor, sic etiam in primis curet, & laboret, vt quod Dei est, Deo soluatur; ne maior ratio Cęsaris, ideſt, domini huius sæculi habeatur, quam Dei nostri regis sæculorũ. Populos Celsitudinis. V. ab initio Germanicæ christianitatis Ecclesia Romana parturiuit, & pepit, & lacte apostolicę doctrinæ in sinu & gremio suo aluit, & more, ac disciplina sua in manu nutricij apostolici sancti Bonifacij educauit, ætate nostra fur & latro è gremio & sinu matris Ecclesiæ diripuit, & abstraxit. Et patietur hoc Celſ. Vestra? direptos & abstractos retinebit? non restituet? hanc iniuriam, & violentiã in re sua dissimularet? est ne hoc, quod iustus Iudex, & vitæ ac mortis Dominus iubet, quod iustũ est, à se ipso iudicare? Postremo, etsi hoc iudicare quod iustum est à se ipso, pluribus exemplis à me hactenus expositum est, non prætermittam duo exempla in eodem loco Euangelij à Domino commemorata huc magnopere pertinentia, alterum est de ijs, qui, sicut ait euangelium, faciem cæli, & terræ probare sciebant, vt ex nube ad occasum oriente, tanquã ex signo de pluuia veniente iudicarẽt, & ex austro flante de æstu. Qui enim ex signis istis sensui subiectis de aduẽtu æstus, & pluuiæ iudicabant, iustũ erat, vt ex doctrina Christi, quæ erat aqua sapientiæ salutaris & viuificæ, qua mentes irrigatæ fructus vberrimos omnium virtutum ferebant, & ex miraculis, quibus doctrina cõfirmabatur, quę in cordibus infideliũ frigidis, instar austri venti calidi fidem ęstu quodem amoris inflãmabant, tanquã ex signis humanæ menti cognatis de aduentu, & præsentia Christi iudicarent. Transferamus hoc exemplũ iusti iudicij ex signis faciẽdi ad rem nostram. Notemus signa quędam pauca, ne omnia nunc dicamus, ex quibus plane Celſ. V. iudicare debet doctrinã, quę in nostris Ecclesijs per totũ orbem diffusis, est, veram & apostolicam esse, & hanc esse Catholicam. hæc enim est quæ semper à tempore Apostolorum ab hęresibus diuersis temporibus oppugnata fuit, nunquã tamẽ superata, sed ipsa potius omnes superauit,

deleuit, extinxit, etsi. n. Hæresim Lutheri nondum expugnauit, quia ad huc oportet, sicut Apost. ad Cor. scripsit, hæreses esse, vt q̃ probati sunt, manifesti fiant in nobis: satis tamẽ apparet properare eam ad interitũ, si quidem dum varias cauillationes Lutherani contra Catholicorum libros & vias subterfugiendi, & elabendi, vt sunt lubrici, quęrunt, quia vt ait diuinus Dionys. in Diuinis nom. c. vi. ignorantia est causa mutationis, & diuisionis, & nihil errore inconstantius, & mutabilius, tam multiformis facta est Lutheri secta, & in tot sectas multiplicata, vt difficile sit eas enumerare. In his sectis alij alios hęreticos cõpellant, & tam acriter interse pugnant, vt non opus sit externo milite ad eos debellandos, nec alijs hostibus quã eisdẽ ipsis interse. Quã autẽ verum sit hoc de multiplicib. sectis Lutheri & earũ interse pugna, & de crebra dogmatum mutatione, si Cels. V. scire cupit, legat, & fortasse iam legit, Fredericũ Staphylũ de concordia Lutheranorũ: in ecclesia aũt Catholica per cunctas terrarũ oras propagata oẽs eandẽ doctrinã profitẽtur, oẽs idem dicunt, & prædicãt. Omnes episcopi Catholici semper, & vbiq; vigilãti cura excubãt, vt vna sit omniũ fides; & in ea nulla penitus dogmatum discrepantia. A testibus, cum in iudicijs & quæstionibus interrogãtur, si verbo titubatũ est, non creditur dici verum, & Modestinus iurisc on. testes, inquit, qui aduersus fidem testationis suæ vacillant, nõ sunt audiendi. Quibus aũt tẽporibus, & in quibus libris, & quæ dogmata sua Lutherus, & quoties variauerit, ac mutauerit, prætereo, ne longũ fiat, habet Cels. V. ab eodem Staphylo Prusiensi ex parte obseruatum, vbiq; extat liber. Hypocritæ, inquit, Dominus, faciẽ cæli, & terræ nostis probare, hoc autẽ tempus quomodo nõ probatis? haud secus cogitet Cels. V. dicere Dñm, fidẽ testimonij, quod quis dixerit, in rebus vestris nostris probare, si. n. titubanter, & vacillans testimoniũ dixerit, nõ putatis audiendũ esse; quomodo idem hoc tẽpore in dogmatibus fidei nõ facitis? cur ex incõstantia dicentis testimoniũ falsitatẽ eius nõ dijudicatis? Deinde, si euangeliũ, sicut Dñs in euangelio Matthæi dixit, prædicandũ est in vniuersõ orbe in testimoniũ omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio, & iam nos oẽs, in quos fines seculorũ, sicut apost. ait, deuenerunt, audimus, legimus, videmus euangeliũ, quod nobis prædicatũ est, vbiq; prędicari, euangeliũ verò Lutheri tantũ abest, vt vbiq; prædicetur, vt finibus Germaniæ vix excesserit, imò nec eã totã occupauerit, an nõ est hoc signũ euidens, & omni luce clarius doctrinã sectæ Lutheranæ nõ esse euangelicã, vt ipsi Lutherani falsò vocant? si enim euangelica est, quõ ab omnibus ecclesijs cuncti orbis, vbi euangelizatum est, anathematizatur? confirmat hoc idem apost. cum pręcipit Corinthijs, vt mulieres in ecclesia nõ doceant, sed taceant: cõformat enim orationem, quasi aliqui contradicerent, qui non existimarent decere, vt in ecclesia mulieres silerent. Arguens igitur eos, an à vobis, inquit, verbum Dei processit, aut ad vos solos peruenit? vt perinde sit hoc, ac si diceret,

an vo-

an vos estis primi magistri,& à vobis prædicatio euangelij ad reliquos manauit? aut ad vos solos deuenit prædicatio, vt non oporteat, q̃ alijs ecclesijs prædicatum est, recipere,& sequi? sic veteres interpretati sunt, Chrys. Theodor. Theophyl.& alij. Hæc eadẽ Pauli in Corin.argumentio doctrinã Lutheri redarguit, & falsam esse cõuincit. Siquidẽ Lutherus nõ fuit primus in ecclesia prædicator euangelij, nec in sola Germania prædicatũ est euangeliũ, debuit igitur Lutherus prędicare, sicut in alijs ecclesijs cuncti orbis, ad quas prædicatio euãgelij deuenit, prędicabatur. Hoc aũt cùm nõ fecerit, sequitur, suũ fuisse, & à se inuentũ euãgelium quod in ecclesijs Germanię prędicauit. Si enim Celsꝰ. V. aliquod genus indumenti in Germania videret, quod nusquã aliàs in vniuerso orbe esse, aut fuisse vnquã audiret, an nõ certus esset, id indumenti genus in sola Germania inuentũ, & excogitatũ esse? idem Celsꝰ. V. iudicare debet de euãgelio, quod Lutherus euãgelizauit. Habetis enim clarissimũ indicium nouitatis, & peregrinitatis eius; vosq̃ esse, qui noluistis audire apostolũ, cũ in epist. ad Heb. scripsit, doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, siue circũferri, neq̃ declinare eos, quos idem in epist. ad Rom. monuit, cũ ait, declinate ab eis qui dissensiões, & offendicula præter doctrinam, quã vos didicistis faciunt. Pręterea, si ista disciplina Lutheri amplectẽda est ab omnibus tanquã catholica, interroget Celsꝰ. V. ministros suos, quibus miraculis eam Lutherus confirmauerit. Doctrina enim euãgelica, q̃ ab initio omnibus ecclesijs per S. apostolos tradita est, miraculis eorũ est confirmata. Qui. n. in epist. ad Rom. scripsit, nõ erubesco euangelium, quod est in salutẽ omni credenti, de illa ipsa salute euangelica loquens in epist. ad Heb. sic ait, quõ nos effugiemus, si tantã neglexerimus salutẽ, quæ cũ initiũ accepisset enarrari per Dominũ, ab ijs, qui audierunt, confirmata est in nobis contestante Deo signis,& portẽtis,& varijs virtutibus,& spiritus sancti distributionib. Doctrinã verò Lutheri cum nõ possint probare Lutherani annunciatam esse à Christo, & auditã ab apostolis, siquidẽ non vbiq̃ sonat, sicut vbiq̃ prędicauerũt apostoli, sed in sola Germania, sequitur, miracula apostolorũ quibus Deus eorũ prędicationem vbiq̃ comprobabat, non pertinere ad Lutheri doctrinã, nisi forte in sola Germania apostoli p̃dicauerunt. Hoc enim si probauerint, probatũ erit, oportere oẽs mundi ecclesias Lutheranas fieri. Interroget etiã Celsꝰ. V. ministros istos suos euangelicos, an in virtute euangelij, quod Lutherus prędicauit, & suæ Germanię tradidit, dæmones ex corporib. hominũ, sicut in euangelio legimus, hodiè expellant. Narrat Staphylus & Surius, quid Luthero acciderit, cũ quendã energumenũ ad se adductũ liberare voluit; quãtus eum horror, & trepidatio inuaserit. Lepida est historia, legat, si libet. expertus est miser virtutẽ euangelij sui; vt non opus sit alio experimẽto eius q̃ in eo loquebatur spiritus immunditię. In nostris verò ecclẽsijs quotidie videre licet expelli dęmones ab exorcistis. Sed cũ Celsꝰ. V.

audierit ministros suos hoc genus miraculi eijciendi dæmones, aut contemnere, aut extenuare, vt eorum sermonem impiũ retũdat, obijciat eis, quæ ad nostram eruditionem, & istorum cæcam impietatem redarguendam in euangelio Marci scripta sunt de spiritu immũdo illius hominis, qui erat in synagoga. Postquã iussit Dominus spiritui immundo exire, inquiens exi de homine: Et discerpens, inquit, eum spiritus immũdus, & exclamans voce magna, exijt ab eo, & mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se dicentes, quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate & spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Hoc etiam modo, & forma imperãt nostri exorcistæ dæmonibus, exi, inquiunt, hoc interest, quod Iesus potestate sua tanquã Dominus omnis creaturæ iubebat exire; nostri verò exorcistæ tanquã ministri tantũ in nomine Domini Iesu, & in virtute euangelij, quod profitentur. Quod si illos expulsio dæmonũ in admirationẽ potestatis, & doctrinæ, quã Christus prædicabat, adducebat, idq; euangelista ad nostrã vtilitatem, & eruditionem narrat, profectò expelli dæmones ab ijs, qui euangelium nostrũ profitentur, & non ab ijs, qui se euangelicos vocant, & Lutheri doctrinã sequuntur, euidens indicium est, doctrinam euangelij nostri, doctrinam Christi esse; Doctrinam verò Lutheri non Christi, sed satanæ esse. si enim satanas satanam eijceret, aduersus se diuisus esset, dixit Dominus in euãgelio Matth. Si autem, inquit, ego in spiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit ad vos regnũ Dei. Sic igitur licet nobis argumentari, sicut Dominus hic docuit, Si nos in nomine Christi, quẽ p̃dicamus & in virtute euangelij eius, quod nobis traditum est, & profitemur, eijcimus dæmones, igitur peruenit ad nos regnũ Dei, id est, cælestis doctrina euangelij Christi. Contra verò, si in ecclesijs Germaniæ Lutheranis in nomine Christi, quem Protestantes prædicant, & in virtute euangelij, quod Lutherus ejs tradidit, nõ eijciuntur dæmones, igitur non peruenit ad eas ecclesias in doctrina Lutheri regnum Dei, id est, doctrina Christi, sed doctrina satanæ, qui nõ eijcit satanã, alioqui regnum eius non staret. Alia p̃scriptio & quidem euangelica aduersus hæreticos est, ex fructibus eorũ cognoscendos esse. culturã enim arboris, ait scriptura Eccl. c. 27. ostendit fructus, taceo bella, cædes, strages populorũ, tot sectas odijs, inimicitijs, & contentionibus grauissimis flagrantes, quæ ex Lutheri euãgelio tanquam ex equo Troiano prodierunt. Legat Cels. V. sermones conuiuales Aurifabri discipuli, & familiaris Lutheri, quos ex gestis, & dictis eius collegit, & Germanicè scripsit, vt cognoscat, quàm dissoluti mores, quanta in eo linguæ petulantia, quanta obscœnitas verborũ, q̃ iocularis, & scurrilis disciplina, quanta ei cum dæmone vt amico familiaritas, quantus contẽptus omnium sanctorum doctorũ, quanta irrisio euangelicæ, & Apostolicæ institutionis. Vertuntur nunc hi sermones è Germanico in Latinum à quodam pio & erudito viro, vt vulgentur omnibus, vt quos nõ pudet doctrinæ, pudeat saltem doctoris. Hactenus de p̃scriptionibus, quibus Cels. V. ministros suos,

qui

qui eam & populos eius decipiunt, sine scripturis reuincere, & quod primum, ac potissimũ est, in se ipso vinci potest, & debet. Sic enim Esaias cũ hortatur gentes, vt ad veram fidem in vniuerso orbe prædicandam relicto errore veniant, cognoscite, inquit, gentes, & vincimini; & audite vsq; ad extremum terrę. Quem locum explanans B. Basilius, vox, inquit, lætitiæ, & exultationis plena eorum, qui aduentũ Christi cognouerunt, hortantium alios, qui non cognouerunt, vt cognoscant, patiantur q; se sicut apost. ait, captiuos duci in obsequiũ Christi, quæ est vera libertas à lege, & seruitute peccati liberans. Vincuntur autem sic gentes, quomodo vincuntur tenebræ præsentia luminis; & morbus sanitate. Cognoscite veritatem gentes, & iam pulcherrimè victæ estis. Hactenus Basil. Ad hunc igitur modum cogitet Cels. V. dici sibi à propheta, cognoscite veritatem, & vincimini in vobis. Sic ministros suos, & se sine scripturis vincet. Nos verò, qui scripturarũ scientiã, & cognitionem, quantulacunq; est, profitemur, cum illis ipsis ministris, & doctoribus, quia scripturas etiam licet studio sensus carnis suæ profitẽtur, per lineas scripturarum sigillatim in locis omnibus, qui ab eis iactantur, vt hactenus egimus; sic quoq; in hoc libro agimus; & deinceps si opus erit, agemus. nõ enim in causa Dei, & pro Deo silere possumus. Nunc autem, quia vereor ne modum excesserit epistola, vt tandem finiam, quoniam principes, quisque in ditione sua, reges quidam, & iudices populorum suorum sunt, rem totam verbis sapientię diuinæ, quæ spiritus S. Salomoni dictauit, perorabo, melior est, inquit, sapientia, quam vires, & prudens, quam fortis. audite ergo reges, & intelligite; discite iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est vobis à Domino potestas, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, neq; custodistis legem iustitiæ; neq; secũdum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & cito apparebit, quoniã iudicium durissimũ ijs, qui præsunt, fiet. Exiguo autem conceditur misericordia, potentes aũt potenter tormenta patientur. Non metuet personã cuiusquã Deus, quoniam est omnium dominator; neq; verebitur magnitudinẽ cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Illam sapientiam dicit, qua sanctus vir Iob pietatem, qua vultus Dei continetur, definiuit, cum ait, pietas sapientia est, & abstinere ab omni malo scientia. Coli aũt sine recta fide nõ potest, neq; sapientia ista disci sine timore Dei, qui est initium eius; hunc time, ait Ecclesiastes, & mandata eius fac, hoc est omnis homo. Habet Cels. V. non longè à ditione sua regem Suetię, qui vt hanc sapientiam discat, & rectam fidem ad colendũ Deum habeat, ne excidat, & vt regnũ ex toto reddat Catholicum, sicut ante hæreses erat, ministros verbi Dei ab Ecclesia Romana iam petiuit, & missi sunt. O præclarum,

clarum, & diuinũ factum tanto rege dignum, & immortali præmio vitæ beatæ & sempiternæ in cælis remunerandum. Hunc Celſ. V. ſequatur, petat etiam ipſa epiſcopum, vt qui fuerint ab eo ordinati, poſsint miniſterio verbi Dei inſiſtere, peccata confitentibus remittere, Euchariſtiam conſecrare. Miniſtri enim ex origine Lutheri profecti, quia ille non fuit epiſcopus, ſed presbyter tantum, & ob eam cauſam ordinare non potuit, nihil horum facere poſſunt, non magis quam Celſ. V. quia æquè ſunt meri laici. Caueat igitur, ne ſi hoc, quod dico, non fecerit, illam horribilem accuſationem ante tribunal Chriſti audiat, quam paulò ante ex ſapientia Salomonis audiuit. Quod cum eſſetis miniſtri regni illius, nõ rectè iudicaſtis, neq; cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neq; ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. De illa iuſtitia, & de illo iuſto iudicio loquor, non in quo ius ciuile verſatur, & cernitur, cui credo præeſſe idoneos viros in ditione Celſ. V. & vnicuiq; ius ſuum reddi, & leges ciuiles, quæ iuſtæ ſunt, ſeruari, ſed de illo iuſto iudicio loquor, q̃ per omnes partes epiſtolæ meæ vrgeo, & premo, de quo Dñs in euangelio Lucæ omnes admonuit, inquiens, Quid autem & quod iuſtum eſt, à vobis ipſis non iudicatis? ex quo iudicio noſtra omnium cauſa pendet, vt abſoluamur, vel damnemur. Alterũ enim exemplum præter illud, quod dixi de ijs, qui faciem cæli, & terræ probare norunt, quo Dominus in eodem loco euãgelij docuit, quod iuſtum eſt à ſe ipſo iudicare, eſt eius, qui litem, quæ ſibi cum aliquo eſt, priusquam iudicium pronuncietur, prudenter dirimit, dum in via eſt. Sic monet Dominus, faciendum eſſe nobis, ſi ſapimus, vt antequã à vita recedamus, qui rei ſumus, & aduerſarium ſatanam habemus, cum quo omnes litigamus, demus operam, vt ab eo nos liberemus, & vindicemus; ne ſi rationes noſtræ non fuerint prius benè confectæ, & res ad concordiam adducta, trahamur ad iudicem, & iudex tradat exactori, & exactor mittat in carcerem, dico enim, inquit, tibi, nõ exies inde, donec etiam nouiſsimum minutum reddas: ego, ne hoc Celſ. V. eueniat, quod opto & cupio, feci quod in me fuit, ſupereſt, vt caueat ipſa, ſicut Apoſtol. in epiſtola ad Heb. præcipit, ne deſit gratiæ Dei, malitq; eſſe prudens, quàm fortis, ſicut paulò ante Salomon in ſapientia monebat. Vt, ſicut eccleſiaſticus ait, timẽti Deum benè ſit ei in extremis, & in ſenectute bona, & plenus dierum cum patribus & maioribus ſuis Marpurgij ſepeliatur, & cum eis cæleſti & ſempiterna, ac beata vita fruatur.

Fælicitatis ſempiternæ Illuſtriſs. C. V.

Cupidiſsimus & ſitientiſsimus

Franciſcus Turrianus Societatis Ieſu.

FRAN-

FRANCISCI TVRRIANI, SOCIETATIS IESV, ADVERSVS NVGATORIAS CAVILLATIONES ANTONII SADEELIS LVTHERANI, DEfensio locorum Scripturæ, S. de Ecclesia Catholica visibili, & eius Pastore Episcopo Romano, beati Petri principis Apostolorum successore.

CVM videret Antonius Sadeel Andreã Freihubium labare, & succumbere, accurrit tanquam adoptatus patronus, & illius causſam & suam suscepit; respondit itaque ad ea, quæ contra capita Lypsicæ disputationis Andreæ Doctoris pridem scripseram, atq; ita respondet, vt in eo tantùm laboret, nõ quomodo sua probet; quod illi studendum erat; sed quo modo, si fortè posſit, nostra redarguat. Quod etsi assequi non potuit, ne tamen ignaros fallat, & per imperitiam nonnullis, eorum, quos decipit, fortaſsis assecutus esse videatur; non potui dissimulare, etsi optabam, quin ostenderem non redarguisse; sed reprehendisse. Ille enim alterum redarguere existimandus eſt, qui errasse conuincit; reprehendere verò quiuis facilè poteſt etiam τὰ ἀνεξελέγκτα, id eſt, quæ redargui non possunt, & eo facilius, quo minùs intelligẽs sit. Reprehendit autem iste, sicut hæretici solent, & beatus Petrus de eis scripsit, deprauando, & peruertendo locos Scripturæ sanctæ, quibus vsus sum, quos ego adiuuante Dei gratia, ita à deprauatione eius defendã, vt istius, qui, vt Iannes & Mambres, veritati resistit, insipientia sit omnibus nota, sicut & illorum fuit. Ergo quia argumenta & rationes ex locis scripturarum à me conclusas sophismata vocat, quæ se dicit soluere, attingam, quàm breuissimè potero, quæ iste reprehendit, & quæ à me requirit, vt planè appareat, non redarguisse falsum, sed reprehendisse verum.

Quomodo redarguatur Antonius in eo, quod frustra requirit de homonymia nominis Ecclesiæ explicanda. Et quomodo ipse in explicatione eius, quam tentauit, peccet, significationibus varijs huius vocabuli prætermissis, & ignoratis.

CAPVT PRIMVM.

SEquar ordinem tuum & locorum recitationes, locus, inquis, primus Matth. 18. Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, &c. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Sophisma Turriani, Ecclesia est cœtus, & congregatio fideliũ, qui in nomine Domini congregantur, qui ab Episcopo suo congregantur; atque ita, vt Ecclesiæ, quæ vna Catholica est, & Pręposito eius, nempe Pontifici Romano adhereãt, quod cum de Protestantium Ecclesijs dici non possit, efficitur eas nõ esse veras Ecclesias; & ordinationes, quæ in illis fiunt, nõ esse Ecclesiasticas. *Reprehendit hic Antonius, quod Ecclesiam definiens, homonymiam vocabuli non remouerim. Seruatibi Antoni istã methodum cum in gymnasio de Ecclesia, & ratione eius docebis. mihi verò scribenti satis visum est, si ecclesiæ vocabulo vterer, vt in loco Euangelij à me proposito, & à te recitato vsa est scriptura. Quod tu etiam nesciens, & nolens approbas; & te male reprehendentem reprehendis, discussis enim, vt loqueris, homonymijs, sic intulisti,* restat igitur, vt eam definitionem proponere volueris, quæ vnicuiq; ex particularibus Ecclesijs conueniat. *Ita est, vt tu dicis, & colligis, cur igitur reprehendis, si te homonymia non impediuit, quo minùs intelligeres, cuius ecclesiæ definitionem proponere voluerim? Subiungis deinde,* hoc igitur primũ requiro in tua definitione, quod non addideris te de visibili Ecclesia loqui, vt omnis homonymia tolleretur. *Si locus Euangelij, dic ecclesiæ, & quæ sequũtur, vnde tu definitionem ecclesiæ ductam à me esse agnoscis, & fateris, non potest nisi de visibili ecclesia accipi, quid à me requiris, quod iam habes? quis enim loquitur Ecclesiæ inuisibili? aut quis videre potest in hac vita iectos per excommunicationem ex ecclesia inuisibili? deinde tu ipse*

pse con fiteris, definire me Ecclesiam fidelium cœtum, & congregationem factam ab episcopo sub vno visibili capite, nempè Pontifice Romano, sic enim scripsisti. Si igitur caput Ecclesiæ, quã, te etiã assentiẽte, definio, visibile est, non potest reliquũ corpus esse inuisibile, quale vos necesse est ponere, qui caput solum inuisibile, quod est Christus, contra scripturam ponitis. Prætereà, cum dixi, vt tu de meo libro recitasti, ita cõgregari fideles in nomine Domini ab episcopo suo, vt ecclesia existat, si modo Ecclesiæ, quæ vna est catholica, & præposito eius nempè pontifici Romano adhæreant, an nõ clare dixi, ecclesiã esse cœtũ visibilem fidelium? alioqui quomodo poterat dijudicari, vtrum pontifici adhærerent? Sed quod diuisionẽ Ecclesiæ prætermiserim, malitiosè à me factũ esse, Antonius interpretatur, Sic enim ait me alloquẽs, data ,, opera ita loquut⁹ es, vt quoties, ea quę sunt electorũ Ecclesię ,, propria, cũ ecclesia visibili cõfunderes, faciliùs posses sub ve ,, lo ὁμονυμίας latere. *Si tu videri volebas non hoc malitiosè potiùs fin ,, xisse, debebas locũ notare, vbi hoc artificiũ meũ, quod cõmentus es, appareret. Illud magis verũ esse manifesto apparet, te, cum nihil solidi, & expreßi haberes ad respondendũ, diuerticula quæsisse, & artẽ diuidẽdi prius, ꝙ definiendũ est, ibi requirere, vbi nõ opus est; vbi scilicet iã constat, quid definiatur. Si enim ex loco Euangelij à me exposito, & à te ex parte reciato definitionẽ, vt paulò antè dixi, & ipse confiteris, collegi, liquet iam eam ecclesiã me definisse, cui cõgruat, quod in ipso Euangelij loco est, dic Ecclesiæ. Nõ est igitur, ꝙ reprehendis, artẽ à me requirere; sed velle sic tuos decipere, quare vocemus istã tuã reprehensionẽ, quia Græcis delectaris,* ἀφιλότεχνον φιλομεθόδειαν. *Sed quia putas te rectè diuisisse Ecclesiã, & homonymiã sustulisse, quod te requirere dicebas, redarguendus es: vt incipiã præstare, quod paulò suprà promisi, id est, vt incipiat apparere omnibus insipientia tua. Non enim rectè diuidit, qui diuisionem non absoluit; quia donec diuisio siue distinctio non est absoluta, homonymia nondũ est sublata. Tu igitur vt homonymiã vocabuli Ecclesiæ tolleres, primũ, inquis,* significat congregationẽ electo ,, rum Dei, *vt 1. Tim. 3. Eph. 1. & 5. Sed de his locis à te obseruatis mox ,, viderimus. Deinde, inquis,* Ecclesię nomen tribuitur singulis, & ,, particularibus ecclesijs, in quibus ordo Ecclesiasticus ex Dei ,,

EX LIBRIS Nr

» verbo institutus est; cuiusmodi fuit Ecclesia Corinthiorum,
» Ephes. &c. Atq; ita poscente vsu loquendi nomen Ecclesiæ
» indefinitè vsurpatũ significat vnamquãq; ex particularibus
» Ecclesijs, vt 1. Corin. Estote sine scandalo Iudæis, & Græcis,
» & Ecclesiæ Dei. *Deinde quasi totam iam diuisionem absoluisses, & omnem homonymiam huius nominis explicasses, Hæc, inquis, de nomine Ecclesiæ. Sed quare Ecclesiam, quæ in cælis est, prætermisisti? quam Ioannes vidit descendentem è cælo in secundo aduentu. Ita enim interpretatur Andreas Cæsariensis in comment. in Apocalyp. Irenæum, & Methodium secutus: sic etiam intellexit Eusebius Alexandrinus in Homilia, quæ Græcè extat, de secundo aduentu; ad hanc ecclesiam cælestem accessimus, scilicet per communionem Sanctorũ, quam in Symbolo fidei confitemur, sicut Paulus in Epistola ad Hebræos, sed accessistis, inquit, ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalẽ cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, huius Ecclesiæ cælestis, in qua sunt spiritus iustorum perfectorum; id est sanctorum, pars sunt iusti ecclesiæ, quæ in terris est, sicut Apost. in epistola ad Coloss. gratias, inquit, agentes Deo, & patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: sortem sanctorum vocat beatitudinem sanctorum, ad quam nos, vnusquisq; ad partem suam vocati sumus per regenerationem ex aqua & spiritu S. Baptismum enim vocat lumen, sicut aliâs solet, vt in epist. ad Heb. c. 6. & Diony. Areop. & Clemens Romanus, & alij deinceps eos secuti sancti patres, Greg. Nazian. Athan. Basil. & cæteri, ne omnes enumerem, sic vocant, quod in baptismo lumen fidei cum spe & charitate infundatur, in quo & adoptamur à Deo patre, & secundùm spem viuam & communionem Sanctorum iam sumus ciues Sanctorum, & domestici Dei, translati in regnũ Christi filij Dei, sicut statim subiungit idem Apostolus, qui eripuit nos de potestate tenebrarũ: istis tenebris spiritualibus opposuit illud lumen superius; & transtulit, inquit, in regnum filij dilectionis eius, & quæ sequuntur. Dicat bellus Antonius, quare in explicatione homonymiæ Ecclesiæ præteriuit istam cælestem, quæ communi etiam Ecclesiæ nomine vocatur, alius tamen sta-*

Quomodo explicatio homonymiæ vocabuli ecclesiæ à Sadeele facta manca & inabsoluta sit.

Ecclesia in cælis.

tus

tus & alia ratio eius est, quàm est Ecclesiæ quæ in terris quæ adhuc pugnat, cùm illa triumphet. Respondebit fortassis Antonius, idcirco præteriisse, quia huic disputationi non conueniebat, sic enim ait Anto. Itaq; nomen ecclesiæ (quatenus quidem huic disputationi, conuenit) à sacris Scriptoribus variè solet vsurpari; Deinde, subiungit, primum enim significat congregationē electorū, Dei, &c. *Paulò ante reprehendebas, quòd in definitione Ecclesiæ nō dixissem, congregatio, & cœtus visibilis, ad quod iam responsum est tibi, de Ecclesia igitur visibili, vel testimonio tuo quæstio est, & de quo quæstio est, de eo disputatio. At Ecclesia, electorum Dei congregatio, non est visibilis; non igitur huic disputationi conuenit. Debuit ergo præteriri à te: aut si non debuit; nec illa cælestis præteriri debuit. Vt es acutus, tu reperies, quomodo hoc ἀφυκλον expedias. Præterea, licet vna fuerit, & sit à principio vsq; ad finem Ecclesia, substantia, & numero eadem, nullis temporibus, neq; seculis, neq; gētibus, neq; locis definita, cuius forma est vnus spiritus fidei; aliter tamen fuit in lege naturæ disposita; aliter in lege Moysis; aliter in Euangelio: huiusmodi autem varia, & diuersa dispositio, cum forma quædam sit, facit, vt alia sit ratio dispositionis Ecclesiæ in lege Naturæ; alia in lege Moysis, alia in Euangelio; sicut alia est ratio liminis, id est, ligni sic siti; & alia ligni. Limen enim est, vt Philosophus in viij. libro primæ philosophiæ tradit, lignum sic sitū, in ianua scilicet, id est, infrà, aut suprà. Quare cū sic hic alia, atq; alia ratio dispositionis ecclesiæ, nomē tamē Ecclesiæ vnū; sequitur has tres Ecclesiæ formas homonyme signari vno nomine cōmuni Ecclesiæ. Tollēda igitur erat à te ista homonymia, ne in te necessariò desideraretur; q; à me inaniter, & superuacaneè requirebas: tu enim supplere voluisti, quod à me malè prætermissū esse reprehēdebas, & debebas exequi propositū; & in eo satisfacere nobis: mihi verò non opus fuit, vt anteà dixi; quia quā Ecclesiā definirem, locus Euangelij propositus declarabat. Neq; enim respondere potes, non conuenire huic disputationi distinguere ista, quæ modo distinxi: tibi autem propositum fuisse, nomē Ecclesiæ explicare, & homonymiam tollere, quatenus quidem huic disputationi conuenit; sic enim scripsisti. Immò verò, Antoni, huic disputationi magnopere hoc, quod à te hic requiro, conueniebat, An-*

Quomodo secum pugnet Antonius.

Quæ significata prætermiserit Antonius in explicatione homonymiæ vocabuli ecclesiæ à se susceptæ.

Ecclesia ante legem

Ecclesia legis Moysi.

dreas enim Freyhubius Lypsiensis academiæ Doctor, contra quem disputo, & cui tu labanti subsidio accurristi, vt caput visibile Ecclesiæ catholicæ tolleret, & probaret non esse necessarium, sic argumentabatur, ante datam legem fuisse Ecclesiam Sanctorum Patrum, neque tamen tale quoddam caput Ecclesiæ habuisse, quale fuit Pontifex. hoc tu quin in posteriore disputatione Andreæ Freyhubij legeris, negare non potes, licet dissimules, respõsum à me est ad argumentũ, cũ ait Andreas
» » ecclesiam sanctorum patrum Ecclesiam fuisse, idq; à me cõ-
» » cedi, non tamen tale quoddam caput habuisse: fateor, erat illa quidem sanctorum patrum ante legem Ecclesia; sed non erat tunc ea dispositio, & forma Ecclesiæ veteris, vt caput haberet Aaronicum; neq; ea dispositio, & status nouæ ecclesiæ Euangelicæ, vt haberet Pontificem, cuius typus fuit Aaron. Satis ne vides iam, quomodo huic disputationi conueniebat homonymiam istam explicare, quod loco suo feci? hoc te facere oportuit, qui artem nobis definiendi Ecclesiam, proponere voluisti. Sed veniamus iam ad Ecclesiam catholicam per vniuersum mundum propagatam, & diffusam secundum promissionem Dei, quæ Ecclesia est hæreditas Christi filij eius, & perire non potest. Quare Antoni, cum homonymiam nominis Ecclesiæ aperuisti, congregationem visibilem fidelium per omnes mundi oras, & cæli plagas fusam, quæ Ecclesia dicitur, & est, prætermisisti? cuius ratio, & si non alia est, quam particularis Ecclesiæ; quæ, quia potest non esse pars illius vniuersæ, & generalis, potest interire, vt fit apud hæreticos, Ecclesia tamen catholica, Christi hæreditas supra petram fidei beati Petri, & successorum eius ædificata à Christo est, quæ interire non potest; sicut Christus Patrem rogauit, & ipse promisit inquiens, & portæ inferi non præualebũt aduersus eam. An dicturus es, non conueniebat huic disputationi scire hanc significationem nominis Ecclesiæ? scilicet conueniebat scire, quod Ecclesia significat primũ congregationẽ electorũ Dei, vt tu dicis; sed non conueniebat disputationi, vt sciremus, quod Ecclesia significat vniuersam subter cælum congregationem fidelium ex omnibus vbique terrarum gentibus, quæ à Propheta magna Ecclesia vocatur & de qua omnes Prophetæ prædixerunt, quæ nunc secundum Apostolicam traditionem catholica dicitur; sicut doctrina eius item catholica, quæ

Ecclesia Catholica vbiq; diffusa quare ab Antonio prætermissa.

Ecclesia vniuersalis.

Ecclesia particularis

Ecclesia

Ecclesia est Christi possessio, & hæreditas. huius autem magnæ ecclesiæ quandiu filiæ, & partes sunt Ecclesiæ particulares, tam diu sunt vnum cum ea; & pastores earum vnum cum pastore Ecclesiæ huius magnæ; non iam multi greges, neque multi pastores, sed per cohærentiam vnus grex, & vnus pastor. Non hoc ego dico; sed magnus Cyprianus in libro de vnitate Ecclesiæ, qui falso antea inscriptus ferebatur de simplicitate prælatorũ. Quis, inquit ille, sic est sceleratus, ac perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, vt credat scindi posse, aut audeat scindere vnitatem Dei? vestem domini? Ecclesiam Christi? monet ipse in euangelio suo, & docet dicens, & erit vnus grex, & vnus pastor; & esse posse vno in loco aliquis existimat, aut multos pastores? aut plures greges? de quo autem vno pastore ad vnitatem Ecclesiæ necessario pertinente Christus in Euangelio Iohannis hoc dixerit, idem Cyprianus paulo supra exposuit, ne tu Antoni cauilleris, & ad Christũ pastorem, & episcopum animarum nostrarum, sicut apost. vocauit, statim referas: sic enim dixerat; tamẽ vt vnitatem Ecclesiæ demõstraret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipiẽtem, sua auctoritate disposuit, & rursus, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? quis autem esset iste, à quo vt vnitatis Ecclesiæ origo inciperet, dominus auctoritate sua disposuit, idem declarauit, cum paulo ante, vt probaret, ad veritatis originem esse hæreticis redeundum, & vnum caput quærendum, loquitur, inquit, dominus ad Petrum, ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam &c. Ecclesia igitur particularis, quæ Petrum in successore caput non agnoscit, ad vnitatem Ecclesiæ catholicæ per totum orbem fusæ non pertinet; contra verò, q̃ agnoscit, pertinet; & quia pertinet, licet Ecclesia particularis sit, per cunctum orbem diffusa est, quatenus pars est vnius Ecclesiæ catholicæ per cunctum orbem dilatatæ. tu, tu ergo Antoni data opera ecclesiam catholicam, cùm homonymiam huius nominis explicares, dissimulasti, quia Ecclesia Protestantiũ non potest demonstrari in vniuerso mũdo. Immo vix extra Germaniæ terminos; Immo nec in tota ipsa Germania. Neq; veritatẽ tenere, quãdiu ad originẽ veritatis nõ redit

Quomodo vnus grex, & vnus pastor; & non multi greges, & multi pastores.

Quomodo Cyprianus de origine vnitatis Ecclesiæ disserat Contra Protestantes.

Quomodo Ecclesia particularis, quę Petrum in successore caput nõ agnoscit, ad vnitatem Ecclesię Catholicę non pertinet.

Quare Antonius Sadeel in explicatione homonymiæ nominis ecclesiæ, Ecclesiã Catholicam p cunctũ Orbem diffusam prætermisit.

redit, id est, ad Petrum, qui sic est origo veritatis, quomodo origo vnitatis Ecclesiæ, & caput non quidem virtute propria. Sic enim Christus tantùm est caput super omnem Ecclesiam, & origo vnitatis Ecclesiæ, & veritatis; Petrus autem virtute participata, & à Christo Iesu communicata, qui sua auctoritate ita disposuit, vt ab eo inciperet origo vnitatis ecclesiæ, & caput eius esset, pro eius fide, ne deficeret, orauit; vt esset in Ecclesia Petrus visibilis origo veritatis fidei; & qui ab eo deficeret, iam vnam fidem non teneret, nec in Ecclesia Catholica,

Quomodo solus Christus est caput Ecclesiæ, & origo veritatis, & vnitatis eius virtute propria; virtute autem nõ propria. sed à Christo cõmunicata Petrus, & successor eius.

quæ vna est, reperiretur; vt Ecclesiæ protestantium accidit, quæ à Petro defecit in Petri successoribus, fidei Petri non deficientis & orationis Christi pro ea, hæredibus. Sed pergamus ad reliqua de nomine Ecclesiæ, significat enim Ecclesia congregationem fidelium, qui sunt perfectiores, qui alios prædicatione verbi Dei veluti parturiunt, & generant. Obseruauit hãc nominis ecclesiæ significationem magnus Methodius martyr in sympostio, siue conuiuio decem Virginum: sic enim ait, sæpè scriptura congregationem credentium vocat ἐκκλησίαν τῶν τελειοτέρων, κατὰ προκοπὴν εἰς τὸ ἓν πρόσωπον καὶ σῶμα τὸ τῆς ἐκκλησίας ἀναγομένων· οἱ μὲν γὰρ κρείττονες, καὶ γενότερον ἁπάσαντες ἤδη τὴν ἀλήθειαν, οὔτι διὰ τὴν τελείαν κάθαρσιν καὶ πίστιν ἀποσφρωθέντες τῶν σαρκὸς ἀποκυημάτων, ἐκκλησία γίνονται, καὶ βοηθὸς τῷ χριστῷ παρθένος, ὡς κατὰ τὸν ἀπόστολον ἁρμοσμένοι καὶ νυμφευθέντες, ἵνα καθαρὰν διδασκαλίαν, καὶ πολύφορον σπέρμα συλλαβόντες συνεργάζωνται συνεργοὶ κηρυγμάτων εἰς τὴν τῶν λοιπῶν σωτηρίαν γινόμενοι. *Interpretemur latinè; vocat inquit Ecclesiam perfectiorum, qui propter progressum factum, in vnam personam & corpus Ecclesiæ referantur. Qui enim sunt præstantiores, & iam veritatem dilucidiùs hauserunt, hi propter perfectam purgationem, & fidem, carnis fœditate priuati, Ecclesia fiunt, & virgo adiutrix Christi, tanquam aptati, & desponsi, sicut Apostolus ait, vt pura doctrina, & fœcundo semine concepto, adiutores prædicationis ad aliorum salutem efficiantur. Subiungit posteà, imperfecti autem, & incipientes discere, parturiuntur, & formantur à præstantioribus, tanquam à matribus; donec editi in lucem regenerentur in magnitudinem, & pulchritudinem virtutis. Et rursus ijdem,* καὶ πρόκοπὴν ἐκκλησίας γενόντες, εἰς ἕτερον τόκον ὑπεργήσωσιν τέκνων καὶ ἀναζοφὴν μήτρας δίκλων ἐν τῷ δοχείῳ τῆς ψυχῆς τὸ θέλημα τελεσφορήσαντες ἀλάβητον τῷ λόγῳ. *Id est, & rursus donec, ijdem facti ecclesiæ*

ratio-

ratione progressus, ministros se præbeant ad alterum partum, & educationem filiorum, cum in receptaculo animæ tanquam in vtero ad maturitatem perduxerint, quod verbum Dei vult, & requirit. Quòd verò scriptura huiusmodi ecclesiam perfectiorum ponat, in epist. Pauli ad Corinth. 2. obseruauit Methodius, cum ait, despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo. Quem locum Theodoretus in Cõmentarijs suis explanans, ecclesiam, inquit, vocauit Virginem, à puritate, & integritate fidei; non enim omnes qui credunt, virginitatis institutũ tenẽt; oportet tamẽ, vt cuncti castè, & purè fidẽ seruent. Sic etiam accepit beatus Basilius in Cõment. in Esaiam, c. 1. συνεμυφεύθη inquit, Ecclesia τῷ λόγῳ τῆς πίστεως, id est, desponsa est ecclesia verbo fidei à principio secundum traditionem eorum, qui eam exhibuerunt vni viro virginem castam; quare danda, inquit, est opera, ne doctrina illa fidei relicta, ac semine verbi legitimo, varia semina ab adulteris excipiat, hactenus Basilius. Verùm huiusmodi Ecclesia perfectiorum facilè potuit à te Antoni præteriri; quia non disceptamus de ea nunc; sed de communi Ecclesia, quæ ex omnibus orthodoxis promiscuè, perfectioribus, imperfectis, bonis, & malis constat. Dicitur quoq; ecclesia clericorum, siue Ecclesiasticorum; & ecclesia etiam Laicorum πρὸς ἀντιδιαστολὴν ecclesiæ clericorum. Laici enim, ait doctrina Apostolica Clementis Romani libro viij. c. 1. aliquorum laici sunt, scilicet sacerdotum; & sacerdotes, inquit, aliquorum sacerdotes, scilicet laicorum. Poterat Ecclesia domestica Aquilæ, & Priscillæ, quam Paulus dicit ascribere salutem Corinthijs, esse tota laicorum, quam sic vocauit propter virtutes, quod ita viuerent, vt nihil, nisi quod esset ecclesiæ honestum & decorum, agerent, vt Theodoretus interpretatur: idem dici potest de ecclesia domestica Philemonis, vbi Theophylactus sic inquit, vocat omnes in domo eius fideles συμπαραλαβὼν καὶ τοὺς δούλους, id est, seruos etiam complexus. Illud autem, quod ait VValfridus antiquus auctor, & bonus in libro de rebus ecclesiasticis, etsi verum est, non tamen puto pertinere ad istas ecclesias domesticas, quas hic dicit Paulus. Cum autem, inquit, multiplicaretur numerus credentium, cœperunt domos suos facere ecclesias, vt in gestis sanctorum creberrimè legitur, & priuatas habitationes ad publicas fidelium contulerunt vtilitates. Igitur apud

Ecclesia Clericorum.

Ecclesia Laicorum.

Ecclesia domestica.

Proteſtantes, quia Eccleſia clericorum non eſt, neque laicorum eſt; quia vbi non eſt Eccleſia ſuperior, non eſt eccleſia inferior, quia altera ad alteram refertur; & ex vtraque conſtat eccleſia communis. Siquidem ſecũdum Apoſtolicam doctrinam à Clemente Romano ſcriptam, vt paulò antè annotatum eſt, Sacerdos populi, ſiue plebis ſacerdos eſt; id eſt Laicorum; & populus, ſiue plebs, hoc eſt, laici, ſacerdotis laici ſunt; ſicut grex paſtoris, & paſtor gregis; qui ſic non ſunt, oues diſperſæ ſunt. Satis hactenus de nomine Eccleſiæ, niſi plura fortaſſis à me requiris. Poſtremò eccleſia dicitur congregatio τῶν πονηρευομένων, vt Propheta vocat, id eſt, malignantium, quæ etiam multiplex eſt. alia enim eſt eorũ, qui non à fide, nec à dogmatibus fidei diſceſſerunt, ſed ab vnitate eccleſiæ, propter controuerſias aliquas Eccleſiaſticas nõ difficiles ad dirimẽdum, quod σχίσμα ἑνώσεως Clemens Romanus in libro vj de conſtitutionibus Apoſtolorum vocat: alia eorum, qui à fide, & fidei Catholicæ dogmatibus deſecerunt, vt hæretici; horum vocat idem Clemens σχίσμα γνώμης: alia eſt, cum aliqui presbyteri, aut epiſcopi ſalua fide, & fidei dogmatibus, quia propter aliquod crimen officio & munere presbyteri, aut epiſcopi prohibiti ſunt, non obtemperant, ſed potiùs contra interdictum eccleſiam conuocant. Iſtorum congregationes vocat Baſilius παρασυναγωγὰς, id eſt, prauas coitiones, omnes iſtæ eccleſiæ ψευδόνυμοι ſunt, id eſt, eccleſiæ falſi nominis, ſed deterrimæ omnium illæ mediæ, id eſt, hæreticorum. Has tres ſpecies eccleſiæ ψευδωνύμους notauit Baſilius, & eodem modo diſtinxit in epiſt. ad Amphilochiũ. In homonymia etiã vocabuli fidelis explicãda prætermiſiſti, quod frequenter ſignificat eum, ſcilicet, qui beneuole & inuiolate leges Dei, cui credidit, ſeruat, vt apud Lucam, Quis putas fidelis ſeruus, & prudens, &c. obſeruauit hoc S. Maximus in centurijs theologicis. Sic enim ait, πιστὸς δέ μου ὁ εὖνους τῶν τῶ πεπιστευμένῳ νομίμων ἀπαράβατος φύλαξ.

Eccleſiæ falſi nominis ſpecies tres.

CAP.

CAPVT II.

De loco epist. ad Tim. 1. c. 3. ex quo Antonius Sadeel mendose, & fallaciter probat Ecclesiam suam inuisibilem, quomodo ex eo loco demonstretur necessario collatis etiam alijs locis scripturæ, non de ecclesia electorum, sed, de ecclesia nostra visibili ex electis & reprobis mixta esse accipiendum, sicut Paulus accepit. Et quid fefellerit Antonium, vt de Ecclesia inuisibili locum acceperit, & quid sit Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, & in qua Ecclesia videbantur columnæ esse Petrus, Iacobus, & Ioannes, & de collatione prædicationis Pauli facta cum illis.

VEniamus iam ad locos Pauli à te obseruatos, vt Ecclesiam, congregationem electorum Dei nobis indicares, 1. Tim. 3. Ecclesia est domus Dei columna, & fundamentum veritatis, *hoc tu, quomodo de Ecclesia electorũ, quæ inuisibilis est, à Paulo dictũ esset, nõ probasti; aut quia non opus esse putasti; vt de te dici possit, quod Aug. Parmeniano obijcit, dicis, & non probas; quod ego in Andreã Freyhubium tuum Synagonistam, cum ei nuper responderem, sæpiùs vsurpaui, & in te sæpiùs vsurpandum erit. Ego verò ex ipso Paulo & ex Euangelio probo de ecclesia visibili dictum esse. Ipse enim Apost. Timotheum admonet, quare ad eum scribat, quales esse debeãt, qui fieri debeant Episcopi & Presbyteri, quos communi nomine Episcopos vocauit; & quales Diaconi; vt scias, inquit, si tardauero, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia, Dei viui columna, & firmamentum veritatis, si scire, quales esse deberent isti ministri ecclesiæ visibilis, necesse erat, vt Timotheus sciret, quomodo deberet cõuersari in ecclesia, Ecclesia igitur in qua conuersandum illi erat cum hac scientia, necessariò visibilis erat. Non enim dicit, scribere se ad Timotheum de episcopis & presbyteris ac diaconis ecclesiæ scilicet visibilis, quales esse debeant, vt sciat cognoscere, & intelligentia contẽplari ecclesiã inuisibilem electorũ; sicut nos ex visibilibus spiritualia & inuisibilia cognoscimus; sed vt sciat, quomodo oporteat in ecclesia Dei conuersari; sic enim conuersari in ea debebat, vt si qui tales non essent, quales debere esse Apostolus præscribebat, ministros esse non putaretur. an verbum ipsum* ἀναστρέφεσθαι *quod interpres non male vertit, conuersari, non*

De loco Pauli ad Tim. 1. c. 3. quomodo ex eo demonstretur loquutum esse de ecclesia visibili collatis etiam alijs locis scripturæ.

Quomodo vis verbi ἀναστρέφω ad ecclesiã visibilem necessariò pertineat sicut vis verbi conuersari.

satis perspicuè significat visibilem conuersationem? quomodo enim poterat Timothæus esse exemplum fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in castitate, vt eidem paulò post præcipit, c. 4. nisi in Ecclesia visibili? vbi vocabulo quoq; ἀναστροφὴ ab illo verbo ἀναστρέφεσθαι vsus est, sicut dixerat prius, vt, si tardauero, scias quomodo oporteat te conuersari in domo Dei viui, quæ est ecclesia, sic dixit postea, esto exemplum in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Quo enim studiosius hæc omnia curet, & faciat, de futuro aduentu suo ad eum admonet idem Apost. Deinde, cum Dominus in Euangelio dicit, sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est; sic præcepit viuere in ecclesia visibili, vt vita nostra alijs, & aliorum nobis exemplum sit sanctè viuendi, et ratio, ac causa Deum nostrum & patrem luminum, cuius est omne datum optimum, & donum perfectum, laudandi, & ei gratias agendi. Intuens igitur Apostolus in hoc diuinum præceptum, cum sciret, quantum exemplo vitæ inhonestæ, & Ecclesia indignæ, mali ministri ecclesiæ visibilis, populo nocerent, & quàm etiam periculosum esset episcopo, neque dignos ecclesiæ ministerio, nec idoneos ad ordines Ecclesiasticæ hierarchiæ vocare, præcepit Timotheo in eadem epist. c. 5. nemini cito manus imponere; prius scilicet, quàm certus esset, vtrùm tales essent, quales Apostolus Paulus requireret, & iam descripsisset; ne quæ ille peccaret, vt ait beatus Chrys. in libris de sacerdotio, quem elegit aut ignorans, aut in gratiã alicuius, aut vtcũq; vitiosè, lueret idẽ, qui elegit. Idcirco enim subiungit Apost. ne communicaueris peccatis alienis, & beatus Hieronymus obseruans hunc locum in Comment. in Esa. c. 58. vt periculum, inquit, ordinationis demonstraret, iunxit tormenta peccantium. Sicut ergo, inquit, in ordinationibus malorum particeps est peccatorum, qui eos constituit, & ordinat; sic in ordinationibus sanctorum particeps iustitiæ, qui bonos elegit. Hactenus Hier. ex hoc igitur loco, in quo præcipit Apost. Timotheo, nemini cito manus imponere, & simul admonet, qui citò imponat, quãto suo malo imponat, planè perspici potest, quod paulò ante dixerat, scribere se ad Timotheum, quales esse debeãt ministri Ecclesiæ, vt sciat, quomodo oporteat conuersari in do-

Locus Pauli, Nemini manus citò imposueris.

in domo Dei, quæ est Ecclesia, pertinere ad cautionẽ tanti mali, quantum inest in electione improuisa, & iniusta ministrorum ecclesiæ, quorum conuersationis indecoræ, & ecclesiam non decentis, particeps is, qui eos elegit, & manus imposuit, efficitur. Huc igitur spectat, quod Paulus de ordinandis ministris dignis in Ecclesia visibili Timotheum admonet, vt exemplum bonæ conuersationis in ecclesia visibili prouisũ sit. Præterea, quis ignorat, necesse esse ex virtute, ac pie viuere in ecclesia visibili, prouidentes ibi bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, sicut idem Apost. ad Romanos & ad Corinth. scripsit; vt sic viuentes, electi reperiamur, & in Ecclesia electorũ Dei, quos ipse solus videt & nouit, numeremur? Dominus enim nouit, inquit Apost in epist. 2. ad Tim. c. 2. qui sunt sui; quod ex libro Num. c. 16. mutuatus est; sic enim ait, cognouit Dominus suos, & sanctos ad se adduxit; & quos non elegit sibi, non adduxit ad se. Sic enim est apud LXX quorum auctoritate sancti Apostoli in suis prædicationibus, et epistolis vtebantur, quod te credo non ignorare, neq; contradicere. Quis Antoni parat ascensum in sublime sine gradibus? ad ascensum igitur in cælos primus gradus est viuere in Ecclesia visibili, secundùm mandata Domini; quod est fieri in area triticum, & non paleas; proximus, qui ex primo nexus est, numerari à Deo in ecclesia inuisibili ventilabro iudicij diuini à paleis separatos, & electos; illi enim numerantur à Deo electi, qui in ecclesia visibili rectè, & sine hypocrisi ad normam Euangelij ambulantes, certam fecerunt vocationem suam per opera bona, sicut beatus Petrus ait. Summus gradus, & vltimus est, messe facta, deportari instar tritici purgati in horreum cæleste beatorum. Quomodo ergo priore, & antecedente gradu, qui in Ecclesia visibili ponitur, relicto, de posteriore & sequente, qui in Ecclesia inuisibili collocatur, Apostolus cum ratione poterat meminisse? fortasse te Antoni fefellit, quod in eodem Apostolo, id est, in epist. ad Philipp. c. 3. legisti quidem, sed non intellexisti, conuersatio, inquit, nostra in cælis est: sic enim puto argumentaris, in cælis esse conuersationem nostram ad imitationem & exemplum Pauli, ac proinde inuisibilem esse, ad inuisibilem igitur ecclesiam quæ est electorum Dei, pertinere nostram in Ecclesia conuersationem. At non hoc argumentandum est; sed potius eos, qui in

Quorsum spectauerit quòd Paulus Timotheum monuit de ordinandis ministris ecclesia dignis.

Prius necesse esse pie viuere in ecclesia visibili, vt sic viuentes reperiamur in ecclesia inuisibili electorum Dei.

Locus Apostoli, Nouit Dominus, qui sunt sui.

Gradus ad ascensum in cælos.

Qui numerentur electi.

Locus Apostoli conuersatio nostra in cælis est.

ecclesia visibili Catholica versantur, oportere sic in ea versari, vt tanquam peregrini, sicut idem Apost. ad Hebræos scripsit, & non habentes in ea manentem ciuitatem, futuram, id est, patriam cælestem inquirant; in eam semper intueantur, eamq; omni tempore cogitent. Qui enim sic viuunt, horum conuersatio in cælis est; hi sunt, qui studeant, vt sint diuites in fide, sicut ait beatus Iacobus, & vt abundent, sicut Apost. ad Cor. scripsit, fide & sermone, & scientia, omni solicitudine, & charitate; denique, vt abundent, sicut idem ait, in omne opus bonum; vt huiusmodi diuitijs illam ciuitatem cælestem emant, sicut ait Salom. in Prou. c. 18. substantia, diuitum ciuitas munita; quem locũ interpretans Procopius Gazeus, inquit, περιουσία. inquit, τ̃ τὴν ἀρετὴν, καὶ τὴν γνῶσιν πεπλουτηκότων ἡ ἄνω ἐστὶ μεγάλοπολις ἡ ἀνεπιβούλευτος καὶ ἀνάλωτος πάντα προϊεμένων τὰ παρόντα, ὡς ἂν ἐκείνης πολίται γένωνται. Transferamus Latinè, res, inquit, eorum, qui virtute, & scientia copiosi facti sunt, est illa supera metropolis, cui nullæ insidiæ fieri possunt, & quæ inexpugnabilis est; cuius vt ciues fiant, omnia huius seculi bona profundunt. isti sunt, quorũ conuersatio in cælis est tanquam in ciuitate sua, vnde Paulus intuens in hunc locũ non dixit ἀναστροφὴ ἡμῶν, quo verbo vsus est in epi. ad Tim. vt conuersationem visibilem inter alios in Ecclesia visibili significaret, sed dixit, πολίτευμα ἡμῶν, quod verbũ conuersationẽ eius spiritualem in ciuitate cælesti declarat. Sed illud credo, q̃ sequitur, magis adhuc te fefellit, vt hunc locum de Ecclesia inuisibili acciperes, quia nõ intelligebas, quomodo Ecclesia visibilis colũna, & firmamentũ veritatis dici posset; cũ multi in ea sint hypocritæ, & mutabiles. Sed discе Antoni, ecclesiã visibilem columnã, & firmamentũ veritatis dici, & esse propter fidẽ, quam corde, & ore visibili profitetur & prædicat, sicut Apost. ait, corde creditur ad iustitiã, ore aũt fit confessio ad salutem, quæ fides, vt ait diuinus Dion. Areop. Apostolorũ discipulus, c. 7. de diuinis nominib. est μόνιμον ἵδρυσις τ̃ πεπιστευμένων ἐνιδρύουσα τέτους τ̃ ἀληθείᾳ, id est, fides est firmamentũ stabile eorũ, qui crediderunt, quæ ipsos in veritate firmat. Atq; ita quidem firmat ecclesiam credentiũ, vt portæ inferi, sicut dominus dixit, nunquã aduersus eã prævalerint; neq; futurũ sit, vt prævaleant: nulla schismata, nec hæreses, nullæ vnquam tẽpestates, & procellæ persecutionũ, nulli tyranni, nulli cruciatus,

2 Cor. 8. 2. Cor. 9.

Quid Antonium fefellerit, vt locum Pauli ad Tim. de ecclesia inuisibili acciperet.

Quare ecclesia visibilis columna & firmamentum veritatis dicatur, & sit.

Et portæ inferi non prævalebũt aduersus eam.

tus & tormenta, neq; his omnibus armatæ infernales furiæ fidem ecclesiæ Catholicæ visibilis extinguere, aut interrumpere vllo tempore potuerunt; neq; facere, quin sit vna magna ecclesia per oēs mundi regiones, & oras diffusa, in qua sit vna fides, ex vna origine veritatis, & fidei, eius scilicet pro quo secundū Euangeliū rogauit Christus patrē, ne deficeret fides eius, cuius orationis, & promissionis, vt anteà dixi, hæredes sunt Petri successores. Explicaui suprà, quomodo & qua ratione Cyprianus cuius auctoritate Protestantes vti solent, Petrū vocasset originē veritatis, & caput, atq; exordium vnitatis ecclesiæ. Nulla enim pars Ecclesiæ catholicæ, quandiu fidē cū origine sua i. cū Petro coniunctam, & cohærentē habuit, quicquā aliud, præterquā q à principio, & in omnib. ecclesijs cū Romana cōiunctis auditū, & prædicatū, ac traditum est, tenuit, aut prædicauit vnquā, deleri quidē potuit aliqua pars Ecclesiæ catholicæ, vt multæ in Africa, ab infidelib. & hæreticis, sed, dicā iterū, nulla amittere fidē potuit, quandiu in cōpage huius mystici corporis visibilis, cuius caput est successor B. Petri principis Apostolorū, inclusa māsit. Cū verò ab hac origine, & capite disceditur, tūc schismata, & hæreses subeūt. hoc vrget, & inculcat tibi B. martyr & ecclesiæ lumē Cyprianus tū in epistolis suis, tū in libro de vnitate Ecclesiæ, de quo superiori capite memini, & inde pauca huc pertinētia recitaui. Ab origine igitur illius petræ, super quā ædificauit Christus Ecclesiā suā secundū Euangeliū, ducit vnaquæq; ecclesia particularis rationē columnæ, & firmamenti i. ab origine veritatis, & fidei B. Petri. Nec ob aliā causā meminit Apost. in hac epist. ad Timo. de ecclesiæ columna, & firmamēto veritatis, nisi vt Timotheū admoneret de ædificatiōe ecclesiæ facta à domino super Petrū, siue super fidem B. Petri, eadem enim est vis vtriusq; orationis, vt à me alias contra Protestantes demonstratum est, & postea commodiore loco demonstrabitur, vt si quando opus esset, & de aliquo dogmate certum habere vellet, adiret petram illam firmam, & cum capite Ecclesiæ à Christo facto conferret, vel exemplo etiam ipsius Pauli, qui ascendit Hierosolymā cum Barnaba, & Tito, vt conferret Euangelium cum ijs, qui videbantur columnæ esse, ne forte, inquit, in vacuum currerem, aut cucurrissem. Vocauit etiam Apostolos columnas propter eandem causam, qua Ecclesiam dixit esse colum-

Vnde ecclesia etiā particularis rationem columnæ, & firmamenti ducat.

columnam & firmamentum veritatis. Erat enim Ecclesia in Apostolis; & Apostoli in Ecclesia; sicut beatus Cyprianus in epist. ad Florentium siue Puppianum ait, Episcopum esse in ecclesia; & ecclesiam esse in Episcopo, columnas, inquam, vocauit ecclesiæ, scilicet visibilis, quod ita apertè dixit, vt apertius, & clarius non potuerit. Qui videbantur inquit, columnæ esse, at si columnas ecclesiæ electorum dicere voluisset, non sic dixisset, qui videbantur. Qui enim sint in Ecclesia electorum siue columnæ, siue non columnæ, nemo præter Deum, & cui reuelare voluerit, videt, nisi fortè existimas nullam esse differentiam inter electos; sed omnes esse columnas, quia sint fundati in fide, sicut Apostolus ad Coloss. scripsit, stabiles, & immobiles ab spe Euangelij, quod audierunt, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est; & quia Dominus ait electis in Euangelio Ioannis, Et nō peribunt in æternum; & nemo rapiet eos de manu mea. Si ita est; cur Apostolus dixit, qui videbantur esse columnæ? an non satis perspicuè significat, loqui se de columnis eius Ecclesiæ, in qua alij videantur esse columnæ, alij videātur non esse? conclude ergo Antoni, sicut isti Apostoli in ecclesia visibili columnæ esse videbantur, & non in Ecclesia inuisibili; sic ecclesiam, quam dicit idem apostolus esse columnam, & firmamentum veritatis, intelligendum est, visibilem esse, & non inuisibilem, qualis est electorum Dei. contulit itaq; cum Iacobo, Petro, & Ioanne, qui videbantur columnæ esse, sed cum Petro quidem secundum locum & dignitatem gradus, in quo à Domino positus fuerat secundum Euangelium, quod non obscurè significauit Apostolus, cum eum locauit medium; & Cephas vocauit, vt admoneremur cum eo contulisse, vt in fide, & prædicatione ab eo firmaretur, qui erat à petra vocatus Cephas, quòd esset futurus petra Ecclesiæ, & caput ac princeps Apostolorum, pro cuius fide, ne deficeret, Christus patrem orasset, & exauditus esset; & ad quem pertineret, firmare fratres in fide; sicut Dominus ei dixerat. Sed de hoc loco dixi plura libro 2. cap. LVII. posterioris meæ responsionis ad capita posterioris disputationis Andreæ Freybubij, vbi docui sic veteres intellexisse, Tertullianum dico, libro 4. contra Marcionem, Theodoretū in epist. ad Leonem, Sophronium Hierosolymitanum Patriarcham in Synodica ad Honorium primum tempore Heraclij imperatoris, & alios. Ibi

In qua ecclesia dixerit Apostolus de Apostolis, qui videbantur columnæ esse, in uisibili, an inuisibili.

Quomodo Paulus Euangelium contulit cū ijs, qui videbantur columnæ esse.

Ibi leges reliqua, si volueris. illud tamen admonendus es, ne protinus ad cauillandum in eo, quod non intelligis, profilias; quod Paulus dicit, se contulisse cum Iacobo, Cepha, & Ioanne Euangelium, quod prædicabat, quia (vt doctus Tertullianus libro 4. contra Marcionem ait) antecessorum auctoritatem fidei, & prædicationi suæ optauit; non est intelligendum, vt fortasse tu contra Scripturam, & sine vllo auctore, nisi hæretico recente interpretaberis, fuisse in Iacobo, aut Ioanne, aut in vtroq; auctoritatem approbandi Pauli prædicationem, sed in Petro tantum; sciebat enim Apost. non super Iacobi, aut Ioannis, sed super fidem Petri ædificasse Christum Ecclesiam; neq; Iacobo, aut Ioanni dixisse, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos; sed Petro tantum. Sciebat itaq; ad Petrum pertinere hoc, quod fecit adhibitis duobus ex primarijs Apostolis in consilium; vt iudicium, & auctoritatem approbationis suæ, grauiorem efficeret, cum appareret, sic Petrum sensisse de prædicatione Pauli cum duobus alijs magnis Apostolis; vt sicut scriptum est in lege, in ore duorum vel trium testium staret omne verbum. Seruat vsq; in hodiernum diem hunc morem à sanctis Apostolis traditum Petri successor, vt in maioribus causis cum Collegio Cardinalium, aut omnium, aut plurium decernat; quod temporibus Cypriani Collegium sacerdotum vocabatur, sicut ipse vocat, vt ex epistolis eius perspici potest; in alijs Ecclesijs Capitulum canonicorum appellatur, cum quo Episcopus de multis deliberat; beatus Ignatius presbyteros dicit esse senatum, siue consessum Episcopi: cum autem magna conquisitione opus est, Synodum pontifex cogit; vt à beato Petro factum est Hierosolymis in quæstione de lege, an cum Euangelio seruanda esset. Quod si alijs aliter videatur, contradicitur pontifici, tamen cum omni & quidem libenti reuerentia, sicut Paulus Petro & quidem libenti contradixit, in quæstione de non seruanda lege cum Euangelio. Neq; tamen cõtinuò eiusmodi potestas contradicendi argumentum fuerit æqualis potestatis pontificis & collegij Cardinalium; aut episcopi & Capituli. Neminem iam credo esse tam tardum, aut tam cæcum, qui nõ videat, hoc, quod Paulus hic dixit de Ecclesia, esse scilicet Columnam, & firmamentum veritatis, quàm belle congruat cum loco illo Euangelij, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi

Cur Petrus Iacobum & Ioannẽ ad iudiciũ de prædicatione Pauli adhibuerit, & quomodo successor Petri & episcopi successores Apostolorum cum morẽ vsq; in hodiernũ diẽ seruent.

non prævalebunt aduersus eam? cum vtrobique ingens firmitas Ecclesiæ significetur, vt iam negari non possit nisi fatuè, quin de Ecclesia visibili in epistola ad Timoth. loquatur Apostolus, si quidem de Ecclesia visibili eandem firmitatem docuit Dominus, dicens δειχτικῶς, quasi Petrum digito indicans, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, id est, aduersus Ecclesiæ fidem, quæ per Petri auctoritatem ipsam Ecclesiam firmat in veritate. * Gratulor tibi Antoni, & gratias ago Deo, quòd locum Euangelij de Ecclesia super hanc petram ædificata non putasti ad ecclesiam electorum, quam dicis, quæ est inuisibilis, pertinere; alioqui adiunxisses eum alijs quatuor locis; quos citasti. Quare consentaneũ est, vt locum Apostoli ad Timot. eandẽ firmitatem ecclesiæ continentẽ, de eadẽ ecclesia visibili accipiendum esse fateare. Quod autem Ecclesiam visibilem, quæ super hanc petram à Christo ædificata est, interrumpi posse tradis, quid hoc aliud est, quàm petram in arenam vertere? & architectum huius domus, quæ est Ecclesia Dei, facere similem illi viro stulto, qui in Euangelio Matthæi ædificauit domum suam super arenam? & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti; id est, irruit inundatio vitiorum in domum illam, & cecidit; & fuit ruina illius magna.

Hæc est Ecclesia visibilis auctore Antonio Sadeele, quod cognomentum vaporem Dei declarare abijs, qui Hebraicè sciunt, audio, ego verò vaporem Dei huius sæculi, qui eum excæcauit, esse dico.

* Quomodo Antonius, quia nõ putauit locum Euãgelij, super hanc petram ædificabo ecclesiam meã, pertinere ad ecclesiã inuisibilem electorũ, cogitur similiter putare non pertinere ad eã locum epistolæ Paul. ad Tim. de ecclesia columna & firmamento veritatis.

Quomodo qui tradit ecclesiã catholicam visibilem interrumpi posse, Christum architectum eius similem faciat illi viro stulto, qui domũ suam super arenã ædificauit.

CAP.

CAPVT III.

Quomodo proferendo noua & vetera, sicut Dominus in Euãgelio præcepit, ex loco Cantici cant. collato cum loco epist. ad Timoth. de ecclesia columna & firmamento veritatis, demonstratur secundum scripturam de ecclesia visibili esse omninò intelligendum. Et de interpretatione loci Cantici Canticorum, sic facta, vt consonet Euangelio secundum regulam Apostolicam interpretandi vetera, vt consonent Euangelio; item quibus gradibus accedatur ad Ecclesiam, quæ in ecclesiam inuisibilem non competunt, & in qua Ecclesia Christus nunc audiatur, & videatur, in visibili, an inuisibili.

SEd antè, quàm à loco epist. ad Timot. hactenus tractato, & à deprauatione tuæ interpretationis satis, vt opinor, defenso discedamus, conferamus cum eo, & cum loco Euangelij de ædificatione Ecclesiæ super petram, quem tu rectè, vt dixi & quidẽ cum gratulatione, non putasti ad ecclesiam electorum inuisibilẽ pertinere; conferamus, inquã, locum Cantici Cant. c. 5. vt ad imitationem scribæ docti in regno cælorum, de thesauro sanctæ Scripturæ, sicut dominus dixit in Euangelio Matthæi, noua & vetera proferamus; & sicut Ecclesia sponso suo dixit, noua & vetera dilecte mi seruaui tibi; id est, legem, & Euangeliũ. Legẽ scilicet honorans, & interpretans, vt consonet Euangelio, & Euangeliũ, vt cõsonet legi, sicut Apostolica doctrina in libr. 2. Clementis facere præcipit. Ecclesia igitur, quæ est corpus Christi sponsi sui, cum describit firmitatem sponsi, inquiens, crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas, suã etiã describit, sunt enim propter magnũ sacramentũ vnionis verbi Dei cũ natura humana, duo in carne vna, q̃ Apostolus vocat magnũ sacramentũ in Christo & in Ecclesia. Hinc ait, vt Christus secundũ scripturã sponsus, & sponsa dicatur; vt apud Esa. c. 61. cùm ait vna persona Christi de se, quasi sponsum decoratũ corona, & quasi sponsam ornatã monilibus suis. Sic beatus Aug. epistola 120. ad Honoratum intellexit; & hunc locum interpretãs, sponsum, inquit, & sponsam Christum intelligimus, & Ecclesiam sed erunt vnum in carne vna. Sacramentum magnum dixit Apostolus in Christo, & in Ecclesia; igitur non iam duo, sed vna caro. Si ergo caro vna,

Locus Cantici Cantic. 5. noua & vetera dilecte mi, seruaui tibi.

Quomodo Christus in Scriptura sponsus, & sponsa dicatur.

Locus Esaiæ de Christo sponso, & sponsa ab Aug. in diuersis libris eius expositus.

vna, perfecto competenter etiam vox vna. Hactenus Aug. Idem Aug. libro 3. de doctrina Christiana, c. 31. in prima regula Ticonij, quam approbat, de domino, inquit, & corpore eius est, quia scimus aliquando capitis, & corporis, id est, Christi, & Ecclesiæ vnam personam nobis intimari, vna enim persona loquitur dicens, sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento, sic enim est apud LXX. & tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, id est, quid Christo, & quid Ecclesiæ conueniat, vtiq; intelligendum est. Idem adhuc in expositione epistolæ beati Ioannis tractatu primo, c. 2. in Tomo 9. explanans eundem locum Esaiæ; & illius, inquit, thalamus fuit vterus virginis; quia in illo vtero virginali coniuncti sunt duo, sponsus & sponsa, quia sic scriptum est, & erunt duo in carne vna; & Dominus in Euangelio, igitur iam non duo, sed vna caro, & Esaias optimè meminit, vnum esse ipsos duos. Loquitur enim in persona Christi, & dicit, sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento, vnus videtur loqui, & sponsum se fecit, & sponsam se fecit, quia non duo, sed vna caro, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, illi carni adiungitur Ecclesia, & fit Christus totus caput, & corpus. Hactenus Augustinus. idem repetit Tomo 10. Serm. 234. vt essemus vnum in illo, caput nostrum esse voluit accipiendo carnem ex nobis, vt pro nobis moreretur. Vt noueritis ergo, quia hoc totum est Christus, per Esaiam dixit, sicut sponso alligauit mihi mitram; & sicut sponsam induit me ornamento; ipse sponsus, ipse sponsa; ipse planè sponsus in capite; sponsa in corpore; erunt, inquit, duo in carne vna; & nō iam duo, sed vna caro, &c. Hactenus Augu. Consonat cum Esaia Euangelium Matthæi, cum ait de decem virginibus, exierunt obuiam sponso, & spō sæ. Vnum enim Christum vocat sponsum, & sponsam, sicut explicatum est. Conuenit cum his, quod ait Origenes in Scripturis sanctis eruditissimus, in Homilia 2. in Cantica. Obseruans enim illum locum epist. Pauli ad Ephesios, nemo carnem suam odio habet, sed nutrit, & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, & reliqua, hoc ergo, inquit edocemur, quomodo sponsa Christi, quæ est Ecclesia; etiam sit corpus eius & membra. Deinde subiungit, si ergo audias, sponsi membra nominari, Ecclesiæ membra dici intellige; hæc Origenes. Cū igitur

Locus Euangelij de decem virginibus, quæ exierunt obuiam sponso & spōsæ.

igitur audimus dici in Cantico Canticorum, esse crura sponsi columnas marmoreas, quæ fundatæ sunt super bases aureas, intelligere debemus dici, esse crura Ecclesiæ sponsæ columnas fundatas super bases aureas. Quòd autem Apostolus Ecclesiam, quæ Christi sponsa est, columnam esse dixit, & firmamentum veritatis; hic autem in Cantico Canticorũ, non columnæ, sed columnæ nominantur, non discrepat hæc scriptura ab epistola Pauli. Etenim quia sponsus Christus sponsa etiam est propter naturam humanam assumptam, cui natura data sunt crura, & nõ crus, ad ambulandum, idcirco Ecclesia, quæ illi carni assumptæ adiungitur, vt paulò antè aiebat Augustinus, & quæ vna caro est cum Christo sponso, crura sponsi habet, quæ sunt columnæ, sed modo suo habet, id est, vt creaturæ conuenit. Hæc enim crura mystica, & hæ mysticæ columnæ firmitatem in Ecclesia sponsa Christi significant, firmitatem dico, non virtutis propriæ, sed communicatæ, ac participatæ; in Christo autem sponso firmitatem virtutis propriæ. Similiter distinguendæ sunt bases aureæ columnarum. Vt in Ecclesia sponsa, basis aurea sit fundamentum Ecclesiæ virtutis communicatæ, quod est petra Ecclesiæ, id est, Petrus; in sponso autem Christo, basis aurea est fundamentum Ecclesiæ virtutis propriæ: quod est vnicum, præter quod nullum aliud tale poni potest. Sic namq; Leo primus fundamentũ Ecclesiæ, quod est Petrus, à fundamento Ecclesiæ, quod est Christus, in sermone de die anniuersario assumptionis suæ distinxit. Omnia dilatamus; & ad omnia occurrimus, vt calumnias Antonij Sadeelis, & aliorum effugiamus. Illud etiam quæri potest ab aliquo paulò curiosiore; nam istis quoque satisfacere cupimus. Quare scriptura non ossa, sed crura accepit ad significandam in ænigmate mystico firmitatem fidei Ecclesiæ, in columnis etiam mysticè significatam? scilicet tum propter rectum & firmum, vtrunq; enim in cruribus respondet columnis. Fides enim recta, quæ Græco vocabulo iam pro Latino trito orthodoxa dici solet, substantia Ecclesiæ est; sicut crura corpus sustinent; & quia, vt aliquis ad Ecclesiam veniat, & membrum eius efficiatur, prima est, vt Dionysius Areop. quasi in extrema pagina capitis primi Ecclesiasticæ hierarchiæ tradit, motio dilectionis cuiusdam, imperfectæ scilicet; huius verò dilectionis primus progressus, vt idem ait, ad faciendũ mandata

De conuenientia locĩ Pauli cum loco Cantici Cant.

De cruribus mysticis Christi sponsi, & ecclesiæ sponsæ, quo modo differant, & quid significent.

Quare Scriptura crura sumpsit in Cant. Cant. ad significãdum mysticè in ænigmate robur & firmitatẽ Ecclesiæ.

Quæ sit prima motio, vt quis ad ecclesiã veniat, & eius membrum fiat.

Et quis primus progressus. auctore Dionysio Areopag.

diuina est regeneratio nouæ creaturæ per sanctum baptismum, in quo fides cum spe & charitate diuinitus infunditur. Idcirco diuinè sumpsit Scriptura sancta crura ad mysticè significandum fidei orthodoxæ robur, & firmitatem, & quia ad eam oportet primum venire eum, qui vult, vt dixi, fieri membrum sponsæ Christi, id est, Ecclesiæ. Crura igitur mystica sibi amputârunt Protestantes, cum recedentes à petra fidei, ad normam orthodoxæ fidei in catholica Ecclesia ambulare desierunt, & tanquam noui Sampsones Columnas Ecclesiæ suæ, quæ pars erat catholicæ, euerterunt, vt simul cum Ecclesia sua interirent. Cum igitur satis demonstratum sit, quomodo scriptura Cantici Canticorum de cruribus, & columnis Christi sponsi, & sponsæ fundatis super bases aureas, cum epist. Pauli ad Timotheum de Ecclesia sponsa Christi columna & firmamento veritatis consonet, facilè est iam intelligere ex eadē scriptura Cantici Canticorū, sit ne spōsa ista Christi, quæ vna est, visibilis, an non? vt si appareat ex scriptura ista visibilem esse omninò, & non inuisibilem, necesse sit, inuitis hæreticis & eorum scriptore Antonio, locum epistolæ Pauli ad Timotheum ad Ecclesiam visibilem referre, siquidem sit de illa ipsa Ecclesia sponsa Christi; quæ non est, nisi vna, quæ in Cantico Canticorum dramaticè introducitur. Laudatur sponsa, cap. 4. his verbis, sicut vitta coccinea, siue funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum dulce. interpretans hunc locum Greg. Nissenus in suis Comment. quia, inquit, os Ecclesiæ loquitur, tunc quidem labia eius colore coccineo rubescunt, cum scilicet vniuersa Ecclesia efficitur propter consensum & concordiam vnū labium, & vox vna. est autē duplex laus oris, concordia scilicet, cuius Symbolum est funis, ita vt vna sit totius Ecclesiæ catena nexa ex varijs; & vna confessio eius, qui nos sanguine suo redemit; cuius Symbolum est color coccineus. Deinde subiungit interpretans, quod sequitur, & eloquiū tuum dulce, siue decorum, vt est apud 70. Paulus, (inquit Greg. Nyssenus) interpretatus est hoc, cum ait,

Quomodo Protestātes crura mystica sibi amputauerūt, & colūnas ecclesiæ suæ quæ antea erat pars ecclesiæ Catholicæ, euerterunt tanquā noui Sampsones.

Quomodo ex collatione loci Cantici Cant. cum loco Pauli ad Timoth. demonstratur de ecclesia visibili necessariò accipiendum esse, quod dixit ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis.

» hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis
» in ore tuo Dominū Iesum, & in corde tuo credideris, quòd
» Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris; corde enim cre-
» ditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutē. Quod si

Ecclesia

Ecclesia sponsa Christi os habet, & loquitur, & quod ore loquitur, omnes vbiq; audierunt, & audiunt, id est, Euangelium, quod prædicatum est, sicut Apost. ait, & prædicatur in vniuersa creatura, quæ sub cælo est, non est igitur inuisibilis, quomodo enim Ecclesiã audiunt, nisi loquẽtem, & prædicãtem? quomodo autem loquitur, & prædicat, si non videtur prædicare? nunquid sic auditur Ecclesia, sicut in Actis Apostolorum scriptum est de ijs, qui Paulũ comitabãtur, cum iret Damascũ? viri autem illi, inquit, qui comitabantur, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. *Aut sic loquitur, vt Dominus loquebatur, cum decalogum legis populo Israelitico dedit?* cũctus enim populus, sicut scriptum est, videbat vocem, & lampades, & sonitum buccinę, Deum tamen loquentem, qui erat in caligine, non videbat. *Quod si neutrum horum dicturus es, relinquitur, vt des, videri ab omnibus Ecclesiam sponsam Christi loquentem, & quid omnibus loquatur. Immò nõ aliter nec in alio Christũ loquentẽ nunc audimus, neq; manentem nobiscũ videmus, nisi in spõsa Ecclesia; in hac tanquã in vna carne manet nobiscũ vsq; ad cõsummationẽ sæculi, sicut ipse promisit.* Nũc enim Christũ non videmus, vt B. Petrus ait, in quem nunc non videntes, sed credẽtes exultatis lętitia inenarrabili, & glorificata, &c. *Non videtur inquam à nobis nunc in se, videtur tamen in sponsa, sicut enim in secundo aduentu, ne quis ab pseudochristis, & pseudoprophetis decipiatur, cum dixerint, hic est Christus, aut illic, dominus Iesus non hic, aut illic, vt illi pseudochristi dicturi sunt, sed in vniuerso mundo erit conspicuus, & ab omnibus videbitur instar fulguris, q cũ erumpit, in vniuersa terra cernitur; sic Christus post ascensum in cælos, quia vsq; ad cõsummationẽ sæculi manet cum ecclesia tanquam sponsus cum sponsa, quia sunt vna caro, & vnus spiritus, sicut scriptũ est, erunt duo in carne vna, & qui adhæret Domino, vnus spiritus est, nequis decipiatur cùm audit, in hac Ecclesia est Christus, aut in illa; Apostolis suis dixit, ego vobiscum sum vsq; ad consummationẽ sæculi; vt intelligeremus, illius Ecclesiæ esse Christum caput, & illam Ecclesiam esse corpus Christi sponsi sui, cui esset præpositus Petrus, sicut fuit Apostolis, vt dominus cõstituit; & quæ esset per vniuersum mũdũ dilatata;*

Quomodo Christum nunc non audimus loquentẽ neque videmus nobiscũ manentem nisi in ecclesia visibili.

Quomodo Locus Euangelij ego vobiscum sum vsq; ad consũmationẽ sæculi, docet, in qua ecclesia Christus sit.

ad

id esſ, quæ cerneretur prædicare Euangelium, quod à ſanctis Apoſtolis vbiq; terrarum prædicatum eſt, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum. Hæc enim dicitur & esſ Catholica & Apoſtolica Eccleſia, hæc esſ ſponſa Chriſti, cuius labia ſunt funiculus Coccineus, & eloquium decorum, ſicut explicatum esſ. Hæc ſponſa Chriſti eccleſia, quæ vna esſ, & non duæ, ſicut ait eadem ſcriptura Cantici Canticorum, vna esſ columba mea, mixta eſt ex electis, & reprobis, huc enim pertinet, vt Auguſt. ait libro 3. de doctrina Chriſtiana, c. 32. Illud in Canticis, Fuſca ſum, & ſpecioſa, vt tabernacula cedar, ſpecioſa, vt pelles Salomonis. Non enim ait, fuſca fui, vt tabernacula cedar; & ſpecioſa fui, ſicut pelles Salomonis, ſed vtrunq; ſe eſſe dixit propter temporalem vnitatem intra vna retia piſcium bonorum & malorũ. Tabernacula enim cedar ad Iſmaelem pertinent, qui non erit hęres cum filio liberę. *Hactenus Auguſt. & paulò ante dixerat,* hypocritas non eſſe dicendos, eſſe in corpore Chriſti, quamuis inquit, in eius eſſe videantur Eccleſia, tanquam vnum ſit vtrorunq; corpus propter temporalem commixtionem, & communionem ſacramentorum. *Eccleſia igitur electorum licet vera eccleſia ſit, & vera ſpõſa, ac verum corpus Chriſti myſticum, & non ſimulatum & hypocriticum, vt eccleſia reproborum, tamẽ quia à ſolo Deo, qui eam elegit, diſcernitur, à nobis, quibus præcepit, vt neminem iudicaremus, voluit vt non poſſet diſcerni ab eccleſia hypocritarum, idq; propter temporalem vtriuſq; commixtionem & communionem Sanctorum, vt Auguſt. ait. quare cum Scriptura Eccleſiam electorum & reproborum, tanquam vnum corpus ſit, ſponſam Chriſti, quæ vna eſt, facit, & ſponſa Chriſti mori nõ poſſit, vt ea mortua; alteri cui velit nubat Chriſtus, ſicut de cõiuge terreno, & mortali ſcriptũ eſt: cõſequens neceſſario eſt, vt Eccleſia viſibilis, q̃ ſpõſa Chriſti eſt, interrũpi, id eſt, mori nõ poſſit. Nã ſi interrũpi poteſt, poteſt igitur & viduus fieri Chriſtus; imò cũ communio viſibiliũ ſacramentorũ propter electos à Chriſto inſtituta ſit, tã neceſſaria ea eſt, vt eccleſia electorũ, q̃ interrũpi non poteſt, non poſſit conſiſtere, niſi in communione viſibili ſacramentorum permaneat. Quare ſi quod perpetuum eſt, & interrumpi non poteſt*

Quædicatur & ſit Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Quomodo Eccleſia electorum à ſolo Deo diſcernitur; & à nobis voluit, vt diſcerni non poſſit.

Quomodo cõcludatur ex ſcriptura eccleſiã viſibilem nõ poſſe interrumpi.

Chriſtus ſecundum doctores Proteſtantium amittere ſponſam & fieri viduus poteſt.

test, ex catholica communione sacramẽtorum visibilium pendet, sequitur communionem catholicam visibilium sacramentorum interrumpi non posse; ac proinde nec Ecclesiam visibilem, quæ ista visibilium sacramenta conficit. Si tibi Antoni sophisma hoc videbitur, mirum, nisi Euangelium & fides ecclesiæ Catholicæ sophisma videatur. Hactenus de loco epistolæ ad Timotheum ad Ecclesiam electorum inuisibilem contra scripturas ab Antonio Sadeele hæreticè relato & detorto.

Communionem catholicam visibilem sacramentorum interrumpi non posse, ac proinde nec ecclesiã visibilem.

CAPVT IIII.

Demonstratio ex scripturis, locum epistolæ ad Ephes. de ecclesia nõ habente maculam, neque rugam, nec aliquid huiusmodi non ad ecclesiam inuisibilem electorum Dei, sed ad ecclesiam visibilem pertinere, & qualia peccata significent secundum scripturam, & interpretationem sanctorum Patrum macula, & ruga, & de loco Apostolicæ doctrinæ Clementis Romani collato cum loco epistolæ ad Ephesios, qui eum interpretatur de Ecclesia visibli omninò accipiendum esse. & quomodo Ecclesia visibilis interrũpi non possit contra commentum Antonij Sadeelis, & quomodo mendaces facit prophetas, qui dicit ecclesiam visibilem, quæ per baptismum regenerat, posse interrumpi.

Secundus locus est Ephes. 5. Ecclesiam non habentem maculam, neq; rugam. *Sic Antonius de Scriptura recitat mutila, & decurtata, vt solet. Viri ergo, inquit, diligite vxores, sicut Christus dilexit ecclesiã, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ; vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiã, nõ habentẽ maculã, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta, & immaculata. Hunc quoq; locum falsa interpretatione, & intelligentia deprauasti, quasi non ad Ecclesiam visibilem pertineat, sed ad ecclesiam electorum. Age ergo Antoni, si hoc quod Paulus hic ait de ecclesia gloriosa non habente maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, in cælesti gloria futurum esse putas, & cum Augustino, & multis alijs Augustinum secutis sic interpretaris, non pertinebit iam hic locus ad Ecclesiam electorum, quæ in terris est. Hæc enim, non necesse*

Quomodo Antonius locũ epistolæ ad Ephe. de ecclesia non habente maculam aut rugam prauè ad ecclesiam inuisibilem electorum detorserit.

est, quandiu in terris est, vt careat omni macula, & ruga, id est, omni leui peccato, quod veniale vocamus. Imò quanuis singula peccata
» » *minuta, & venialia vitare possimus; nõ tamen omnia; si enim dixe*
» » rimus, vt ait B. Ioannes, quia peccata non habemus, ipsi
» » nos seducimus, & veritas non est in nobis. *Nemo itaq; est in Ecclesia, qui nõ possit, & debeat dicere, dimitte nobis debita nostra. Imò Vigilius Pont. in Synodo Romana Theodorũ Mopsuestiæ hæreticum anathemate affecit, q illud Psalmi 21. longe à salute mea verba delictorũ meorũ, negaret pertinere ad corpus Christi, q est ecclesia, quæ in hoc mũdo, inquit, sine delicto esse nõ potest. adde huc, quod peccata venialia nõ sunt magnæ maculæ, quæ deformẽ, & rugosam faciant ecclesiam: sed paruæ maculæ, quæ cum gloria, & decore ecclesiæ esse possunt.* * *Quare si hic in Ecclesia, quæ in terra est, impleri existimas, vt sit gloriosa, nõ habens maculã, aut rugã, aut aliquid huiusmodi, q scilicet deformem, & fœdã faciat faciẽ ecclesiæ, vt macula, aut ruga facit faciẽ mulieris; necesse est, hæc de eiusmodi peccatis magnis accipere, quæ manifesta sunt in Ecclesia, nec ab eis recedit per pœnitẽtiam, quæ* † *B. Ioannes peccata ad mortẽ vocat, pro quibus nõ præcepit, vt in Ecclesia oremus; imò iubet Apostolus, eiicere ex Ecclesia, & Euangeliũ habere tanquã ethnicos, & publicanos, huiusmodi n. peccata tã diu ecclesiã deformem, & probrosã reddunt, quandiu qui cõmiserunt, in ea versantur; & nõ eiiciuntur per excõmunicationẽ.* * *Etsi enim peccata quæcũq; magna, vt Scriptura sancta vocat, vt in psal. 18. cũ ait, tunc emundabor à delicto magno, Paulus in epist. ad Rom. c. 8. peccatũ damnationis vocat, nos iã Ecclesiastica consuetudine mortalia peccata nominare solemus; etsi, inquã, quæcunq; peccata magna, sicut mortalia occulta, ecclesiã reddãt turpem, & fœdã coram Deo, non tamen corã hominib. qui solum vident, quæ patẽt, probrosam & vilẽ, ac rugosam, gloria & decore carentẽ efficiunt, quandiu nõ sunt in Ecclesia nota. Quod si maculas istas, et rugas, & si quid aliud huiusmodi est, necesse est accipere in hoc loco epistolæ Pauli de peccatis istis in ecclesia manifestis, quorum auctores secundũ Apostolicam traditionẽ ex ecclesia eiiciuntur, sequitur necessariò ecclesiam visibilem esse, de qua hic Apostolus locutus est. Si quidem*

Theodorus Mopsuestiæ à Vigilio Pont. in Synodo Rom. condemnatus, quod illud Psal. 21. longe à salute mea verba delictorum meorũ, negaret pertinere ad corpus Christi, quod ea ecclesia

*Peccata venialia non esse maculas aut rugas.

Quomodo maculæ, & rugæ ecclesiæ peccata grauia sint

† Quæ sint peccata ad mortẽ, quæ Ioan. dixit

* Peccata magna, peccata damnationis, peccata mortalia.

Quomodo ex verbis ipsis, quibus Paulus vsus est, in loco epistolæ ad Ephe. de ec-

quidem ecclesiæ visibili huiusmodi maculæ asperguntur; & in eius facie huiusmodi rugæ exarantur; & Ecclesia visibilis istis ablatis expurgatur, & expolitur. Sed doceamus, & probemus hoc, quod dicimus auctoritate Scripturæ sanctæ, & Apostolicæ traditionis, & antiquorum patrum testimonijs. Scribit Apostolus in epistola ad Cor. priore: nunc autē scripsi vobis non cōmisceri, si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi neq; cibum sumere. Quod si cum his, inquit Theodoretus, hunc locū in Cōment. suis interpretans, non est comprandendū, multò magis non sumendus cum illis mysticus, & diuinus ille cibus. Illos itaq; iubet Apostolus ex ecclesia eijcere, & eorū congressum declinare, quos ecclesia publicè cognouerit esse in aliquo peccato graui, & in eo perseuerare, qui sunt vsq; adeò publicè noti, sicut ait Photius Constantinopolitanus, vt à vitio & crimine, vt fieri solet, nominentur. hoc. n. inquit, significat frater nominatus vel fornicator, vel auarus, cùm quis cōmune nomē propriū fecit ob insignem progressum in ea re. Siue legendū sit, si quis frater nominatus, sit fornicator, aut auarus, vt legit S. Pacianus in libro ad Symphorianū contra Nouatianos, nihil refert, cùm etiā idem auctor dicat ibidē, sermonem esse hic de perseuerantibus in peccatis istis, quæ hic Apostolus numerat. Quos enim Ecclesia nouit in huiusmodi peccatis manifestò hærere, quos vulgo notorios scortatores, aut adulteros, aut fures vocant, hos, vt dixi, Ecclesia cōmunione sua prohibet. Huiusmodi sunt peccata illa, de quibus idē Apostolus, in epistola ad Timot. priore, c. 5. ait: quorundam hominū peccata manifesta sunt præcedentia ad iudiciū; quorundam autē sequuntur. Non enim omnes palam peccant; sunt qui occultè. Illa igitur vocat præcedentia ad iudiciū, quæ non sunt occulta, sed cognita, & testata esse possunt, quæ possunt & debēt hic in ecclesia iudicari, & vindicari. Manifesta igitur peccata, quæ propter scandalū, et imitatiōis exemplū plurimū nocent, de quib⁹ idē Apost. in epist. ad Hebr. c. 12. monet, vt cōtēplemur, ne qua radix amaritudinis sursū germinās impediat, & per hanc inquinētur multi, sic punit ecclesia, vt qui cōmittūt, quia ecclesiā Christi sponsā nō solū corā Deo, qui videt in abscōdito, sæpē et

cleſia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi demōſtratur, nō poſſe ad eccleſiā inuiſibilē electorum pertinere.

Locus Apoſtol. nunc autem ſcripſi vobis, nō commiſceri, &c.

Quis ſit frater nominatus fornicator, aut auarus. &c.

Locus Pauli Quorundā hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium.

dedecorant, sed coram hominibus, qui vident, sicut ait Scriptura, ea, quæ patent, à se inexiliũ finitimũ eijcit. Sic.n. Alexander apostolicus pontifex & Martyr in epistola 1. excommunicationem vocat; quia excommunicari est quoddam exulare ab ecclesia, & ciuitate Dei; scitè autem vocauit exiliũ finitimũ, quia qui in exilium mittuntur, aliquando in longinquum, immò in vltimas terras exportari solent, qui autem excommunicatur, non extra ciuitatẽ, in qua habitat, sed extra ecclesiam, vt alijs etiam sit exemplo, eijcitur. Sed videamus iam, quæ in Apostolica doctrina, quam Clemens Romanus, beati Petri successor, litteris mandauit, contineatur, quæ ad speciem, & decorem Ecclesiæ, sponsæ Christi, & ad eius fœdas maculas pertinent. Quæ mirificè cum epistola Pauli ad Corinthios priore congruunt, & locum epistolæ ad Ephesios explanant, & quomodo ecclesia gloriosa existat, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Ait igitur libro 2. c. 43. vertam è Græco ad verbum. Itaque eijcite eum, inquit, Episcopi ex Ecclesia tanquã fratris interfectorẽ, deinde, interuallo temporis interiecto, si dixerit pœnitere se; premite eũ ieiunijs, ac postea per manus impositionẽ recipite, cauentes tamẽ illi, ne quem iterũ turbet. Quod si rursus ingressus, similiter seditionem, & discordiam concitârit, neq; desinat turbare, & conuitia facere fratri, vituperationibus ex contentione studens, eijcite eum tanquã pestilentem; ne ecclesiam Dei vitiet, & fœdet. Qui enim huiusmodi est, turbas conflat ciuitatibus; idemq; licet in ecclesia sit, tamen quia ecclesiam dedecorat, superuacuus & inanis est. Qui quidem quantum in se est, corpus Christi sordidat. Nam, si nonnulli homines ita nati, vt quasdam partes corporis superuacaneas adhærentes habeant, vt digitos, aut quædam in carne eminentia, quæ dicuntur Hypersarcomata, hæc sibi propter turpitudinem amputant; nec est indecorum opera artificis naturalem pulchritudinem recuperare; quanto magis decet facere hoc, vos pastores Ecclesiæ, quæ est integrum corpus, cõstans ex membris sanis, quæ in Deum in metu domini, & charitate credunt; cùm aliquis instar membri superuacanei repertus fuerit, qui praua cogitet, & reliquum corpus deformet; tempestatesq; in eo excitet seditione, & pugna, ac detractione, exhibens ei metus, molestias

Quare excommunicatio exiliũ finitimum vocetur.

Locus doctrinæ Apostolicę à Clemente Romano litteris mandatæ, qui locũ epistolæ ad Ephes. explanat, & interpretatur.

Quando aliquis ex ecclesia eijciendus est, secundum apostolicam doctrinam, & quæ inde vtilitas, & gloria Ecclesiæ existat.

stias, vituperationes, obtrectationes, criminationes, turbulentias, aut alia huiusmodi opera diaboli efficiēs, tanquam à diabolo electus, vt ecclesiā maledictis, & infamia, & multa seditione, cōtentione, discordia, vilem & sordidam faciat. Hic igitur ex ecclesia iterum eiectus, meritò esᵗ abscissus à cœtu Domini; atq; Ecclesia Dei magis nunc ornata fuerit, quàm antea cùm erat in ea aliquod membrum superuacaneum, & ab ea alienum. Quocirca iam deinceps extra maledicta, & contemptum erit liberata fraudulentis, conuitiatoribus, inhumanis, proditoribus, à virtute auersis, voluptuarijs, inanis gloriæ cupidis, impostoribus, & ijs, qui sapientes videri volūt, quorum officium esᵗ dispergere, quin potius dissipare agnos Christi. Hactenus Apostolica doctrina. Ex qua perspici potest, tunc Ecclesiam esse gloriosam, id esᵗ splendidam & decoram, ac sine macula & ruga habendam, & numerandam, cùm in ea manifesta peccata nō notantur, & huiusmodi peccatores, qui Ecclesiæ non obediunt, in ea versari pastores non sinunt. Hoc autem necesse esᵗ, fiat in Ecclesia visibili. de ecclesia igitur visibili loquitur Apostolus in hoc loco epistolæ ad Ephes. quem Antonius Sadeel ad ecclesiam electorum retulit, quasi electi nunquam maculati, aut rugosi fuissent, aut esse possent, vt extersis maculis, & ablatis rugis aliquando niterent. Aut si fieri hoc potest, quomodo dicit interrumpi posse ecclesiā visibilem, in qua hoc perpetuò fieri debet? id esᵗ, hæc mutatio, ac renouatio? Cum Apostolus dixit, sicut Christus dilexit ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, non vtiq; ostēdit, eam, ait Origenes Homilia 2. in cantica, non prius fuisse: quomodo enim, inquit, dilexisset eam, quæ non erat? similiter dicendum esᵗ, cum dixit Apostolus, vt exhiberet sibi ipse gloriosam sponsam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, satis clarè ostendit fuisse prius ecclesiam & quidem maculatam, & rugis exaratam; ecclesiam dico communem ex iustis, & peccatoribus, ex electis & reprobis promiscuè constantem. Vt enim ait Apostolica doctrina, lib. 2. Clementis Romani, c. 14. non esᵗ crimen habitare iustos cum iniquis, sed idem sentire; & paulò antè, iusti, inquit, in hoc seculo communitate vitæ, non sanctitatis congregantur: fatemur itaq; Ecclesiam

Quomodo ecclesia visibilis interrumpi non possit.

De ecclesia iustorum, & ecclesia iniustorum.

iustorum verè, & propriè esse Christi sponsi ecclesiam, & corpus: & hanc ab eo diligi; iniustos verò non sic esse Ecclesiam Christi, sed mẽbra eius mortua, & ei odiosa; sed neq; iustum cum iniustis perdit Dominus; neq; electos cum reprobis odit. Nec est, inquit, declinanda cõmunitas sermonis & vitæ cum iniustis. Ecclesiam igitur, qua parte maculas, & vetustatem peccati, ac rugas habet, de die in diem renouat Christus per ministros suos secundum ordinẽ, & dispositionem ministerij ecclesiastici in Ecclesia visibili à se constitutam, & sanctam, conuertens peccatores, & eorum peccata repurgans; qua verò parte casta, & nitida est, vt idem Origenes in eodem loco paulò antè notato ait, gloriosam exhibet, vel numero augens, vel virtutibus excolens, vel perfectione charitatis à terris in cælum transferens. Sed vt noua & vetera adhuc proferamus, sicut anteà fecimus, & nouum testamentum sic interpretemur, vt cum vetere consonet; & vetus, vt cum nouo, sicut regula Apostolicæ traditionis præcipit; conferamus hunc locum epistolæ ad Ephes. cum loco Esaiæ, ex quo etiam manifestum fiet, non separari Ecclesiam electorum ab ecclesia peccatorum separatione vitæ communis: sed separatione sanctitatis, & pietatis. Igitur Esaias de Ecclesia noui testamẽti prophetans, excoquam, inquit, ad purum scoriam tuam; & auferam omne stannum tuum. Hæc LXX. interpretes non translatis, sed proprijs verbis interpretati sunt, postquam dixit propheta, & igne examinabo te ad purum, quod de baptizatis ex aqua & Spiritu sancto, & igne accipiendum est, vt magnus Basilius, & beatus Cyrillus Alexandrinus in commentarijs suis acceperunt. subiungit statim, inobedientes autem perdam; & auferam omnes à lege auersos, & omnes superbos, cũ scoria, & stanno, quæ cum argento, aut auro non commiscentur, comparat scriptura eos peccatores, quos ex Ecclesia eijcit, quia nolunt per pœnitentiã, & obedientiam pacẽ cum ea habere. Hoc est, quod Apostolus quoq; de maculis, & sordibus, quæ in Ecclesia cõmuni sunt, præcipit, cũ ait, si quis frater nominatus, aut fornicator, aut auarus, & quæ sequuntur, & paulò post, auferte, inquit, malum ex vobis ipsis, id est, ex vestra Ecclesia. Sic quoq; B. Basilius interpretatus est hunc locũ Esaiæ de eijciendis ex Ecclesia nõ obedientib. hoc

Quomodo ex loco Esaiæ collato cum loco epist. ad Eph demonstratur ecclesiã electorũ nõ esse separatam ab ecclesia reproborum separatione vitæ communis, sed tantum separatione sanctitatis.

enim

enim, inquit, fit ab ecclesia, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Sicut igitur peccatores partim quidem foris, vt infideles; & qui se à nobis sponte segregarunt, id est, hæretici; partim verò intus; atq; hi quidem rursus partim eijciuntur foras, vt Ecclesiã turpificantes, qui ecclesiam audire nolunt, postquam moniti sunt, neque cum ea pacem habere eluendo per pœnitentiam maculas, & sordes peccatorum, qui sunt instar partis corporis superuacuæ, vt digiti alicuius, aut partis in carne eminẽtis, quæ propter turpitudinem amputari solent, vt Apostolica doctrina aiebat, partim retinentur, & conseruantur in ea; hi sunt, qui nolunt obedire, & maculas, atq; rugas peccatorum per pœnitentiam deponere, quibus depositis ecclesia iustorum fiant. Hactenus de scripturis, probemus deinceps testimonijs patrum, sic intelligendum esse, de maculis istis, & rugis Ecclesiæ, quas hic dicit Apostolus, vt significent peccata, quæ Ecclesiam deformem efficiunt, quorũ auctores abscindendi, & tanquã partes corporis superuacuæ, quæ deformitatem, & turpitudinem toto corpori inferant, amputãdi. Sanctus Pacianus Episcopus Barcinonensis grauissimus & peruetustus auctor, cuius Hieronymus in scriptoribus Ecclesiasticis meminit, scribens aduersus Nouitianos, ecclesia est, inquit, non habens maculam, neq; rugam, hoc est, hæreses nõ habens, non Valentinos, non Cataphrygas. Sunt in his quidam sinus maculosi, atq; rugosi preciosarum vestium ornatibus inuidentes. Cæterũ peccator, & pœnitens non est ecclesiæ macula; quia quandiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiã constitutus est. hactenus S. Pacianus. hoc extremum de eo peccatore non pœnitente intelligendũ est, qui postquam dictum est ecclesiæ, si ecclesiam non audit, secundum Euangelium tanquam ethnicus & publicanus habetur: subiungit deinde, vbi desinit peccare, iam sanus factus est. Hæreticus verò vestem Domini, Ecclesiam Christi scindit, intercipit, vitiat, irrugat. Cùm enim, inquit Apostolus, schismata, & contentiones sint inter vos, nõne carnales estis, & secundum homines ambulatis? sed & sermo eorum quasi cancer serpit, hæc est macula vitatis, hæc ruga. Deinde subiungit, deniq; vbi super his Apostolus loquitur, de amore Christi, & de dilectione proposuit, sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam,

Quæ testimonia patrum sint præter scripturas, significare maculas & rugas in loco epistolæ ad Ephes. peccata grauia, quæ faciem ecclesiæ deformẽ reddunt.

* Sãctus Pacianus epis. Barcinon.

Quæ S. Pacianus scribat, quæ inprotestantes maximè quadrant.

ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt hæreticos submoneret, quia diligere nõ nouerunt. Cæterum misero pœnitenti, quia amare optat, & amari, ecclesia est, integra Euangeliorum iura custodiens. Hactenus S. Pacianus; quæ idcirco prolixè recitaui, quòd hæc omnia in Protestantes tuos mirificè quadrent. Beatus Methodius martyr, cuius quanta sit auctoritas, ex S. Hieronymo, & S. Epiphanio & ex multis alijs, quos prætereo, intelligere potes, in conuiuio decem virginum elegantissimo, & eruditissimo libro, qui Græcè extat, quas vocat Paulus hoc loco maculas, & rugas, & si quid aliud huiusmodi ἀποτήματα σαρκὸς appellauit, dicamus nos absurda opera carnis. Sic etiam intellexit beatus Hier. in Comment. epistolæ ad Ephes. maculam, & rugam esse peccatum, quod facit, inquit, ne appelletur propriè peccator de Ecclesia Christi, neque possit Christo subiectus dici. Cum dicit, neque Christo subiectus; dici, simul dicit nec Ecclesiæ subiectus; qui enim Ecclesiam non audit, nec Christum audit; cùm Christus & Ecclesia duo sint in carne vna, quod est magnum mysterium in ecclesia: subiungit posteà Hierony. Possibile autem est, vt quomodo Ecclesia, quæ prius rugam habuerat, & maculam, in iuuentutem, & munditiam posteà restituta est, ita & peccator currat ad medicum, & in alio loco in epistola si rectè memini ad Theophilum Alexand. Ecclesiam ait non habere maculam, aut rugam, quia, inquit, Deus ei gratiam largiatur, vt integrum, ac purũ corpus conseruetur, vt in nullo hæreticorum venena prævaleãt. Itẽ Syritius Pont. in epistola 4. vt de cætero, inquit, solicitudo esset vnicuiq; in ecclesia curam huiusmodi habere, sicuti Apostolus prædicat Paulus, talem Deo ecclesiam exhibendam, non habentem maculam, aut rugam, ne per alicuius morbidæ afflatum ouis conscientia nostra contaminata videretur, &c. satis apertè significat, non de leuibus, & paruis maculis, sed de magnis accipiendum esse, quod Apostolus ait. Sed quia tu, Antoni, scrutatorem Græcorum vocabulorũ me vocas, nescio vtrum laudare volens, an irridere, attendamus paulisper vim horum verborum, quibus vsus est Apostolus, certè σπίλος, quod vetus interpres Latinus maculam vertit, vocabulũ esse non leue, sed valdè graue, id est, non leuis, sed fœdissimæ maculæ,

Methodius martyr.

Hieronym.

Interpretatio nominis σπίλος.

culæ, ipsa interpretatio nominis, quæ etymologia dicitur, declarat, σπίλος enim dicitur παρὰ τὸ σπᾶν ὕλην, id est, à trahendo cœno, quo verbo vsus est beatus Petrus in describendis, & notandis fœdissimis & spurcissimis hæreticis, siue ij Simoniani essent, vt quibusdam videtur, siue Carpocratiani, vt Clemens Alexandrinus in tertio libro Stromatum sensit. Quos enim beatus Petrus propter insignem turpitudinem vocauit σπίλους, id est, maculas, eosdem, & ob eandem causam Iudas Apostolus appellauit σπιλάδας. Quem locum interpretans Clemens Alexandrinus, hos, inquit, aiunt, (loquitur autem de Carpocratianis) & alios similes conuenire ad cœnas, ac viros simul, & fœminas post saturitatem, remoto lumine misceri, quomodo libeat, & cum quibus. Et paulò post, de his, inquit, opinor scriptum esse propheticè in epistola Iudæ. Recitat autem totum locum vsque ad illud, os eorum loquitur superba. Quis hic dicat, superbos, incestos, & sacrilegos hæreticos appellatos esse σπίλους, quasi leui vocabulo, ac non potiùs graui, & cum eorum nequitia pari, & æquali? alterũ verò vocabulum Græcè ῥυτὶς, quod rugam vertit interpres, rectè Theophylactus notauit, significare peccata χρόνῳ παλαιωθέντα δυσπόνιπτα ὄντα, id est, peccata tempore inueterata, ac proinde ad eluendum difficilia, sed diuinum, inquit, baptisma omnia abluit. Præterea, vt huius loci tractationẽ tandẽ concludamus; cùm Apostolus planè de ea ecclesia loquatur hic, quæ per baptismũ mundata est & p baptismũ regenerat, vna enim & eadẽ est, hæc aũt ecclesia visibilis est, & non inuisibilis, hic igitur locus Pauli non pertinet ad Ecclesiã electorũ, quã solus Deus videt; ipse .n. nouit, qui sunt sui, id est, qui sint electi. his positis, quæ nõ potest Antonius non cõcedere, concludamus hanc ecclesiam visibilem, quæ regeneratur, & regenerat, interrumpi non posse; quia si interrumpi potest, potest igitur interrumpi regeneratio, quæ per baptismum fit; et sublata regeneratione, quæ media est, nec erit regenerans, neq; regeneratum, & ita mentietur scriptura secundum matæologiam Antonij Sadeelis, quæ dicit per Zachariam, c. 13. prophetans de baptismo ecclesiæ Catholicæ visibilis, & erit in die illa fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris. Quod si fortè negauerus, debere omnò

Quomodo necesse sit ecclesiã esse visibilem, quæ regeneratur, & regenerat; & de ea locũ epistolæ ad Ephes intelligi oportere.

Quomodo Antonius mendacẽ facit Prophetã, si ecclesia visibilis interrumpi potest, vt dicit.

minò esse Ecclesiam visibilem, quæ regenerat, quia baptismus alioqui hæreticorum, qui extra Ecclesiam sunt, verus tamen baptismus est, audi quid contradicat Methodius martyr, & quomodo id probet, sic enim in Symposio x. virginum, necesse est, inquit, confiteri ecclesiam esse, quæ parturiat, & generet τὰς ἀπολυζωμένας, id est, redemptos, hos enim, inquit, Scriptura testatur, cum ait Esa. c. 66. de Ecclesia noui Testamẽti prophetans, antequam parturiret, peperit; & antequam veniret dolor, (sic enim est apud LXX.) peperit masculum: & B. Ioannes in Apocalypsi, qua vidit, inquit Methodius, nõ quæ præterita erãt in ecclesia, sicut iam impletum & transactũ erat mysterium incarnationis, & natiuitatis Christi, sed præsentia, & futura, loquens de eadem Ecclesia generante nouas creaturas, id est, populum Christianum, c. 12. & draco, inquit, stetit ante mulierẽ, quæ erat paritura; vt, cùm peperisset, filium eius deuoraret; & peperit filium masculum. Masculum, vt idem Methodius intellexit, vocat in his locis Scriptura baptizatum, quòd Christus virtus patris habitat per fidem in baptizato; & dat ei, sicut Apost. in epistola ad Ephes. ait, virtuti corroborari per spiritum S. in interiore homine, vt possit, si velit, nullis tentationibus succumbere, sed potius permanere in fide, sicut idem Apost. in epistola ad Colosss. ait, fundatus, et stabilis, atq; immobilis ab spe Euangelij: siue igitur baptismus à Catholico, qui in Ecclesia est, siue ab hæretico, qui est extra Ecclesiã, ministretur, semper qui baptizatur, in fide ecclesiæ catholicæ baptizatur; & Ecclesia catholica visibilis est, quæ eũ generat per baptismum, tanquam mater, & Christi sponsa ex semine incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum, sicut ait beatus Petrus. quod si Ecclesia visibilis est, quæ generat mysticè, secundum scripturam, & hæc interrumpi non potest, alioqui generatio nouæ creaturæ ex aqua & spiritu S. vt anteà docui, simul interrumperetur: sequitur, vt dispositio Ecclesiæ visibilis, quæ forma eius in nouo testamento est, interrumpi non possit, dispositio autem, & forma eius est, quam Apost. in epistola ad Cor. & ad Ephesios descripsit. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos; secundò Prophetas; tertiò Doctores; deinde virtutes, & quæ sequuntur.

Locus Esaiæ de Ecclesia noui testamenti regerante per baptismum.

Locus Apocalypsis de ecclesia visibili generãte nouas creaturas per baptismum.

Quomodo siue qui minister baptismi est, in ecclesia sit, siue extra ecclesiam, vt hæreticus, semper ecclesia per baptismum qui ministratur, generat mystice.

tur. Ex istis enim ministris, & ex eorum per vicariam ordinationẽ successione constat Ecclesiæ visibilis dispositio, & forma. Deniq; sicut illud Apostoli de ecclesia columna & firmamento veritatis, non putasti pertinere ad Ecclesiam visibilem, quod in ea sint multi mendaces, vnde Caluinus hæresiarcha idem tecum sentiens, potiùs colũnam mendacij dicendam esse aiebat, quem ego ante annos 18. libro primo de dogmaticis characteribus verbi Dei confutaui, sic tu, quia in ecclesia visibili multi peccatores sunt, & versantur, existimasti, quod Apost. dixit de Ecclesia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, non posse ad ecclesiam visibilem referri. Sed quod possit, & necessariò debeat, satis hactenus me demonstrasse arbitror, si tu alias scripturas habes, profer illas, vt sapientia tua omnibus nota fiat. Et nos ad locum tertium à te de ecclesia electorum simili errore citatum pergamus.

CAPVT V.

De loco epistolæ ad Ephes. sacramentum hoc magnum est, ego autẽ dico in Christo & Ecclesia, quomodo non ad Ecclesiam inuisibilem, vt Antonius fingit, sed ad visibilem necessariò, sicut locus superior eiusdem capitis pertinet. Et quomodo ecclesia visibilis interrumpi nõ possit. Item de loco eiusdem epistolæ, ipsum dedit caput super omnẽ Ecclesiam, quomodo eum peruersè de ecclesia inuisibili interpretatus sit. item de ecclesia visibili mixta ex iustis & peccatoribus, ex electis, & reprobis. De Elencho sophistico Antonij, & de erratis eius in categorijs, de definitione Ecclesiæ, quomodo non extrinsecus, vt Antonius finxit, petita sit, & de forma ecclesiæ noui testamenti, & quæ sint propria Episcopi, & quomodo Episcopus non sit res externa Ecclesiæ, vt falso putat Antonius.

ET paulò post, inquis, mysterium hoc magnum est, de Christo & ecclesia. Hæc est tua bella citandi scripturã forma. Paulus igitur interpretans anagogicè, quod Adam dixit in persona etiam omnium coniugũ, vt S. Asterius episcopus Amaseæ in quadam sua Homilia ait, & erunt duo in carne vna, subiunxit, sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in CHRISTO, & in Ecclesia.

Quomodo, quibus argumentis & scripturis probatur, locum epistolæ ad Ephe. de ecclesia non habente maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, pertinere ad ecclesiã visibilẽ, eidem probatur, quod statim sequitur, sacramentum hoc magnũ est, ego autẽ dico in Christo & in ecclesia, ad eandem ecclesiam visibilem penitus referri.

Hoc tu Antoni ad Ecclesiam electorum similiter pertinere interpretaris, & affirmas, sed cum Paulus de eadem ecclesia hoc dicat, de qua proximè dixerat, vt exhiberet ipse sibi gloriosam sponsam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, (Illam enim Ecclesiam verbum Dei per vnionem carnis sibi desponsauit, quam lauacro aquæ in verbo vitæ mundauit) quibus argumentis & scripturis probamus, Ecclesiam illam non habentem maculam aut rugam, Ecclesiam visibilem esse, eisdem probamus, hoc, quod sequitur de mysterio magno in Christo & Ecclesia desponsata, scilicet verbo Dei, de eadẽ visibili Ecclesia accipiendũ esse. Ex quo fit, vt si Ecclesia visibilis, vt tu vis, interrumpi posset, desponsatio verbi cũ carne, in qua visibilis apparuit, interrũpi quoq; posset. * Veniamus igitur ad quartum, & extremum locum eiusdem epistolæ ad Ephes. c. 1 & ipsum, inquit, dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur, quia Christus impleuit ecclesiam omnibus charismatibus; de plenitudine enim eius accepimus omnes, vt ait Ioannes Euangelista: idcirco vocatur ecclesia plenitudo Christi. † Illud autem, qui adimpletur omnia in omnibus, in patria cælesti fit, ibi enim ait Didymus in Comment. epistolæ beati Ioannis primæ, ca. 3. omnes venient ad scientiã plenitudinis Christi omnia in omnibus facti. * Hoc est igitur Christum impleri omnia in omnibus; quod enim membrorum, & cordis est, tribuit scriptura capiti, quod est Christus, melius itaque vertit interpres vetus Latinus, quem tu Antoni corrigere voluisti, qui Græcè videris tibi eruditus, verbum enim patiendi est in eo loco πληρωμένυ. Et sic accepit Didymus Alexandrinus. In eandem sententiam dixit paulò post, c. 3. idem Apost. vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Potui non excurrere huc: sed libenter occasione lectorem adiuuandi obiter vti soleo. Nunc ad rem, non possum satis mirari, te ita oscitantem hallucinari, vt cum Apost. dixerit, omnia Deum patrem sub pedibus Christi filij subiecisse, & ipsũ dedisse caput super omnem Ecclesiam, tu super ecclesiam visibilem electorum interpreteris. An non est ecclesia etiam illa Hierusalem cælestis? aut nulla forsan inter vtranq; differentia est? deinde, tu

* Quomodo qui dicit ecclesiam visibilem interrũpi posse, necesse est, dicat idem, desponsationem verbi Dei cum humana natura interrumpi posse.

† De loco epist. ad Ephes. & ipsũ dedit caput super omnẽ ecclesiã, &c.

* Quid sit impleri omnia in omnibus Christũ.

Quam prauè interpretetur Autor

conce-

concedis congregasse Apostolos ecclesiam visibilem ex multis etiam hypocritis, fuisse enim illorum prædicationem instar sagenæ; vnde igitur probas, ex qua scriptura, ex quibus antiquis & Ecclesiasticis doctoribus, illam ipsam Ecclesiam visibilem, quam instar Sagenæ bonos & malos pisces colligentis, congregârunt, non fuisse, & esse sponsam Christi? quod si nullam scripturam habes, neq; dicere potes, ex quibus hoc didiceris, nisi ex Luthero, aut Caluino hæresiarchis, qui te similiter sine scriptura, & sine vllo auctore deceperunt, cur academiam, cuius te magistrum esse suspicor, cur celsitudinem Lantgrauij, qui tibi libros meos ad respondendum misit, & in cuius gratiam, vt prætefers; respondisti, decipis? nos Ecclesiam visibilem ex iustis & peccatoribus à sanctis Apostolis, & eorum successoribus congregatam, & vsq; ad consummationẽ sæculi congregandã sponsam Christi esse, auctoritate scripturarum, & sanctorum Patrum testimonijs satis hactenus probauimus, quousq; tu redarguere tentes, vt magis ac magis doctrinæ tuæ falsitas & insipientia tua manifesta omnibus fiat. Non enim dixit Apostolus, & dedit eum caput super Ecclesiã inuisibilem electorum; aut super ecclesiam, sed super omnem Ecclesiam. Proba igitur tu, Ecclesiam inuisibilem electorum esse omnem Ecclesiam; quod si probare hoc non potes, cur scripturam hanc depraua sti, & quasi Ecclesia inuisibilis electorũ esset omnis Ecclesia, ita locũ interpretatus es? ô cæcã & impiã temeritatẽ. Sed videamus, q̃ in libello tuo sequuntur, postquã argumentatus es, definîsse me ecclesiã ab episcopis Apostolorũ successorib. congregatã instar piscium in sagenas, cõclusisti nõ definîsse me ecclesiã electorũ, alioqui inquis, definitio erit latior definito, dicturus eras, si videri volebas aliquid dicere, igitur nõ erit definitio æqualis definito. Aut sic, latius patebit definitũ definitione, quod vetãt eæ regulæ, quarũ cognitionẽ nescio quo iure tibi arrogare videris. Immò æqualis est definitio definito, neq; latius est definitum definitione. Electi enim secundũ Apostolicam traditionem, vt antea docuimus, non disiunguntur à peccatoribus, & iniustis disiunctione vitæ, sed sanctitatis. Et scriptura, sicut beatus Aug. lib. 3. de doctrina Christiana, c. 32. ait, de vero Christi corpore, & de simulato, siue de permixta Ecclesia loquitur,

nius Locum Pauli de ecclesia inuisibili, cũ ait, ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.

Quomodo ex nulla scriptura, nec vllis antiquorum patrum testimonijs probet Antonius, ecclesiam visibilem à S. Apostolis cõgregatã nõ esse spõsam Christi.

Quomodo Antonius pessimè interpretãdo locũ Apostoli, ecclesiam inuisibilẽ electorum fecit omnem ecclesiam.

De ecclesia permixta.

,, tur, nunc de his, nunc de illis tanquam vnum ſit vtro-
,, rumque corpus propter temporalem commixtionem,
,, & communionē ſacramentorū, & ſubiungit, ad hoc per-
,, tinet in Canticis Canticorum, fuſca ſum, vt tabernacula
,, Cedar; ſpecioſa ſum, vt pelles Salomonis. Hoc dicit eccle
,, ſia viſibilis permixta, vna ſponſa, & non duplex, vna in-
,, quam cōmunione viſibili ſacramentorū, quæ definitur.

Quomodo in vno & eodem loco Antonius & ſcripturam neget; & auctoritati Auguſtini ſuā præferat.

Eat nunc Antonius, & vno in loco neget ſcripturā; & auctoritati Auguſtini ſuā anteponat. Idē obſeruauit Euſebius Cæſar. in eruditiſſimis Comm. in Pſal. pſalmo 39. vt cū tres pueri, inquit, orantes dicebant, peccauimus, iniquè egimus, & receſſimus à mandatis tuis, & non ſeruauimus iuſtificationes tuas, &c. & paulò poſt, ἄλλως τε οὐδ' ἐκ τελείων πᾶσα συνέστηκεν ἡ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία, ἀλλ' ἐχεῖ καὶ τοὺς ῥαστώνῃ συζῶντας, καὶ τὸν ἀνειμένον βίον ἀσπαζομένους, καὶ ἡδοναῖς δουλεύειν αἱρουμένους, ἐπειδὴ ἓν ἐστι σῶμα, ὡς ἐξ ἑνὸς προσώπου καὶ ταῦτα κἀκεῖνα προφέρεται, *alioqui, inquit, neq; tota eccleſia Dei cōſtat ex perfectis, imò habet eos, qui negligenter & remiſſe viuunt, & voluptatib⁹ ſeruiunt, & quia eſt vnū corpus eccleſia, tanquā ex vna perſona hæc, & illa profert. Recitemus, quæ adiungis,* ais Prætereà, *(me dicis)* hanc congrega
,, tionē eſſe fideliū, quæ dictio non minus etiā fuit explican-
,, da. Iam. n. confecimus in definitione Eccleſiæ viſibilis, fi-
,, deles intelligi non ſolos electos, ſed eos oēs, qui verā reli-
,, gionē profitentur; at vera religio poſtulat puritatē doctri
,, næ, ſyncerā ſacramentorū adminiſtrationē, rectā inuoca-
,, tionem nominis Dei, & cætera eiuſmodi, quæ ſunt ad ve-
,, ram religionem conſtituendam neceſſaria. Deinde adiū-
,, gis, ex quo efficitur, ijs omnibus deficientib. non poſſe dici
,, eccleſiā, quia eiuſmodi congregatio non erit fideliū con-
,, gregatio, id eſt eorum, qui profitentur veram religionem.

Quomodo Antonius tanquā bonus dialecticus ex ſumptis nō conceſſis, nec à ſe probatis

Quomodo probaſti ea omnia deficere, q̄ dicis? aut ſi nō probaſti, neq; nos vnquā dabimus, quid ex ſumptis, & nō conceſſis, nec à te probatis, efficere te cōtra eccleſiæ definitionē putas? eſtne hoc more dialecticorū cōcludere? an potiùs fūditus iſta ignorare? dices fortaſſe, vt Andreas cōdiſcipul⁹ tuus ſolet, luce meridiana hoc, q̄ dicis, clarius

eſſe.

esse. Cui ego sæpè illud obieci, q̃ Aug. Parmeniano, dicis, & non probas, q̃ tibi quoq; identidẽ obijciendũ erit. Ego verò nõ posse esse puritatẽ doctrinæ nisi in ecclesia catholica visibili, dixi, & probaui tũ in duob⁹ libris meis cõtra capita prioris disputationis Andreæ Freyhubij, tũ copiosius in alteris duobus cõtra capita posterioris disputationis eiusdẽ, qui ad vos propediẽ p̃ficiscentur, nisi iã profecti sunt. Ecclesiã verò electorũ nõ posse nisi in Ecclesia visibili catholica cõsistere, satis demonstratũ est hactenus, & adhuc demõstrabitur. Sequitur in tuo libello, ita facilè cõcludimus, falsũ esse, qd⁹ initio dixisti, ecclesiam fuisse ante propheticã & Apostolicã doctrinã, i. ante verbũ Dei ab hominib. receptũ. Conclusisti, vt aiebas, Ecclesiã, quã definio, non esse cõgregationẽ fidelium, quia illa omnia, q̃ numerasti, dixisti deficere; rursus sumis, q̃ prius male negaueras, scilicet ecclesiã, quã definio, esse congregationẽ fidelium, vt me redarguas: ex eo.n. dicis efficì, falsũ esse, q̃ initio dixi, ecclesiã fuisse ante prophẽticã, & Apostolicã doctrinã, sic.n. argumentaris, si ecclesia est cõgregatio fidelium, & fideles dici nõ possunt absq; fide, neq; fides potest absq; verbo Dei cõsistere, est igitur verbũ Dei prius ecclesia. Est ne hoc dialectici, & leges disputãdi sciẽtis, vt in me dicis, q̃ prius argumentando sustulisti, cõtinuò rursus ad redarguendũ sumere, & leges elenchi nõ seruare? est.n. elenchus cõtradictio eiusdẽ & vnius, non nominis, sed rei, & nominis nõ æquiuoci, sed eiusdẽ, & secundũ idem, cũ reliquis, quæ te credo nõ ignorare. ego in meo libro pagina 2. quã tu notasti, sic scripsi, prius fuisse Ecclesiã Dei, quã allata esset p̃phetia, hoc tu sic interpretatus es pagina 7. id est, ante verbũ Dei ab hominib. receptũ. An videbatur tibi idẽ esse dicere ante prophetiã, siue ante verbũ propheticũ, & dicere ante verbũ Dei? quid magis fatuũ dici potest? aut si nõ putabas idẽ esse, & sciebas, posse esse verbũ Dei nõ propheticũ, cur sic fallaciter cõclusisti? cũ Apost. dixit in epist. ad Rõ. fides ex auditu est. i. ex reuelatione (q̃ in Scriptura dicitur audit⁹, vt p̃pheta Abacuc, audiui auditũ tuũ, & timui; & Esaias, quis credidit auditui nostro? i. reuelatiõi nobis factæ, sic.n. Cyrill. interpretatur) audit⁹ aũt per verbũ Dei; an tu omninò propheticũ verbũ intelligis? nõ credo, dices; separas igitur verbũ dei à p̃phetia; quia, & si õnis p̃phetia verbũ Dei est, nõ tamẽ retro cõmeat, vt omne

argumentatione suam concludat.

Elenchus sophisticus Antonij Sadeelis.

Locus Apostoli, fides ex auditu est. &c.

Quid differant, & quomodo verbum Dei, & prophetia

verbum Dei sit propheticum. Cur igitur sic mendosè, & imperitè interpretatus es? & ita sophisticè conclusisti? cum Deus fidem inspirat, & quid credendum sit, reuelat, an non loqui potest in corde sine prophetia? aut tu de prophetia necessariò accipiendum esse contendas, quod Dauid dixit in Psal. audiam, quid loquatur in me Dominus? & Oseas, & loquar, inquit, ad cor eius? scio ex posteriori disputatione Andreæ Freybubij mutuatum te esse hoc mendacium. Quem ego denuò confutaui. Et te in eo. Deinde adiungit iste bellus disputator, quod si ad leges recte disputandi respexisses, vidisses ecclesiam referri ad verbum Dei, tanquam τὸ μέζητὸν πρὸς τὸ μέζον, hoc autem esse prius illo. *Miror, si academiam tuam inscitiæ tuæ non pudeat. Dic bone dialectice, quomodo mensura, si dicitur ad aliquid, esse potest prior mensurato? videris ignorare categorias, qui te putas leges rectè disputandi scire. Tradit tuus Aristoteles τὰ πρός τι, esse natura simul, & licet non in omnibus, inquit, videtur esse verum, simul esse natura, vt in scibili, & scientia, in sensibili, & sensu; scibile enim si interimatur, interimitur scientia, quæ non potest esse nullius rei; interempta scientia non simul interemptũ est scibile, similiter in sensibili & sensu, & in ijs, quæ eiusmodi sunt, quale est tuum μέζητὸν, & μέζον, id est, mensurabile, & mensura. Potest enim esse res aliqua mensurabilis, cuius non sit inuenta mensura; sicut potest esse scibilis & non inuenta scientia, vt tetragonismus, siue quadratura circuli, tamen quia quod ad aliquid dictum est, non potest esse sine eo, cuius esse dicitur, & omnia, quæ sunt, aut naturali potentia esse dicuntur, aut actu; scibili in ipso ortu naturæ scientia sociata est; simul enim vt scibile esse cœpit, scientiam sui habuit, licet non esset actu demonstrata. Similiter, mensura simul natura est cum eo, cuius esse dicitur, & ad quod refertur. Hactenus de mensurabili, & mensura, nunc dicamus de verbo Dei, quod voluisti esse μέζον relatum πρὸς τὸ μέζητὸν, & ideo esse prius quàm Ecclesiam. Hoc est aliud simile in categorias erratum. Hic enim verbum Dei locutionem Dei significat, quæ cùm sit emanatio Dei ad creaturam, quæ πρόοδος à Dionysio Areopagita vocatur, & ad Dei prouidentiam pertinet, necesse est*

Quomodo Antonius, qui leges recte disputãdi iactat, categorias ignorare videtur.

Auguſt. in libro x. categoriarum.

Aliud erratum Antonij in categorias.

est

est, vt sit habitudo media inter emanantem, & (vt ita dicam) emanatum; vt operatio inter operantem, & opus, quæ simul natura cum illis est. quare si verbum Dei, est mensura Ecclesiæ, tanquam mensurati, vt ponis, necesse est, vt sit simul natura cum mensurante, & mensurato, quorum est habitudo intermedia. Pergamus vlterius. Sequitur, porrò (inquis) in tua definitione, fideles esse in nomine Christi congregandos ex hoc Matthæi loco. c. 18. & 1. Cor. 5. vobis, & meo spiritu congregatis, verum Christus illic loquitur, &c. *Hic tu, quia elabi aliter non potes, futili, & vana cauillatione eludis, quod ex antecedentibus, & consequentibus in loco Matthæi, c. 18. collato loco Pauli 1. Corinth. c. 5. argumentor, & dicis videre te perperam,* fidelium congregationem, id est, cœtum ad actum ipsum congregationis me restringere, *πρᾶγμα* cum *οὐσία* confundentem, atque ita longè resilire à susceptа Ecclesiæ definitione, illic enim, inquis, Christus proponit, non quid faciat Ecclesiam, sed quid ipsa Ecclesia faciat. *Quomodo ego restrinxi congregationem ad actum ipsum congregationis, cùm Ecclesiam definiui, qui in ipsa pagina 10. quàm tu notâs, sic scripsi, quia verò Ecclesia cœtus est, & congregatio fidelium, & cæt. An non dixi satis apertè; Ecclesiam, quàm definio, cœtum esse? & idem duobus verbis à me dici, cum dico, cœtus & cõgregatio fidelium? imò tu ipse sic interpretatus es, cũ ais videre te perperam fidelium congregationem, id est, cœtum, &c. si videbas me restringere congregationem ad actum ipsum congregationis, cur addidis, gratia interpretandi, id est, cœtũ? Iamne sentis tuis te verbis captum esse? ego hoc verbo congregationis sic vsus sum, vt consuetudo familiaris quotidiani sermonis vtitur, vt cũ dicimus vulgo, ille, aut ille nõ venit, non fuit in congregatione, id est, inter congregatos, in ipso inquã cœtu, & nequis aliter acciperet, vt tu nunc, adiunxi, vt omnem calumniam effugerem, cœtum ad cõgregationem, & dixi non congregationem solùm, sed vtrunq; cœtum, & congregationem. Sed neq; sic effugere potui. Quia neq; vides, neq; sentis, quid dicas. Cum sis ex numero eorum, quos Apos. ait in epistola priore ad Timoth. conuersos esse in vaniloquium volentes esse legis*

Quomodo Antonius suis verbis captus sit.

gis doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Tu dicis non doceri in hoc loco euangelij, quid faciat ecclesiam; sed quid ipsa ecclesia faciat; proba, quod dicis, ne, vt ille apud Augustinum, dicere & non probare videaris. Ego verò probaui, quod dixi, ex antecedentibus & ex consequentibus, & ex loco Pauli & loco Clementis de constitutionibus Apostolorum, & loco Matthæi superiore, c. 16. Quæ tu quia refellere non potuisti, ferè omnia callidè dissimulasti. Sequitur, Postremò dicis, eos demum con gregari in nomine Christi, quos Episcopus cõgregauerit; atque ita, vt Ecclesiæ, quæ vna Catholica est, & præposito eius adhæreant; horumq; esse; & dici ecclesiã. Atqui Turriane est ἀπάτη, in definiendo lõge maxima, petere veram definitionem ex rebus externis, vt ab instrumẽtali causa, nempe ab Episcopis ecclesiã congregantibus, non autẽ ab ipsa rei definitæ substantia. *Non est Antoni, mea ἀπάτη sed tua ἀμαθία, quia verbis Græcis delectaris. Ego enim ex ipsa rei substantia, id est, ex dispositione ecclesiæ noui testamenti, quæ dispositio est forma eius & substãtia, definitionẽ petiui. Explicaui hoc verius in libris meis posterioribus contra capita posterioris disputationis Andreæ Cõmilitonis tui; sed dicendũ est tibi aliquid strictim, vt intelligas, non ex rebus externis peti definitionẽ. Est quidem substantia ecclesiæ, quæ vna est, & quæ ab initio cœpta est congregari, sicut ait propheta, memento domine congregationis tuæ, quam possedisti, siue congregasti, vt Origenes legit, ab initio, est inquã substãtia ecclesiæ vnus spiritus fidei colentiũ Deũ, sicut Apost. in epist. 2. ad Cor. ait, habentes eundẽ spiritũ fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur. Alia tamen fuit dispositio ecclesiæ in lege naturæ, alia in lege vetere, alia in lege noui testamenti. Ecclesiã enim noui testamenti ita disposuit Christus, vt daret ei, sicut Apost. ait, quosdã quidẽ Apostolos; quosdã aũt Prophetas; alios aũt Euangelistas; alios autem pastores & doctores ad consummationẽ Sanctorũ in opus ministerij in ædificationẽ corporis Christi, vnde necesse est, secundũ dispositionem ecclesiæ à Christo institutã, & relictã, esse in ecclesia nunc alios, qui Apostolis vicaria ordinatione, sicut B. Cyprianus loquitur, succedant;*

Demonstratio contra Antonium, quomodo non ex externis, vt ille cauillatur, sed ex ipsa rei substantia definitio ecclesiæ ducta est.

Quæ sit dispositio & forma ecclesiæ noui testamenti

cedant; alios, qui Prophetis; alios, qui Euangelistis; alios, qui pastoribus, & qui doctoribus, vt in libris de hierarchicis ordinationibus à nobis explicatũ est, quia semper ædificatur corpus Christi, quod est Ecclesia; nec vnquam intermittitur, aut interrumpitur nec interrumpi potest in Ecclesia catholica opus ministerij in consummationem sanctorũ, qui est finis Ecclesiasticæ hierarchiæ. In hac Ecclesia noui testamenti aperuit Christus fontẽ baptismatis à Zacharia, & alijs Prophetis prænunciatũ, & promissum, & mysteria corporis, & sanguinis, & reliqua sacramenta posuit. Hæc dispositio, & forma nouæ Ecclesiæ perfecta & omnibus numeris absoluta, quæ nõ est vnquã amplius mutanda, vt forma veteris Ecclesiæ Mosaicæ mutata est, ad essentiã ecclesiæ, quæ eadem numero à principio permanet, accessit, quæ facit, vt sit non quidem Ecclesia, quæ iã anteà erat; sed ecclesia noui testamenti, siue Ecclesia renouata. Hæc igitur dispositio Ecclesiæ Apostolicæ externa est ecclesiæ simpliciter: non enim constituit tanquam differentia, vnde sumitur forma, ecclesiam simpliciter, sed ecclesiã Apostolicam; sicut dispositio ligni in ianua infra, vel supra, forma est liminis, sicut ait tuus Aristot. in lib. 8. de prima philosophia, quæ externa est ligno, quod prius erat; sed non limini; immò est substantia eius; limen enim est, inquit philosophus, lignum sic situm. Episcopus igitur, qui dispositioni ecclesiæ Apostolicæ noui testamenti præest; episcopi enim propriũ est iudicare in ecclesia, interpretari, consecrare, vt in eorum ordinatione promulgatur, & prædicare Euangeliũ, ipse est, qui, vt Apostolica constitutio in libro Clementis Rom. viij. ait, præest potestati remittẽdi peccata, soluendi omne vinculũ, dandi sortes ministerij Ecclesiastici, & offerendi sacrificium, quæ enim ex his presbyteri facere possunt, sine permissu, & concessu Episcopi facere eis non licet, vt est canone Apostolorum cautum. Et potestas Episcopi, inquit Dionys. Areopag. in eccl. hier. ca. 9. in omnibus ordinibus, qui infra eum sunt, versatur, & operatur; & quædam ipsi reseruauit diuina constitutio, vt ipse αὐτουργῶς, id est, per seipsum, & non per alios, ea operetur; sed de his non est copiosius differendi locus, eo spectant hæc pauca, vt intelligas Antoni, si tamen credere volueris: sicut enim dixit:

Quæ sint propria episcopi, qui dispositioni ecclesiæ noui testamenti præest.

Esaias, cũ vellet de mysterio partus virginis prophetare nisi credideritis, non intelligetis, sic enim est apud LXX. eo inquam, pertinent vt intelligas, quomodo Episcopus, cuius est congregare ecclesiam, & ei præesse, non est res externa, Ecclesiæ quam definimus, vt tu falso putas, & dicis sed potiùs intima; differẽtia enim vltima, ex qua sumitur forma ecclesiæ noui testamenti, est talis dispositio à Christo instituta, & ab Apostolis sanctis tradita, & per cunctum orbem prædicata, cui dispositioni, quia Episcopus præest, & tota ex eo pendet, & eam in se continet, ita vt, sicut B. Cyprianus ait, hac ratione τῆ ἑνώσει, Ecclesia sit in Episcopo; & Episcopus in ecclesia; idcirco in Episcopo continetur differentia vltima, quæ est forma & substantia Ecclesiæ nouæ, ita fit, vt cum dicimus, sicut Cyprianus dixit, ecclesiam definiens, ecclesia est plebs fidelium Episcopo suo catholico scilicet adhærens, perinde sit, vt si dicatur, Ecclesia est plebs fidelium, talem habens à Christo dispositionem, cuius dispositionis caput est Episcopus, qui eam in se potestate continet, hactenus »» *de ἀπάτη tua, simul & ἀμαθία.* Quod verò notasti, præpostere »» dictum à me esse, eos congregari in Christi nomine, qui »» ab Episcopo congregantur, cum potiùs dicendum sit, eos »» demum legitime ab Episcopis, id est, ab Ecclesię ministris »» congregari, qui in nomine Christi congregantur. *Immò tu peruersè facis, qui præpostere vis concludere ignotum, & controuersum ex æquè ignoto, & controuersio: æque enim ignotum est, quis cõgreget in nomine Christi; vt est ignotũ, quis minister legitimè cõgregat; & qui alterutrum scit, aut ignorat; vtrũq; scit, aut ignorat. Qui scit, inquã, quod quis legitimè congregat; scit etiam, quod in nomine Christi congregat: & si illud non scit, nec hoc scit; & viciſsim, qui scit, quod quis in nomine Christi congregat, simul scit, quod idem legitimè congregat; & qui illud nescit; & hoc item nescit. Quare sicut tuus Aristoteles in 2. libro de physicis dixit, ostendere, quæ manifesta sunt per ea, quæ non sunt manifesta, hominis esse, qui nequit, quod est per se notum, & id, quod non est per se notum discernere, sic dicendum est nunc velle ostendere, quod non est notum, per id, quod æquè non est notum, hominis esse, qui nequit discernere notum à non*

Quomodo Episcopus non sit res externa ecclesiæ, vt falso putat Antonius.

Quomodo Antonius peruersè, & præpostere faciat, qui vult concludere ignotũ & controuersum ex æque ignoto, & controuerso.

Velle ostendere, quod non est notum, per id, quod æquè non est no-

noto,

noto, & vterq; similis est, vt idem philosophus ibidem ait, cæco de coloribus disputanti, quem necesse est, inquit, de nominibus loqui, nihil autem in re intelligere. Vtrumq; tibi accidit bone Antoni. Dic enim nobis, si potes, vnde didicisti, cum aliquid ostendendum est, vt quod minus dignum est, à digniore pendeat, si quod dignius est, obscurius est? Ego igitur, vt præposterum, quod mihi siue malitiosè, siue ignoranter obiecisti, in te retorqueam, ad ostendendum, quinam nomine Christi congregentur, quod nunc quærimus, & quod ipsi vobis iniustè attribuitis, sumpsi quod notißimum in ecclesia Catholica est, Episcopos dico, quos Christus successores Apostolorũ esse voluit, & in ecclesia vsquè ad consummationem sæculi posuit, & quos ita conspicuos, & illustres in ecclesia per cunctum orbem diffusa esse voluit, vt essent ad instar ciuitatis supra montem positæ, & lucernæ super candelabrum; sicut de sanctis Apostolis in Euangelio suo Dominus Iesus dixit, quorum sunt, vt dixi, successores. Neq; verò, si non succedant in sanctitate, hoc enim exprobrare, & vrgere soletis, continuò non successerint in potestate; aut minus eis parendum in Christo erit. Etenim, si non sic vixerint, & sic luceat lux eorum coram hominibus, vt videant opera eorum bona, & glorificent patrem, qui in cælis est, vt Dominus eis præcepit pœnas eius & supplicium à Iudice propositum est: sic enim & illis, & in eis omnibus magistris ecclesiæ dixit paulò post, qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; quod perinde est, vt Phocius Constantinopolitanus in scholijs suis in Matthæum, ait, ac si diceret, tu mandata tanquam minima, & vilia contemnis; at ego te propter contemptum eorum, vilem, & contemptum efficiam coram angelis & hominibus in regno cælorum; sicut tu contemnis in terra, & coram paucis hominibus. Cum autem ait, minimus vocabitur, constat, inquit, extremum supplicium significari, exteriores q; tenebras, & ignem; infra minimum enim nihil est minus; sic æternum supplicium illud summum est, & extremum; hactenus Phocius. si igitur mali fuerint episcopi, non sunt à te bone Antoni, aut ab vllo infra eos iudicandi, docuit vos hoc Dominus in Euangelio, si audire eum vultis, cum ait, super cathedram Moysi sederunt

tum, hominis esse, qui nequit discernere notum à non noto.

Quomodo Antonius similis sit cæco iudicanti de coloribus.

Locus Euangelij, qui soluerit vnum de mãdatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus, &c.

Scribæ & Phariſæi; omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, ſeruate, & facite; ſecundum opera vero illorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt. Illos Scribas & Phariſæos dicit, quibus dabat Deus de ſpiritu, id eſt, de poteſtate Moyſis, quam vocat cathedram, qui ſuccedebant illis 70. quos Moyſes iuſſu Dei elegit Numer. c. xj. nec enim illis tantùm, qui tunc fuerunt electi, illam poteſtatem impartiuit Deus, ſed etiam abſentibus, id eſt, ſucceſſuris poſtea; ſicut ſcriptum eſt in Deut. c. 29. hoc, inquit, pactum, quod ferio, & confirmo non tantùm vobis, ſed abſentib. Scribit Clemens libro 4. Hiſtoriarum, dixiſſe Petrũ in ſermone, quem fecit in ordinatione Zachæi Epiſcopi Cæſareæ, Epiſcopum veſtrum audite, καὶ τιμὴν πᾶσαν αὐτῷ ἀπονέμοντες μὴ κάμητε, ἰδότες ὅτι τῇ προφάσει τῇ πρὸς αὐτὸν εἰς χριστὸν φέρετε, ἀπὸ δὲ χριστοῦ εἰς θεὸν ἀναφέρεται, καὶ τῷ προενέγκαντι πολυπλασίως ἀποδίδοται, θρόνον οὖν χριστοῦ τιμήτετε, ὅτι καὶ μωυσέως καθέδραν τιμᾶν ἐκελεύσητε, κἂν οἱ προκαθεζόμενοι ἁμαρτωλοὶ νομίζωνται, interpretemur latinè, neque vos, inquit, pigeat omnem honorem ei adhibere, gnari, quem honorem ei tribuitis, Chriſto tribui; & à Chriſto in Deum referri. Qui ei obtulerit aliquid, multiplicatè remunerabitur, ſedem igitur Chriſti honorate; ſiquidem & Moyſis Cathedrã honorare iuſſi eſtis, quamuis qui ſederent, peccatores eſſe exiſtimarentur. Epiſcopi igitur qualeſcunque ſint, ſi fidem beati Petri profitentur, & ei adhærent in ſucceſſore eius, quod neceſſe eſt notum omnibus, & publicum eſſe, Catholici ſunt; & talium epiſcoporum fides annunciatur in vniuerſa terra; & quandiu ſic ſunt, certum eſt, eos eccleſiam congregare in nomine Chriſti, quia poteſtatem eis datam in verbo Domini per ſacram & canonicã ordinationem, nõ poteſt prauitas morum irritam facere; certum inquam eſt quandiu adhærent Petro, pro quo, ne deficeret fides eius, Chriſtus Deũ patrem rogauit, catholicos eſſe, & Euangelium, quod prædicant, ad quod Eccleſias ſuas conuocant, collatum iam eſſe cum Petro, ne in vanum currant, aut cucurrerint, ſicut Paulus fecit, & ſcripſit. Hoc eſt, quod doles Antoni, & quod te vrit, & vret verius in inferno, niſi ad deũ per pœnitentiã redeas, quod epiſcopos non poteſtis oſtendere, qui Eccleſias apud vos conuocent, veſtros enim paſtores, quos vocatis, & miniſtros,

ſiue

siue superintendentes non esse episcopos, vel vos ipsi testes estis, qui nec sic quidem vnquã ausi estis eos appellare. Quod ego consilio & prouidentia Dei factum esse interpretor; vt sitis αὐτοκατάκριτοι, *id est, vestro iudicio condemnati, vt Apostolus de omnibus hæreticis pronuntiauit. Iam ne sentis Antoni quàm præposterè, et quàm peruerse tuam præposterum mihi affinxeris? ego à notissimo ad non notum tibi descendi, tu ab æqualiter obscuro in obscurum, vt antea docui.*

CAPVT VI.

De potestate Episcopis data conuocandi ecclesiam, & ex ea eijciendi tandem ab Antonio concessa, & de ea, quod assumpsit falsum, non cõgregare episcopos Romanos ecclesiã, ad concludendũ falsum, nõ esse Pontifices Romanos successores Apostolorũ, & de iudicio, quod contra scripturam de Pontifice faciunt sine vllo Dei metu. & quare liceat nobis hæreticos iudicare, & conuicijs in eos propter Euangelium nõ parcere, & quomodo Pontifex cõgreget in vniuerso mundo ecclesiã. Et de euangelio Lutheri vbi fructificet, & crescat.

Accedis tandem ad locum Matthæi, ex quo, aiebam ipse facilè intelligi episcopos esse, quibus potestatem congregandi Ecclesiam Dominus dedisset. Repetam iterum, quia tu more tuo semper mutila, & decurtata recitas, cum ergo dixit Dominus, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus, qui essent, quibus hanc potestatem excommunicandi daret, statim docuit subiungens Amen dico vobis, quæcunq; ligaueritis super terrã, erunt ligata & in cælo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Hæc ego, mendaciũ ergo est, quod ais, me omittere eã ἀντίθεσιν, *quæ est, inquis, in contextu nempe ligandi & soluendi; & aliam inuehere* ἔξω λόγου. *Ego enim, vt nunc tandem vides, hanc tuam* ἀντίθεσιν *non omisi; nec aliam inuexi, vt tuo verbo vtar. Subiunxi posteà, Apostolis enim hoc dixit, qui quidẽ, quia morte, sicut Apostolus ait, permanere prohibebantur, id ipsum dictum voluit ijs, qui sanctis Apostolis vicaria ordinatione successerunt, qui sunt Episcopi. Quibus autem hanc potestatem eijciendi ex Ecclesia in nomine suo dedit, eisdem quoque, vt ratio consequentiæ postulat, & quidem prius*

Antonius in mendacio manifesto deprehẽsus.

prius potestatem dedit congregandi, item in nomine suo, Ecclesiã siue magnã, siue paruam. Si enim non dedisset potestatem congregandi Ecclesiam, id est, cõuocandi, sic enim à te intelligendũ erat, quomodo habere possent ecclesiam, vnde eijcerent? hæc erat ratio consequẽtiæ, quæ à te erat refellenda, si poteras, & non dissimulanda, sed finxisti me initia Ecclesiæ quærere ex excommunicatione; dixi antea, vnde quæram initia ecclesiæ nouæ, scilicet ex dispositione eius à Christo instituta, cui præest Episcopus; & cuius pars vna est, potestas congregandi ecclesiam, & in ea soluendi, & ligandi, & inde excommunicatos eijciendi, tu verò peruerse intellexisti, quasi habere potestatem congregandi Ecclesiam, vnde eijcerent excommunicatum, esset formare Ecclesiam, & ex nouis Christianis tunc primum constituere, & non potius habere potestatem conuocandi Ecclesiã, quod verbum ipsum Græcum sonat ἐκκλησιάζειν. Quid obtusius esse potuit, quam sic intelligere, sicut intellexisti? postea ais, nemo enim negat Ecclesiam Christianam fuisse primum ab Apostolis congregandam, quamuis id non sequatur ex tuo argumento. *Quasi hoc voluerim probare. Quis non iudicet te delirare, nisi tu? vel exemplum Pauli, quod statim subieci, te debuit admonere, quid esset, quod dicebam dari simul potestatem Episcopis congregandi Ecclesiam, quibus dabatur potestas ex Ecclesia eijciendi, statim enim subiunxi, vtrunq; horum cernitur in Paulo Apostolo, qui in hunc locum Matthæi scilicet 18. intuens, & eum veluti interpretans, cum Corinthium illum incestum iam notum excommunicat, quia Ecclesiam, quæ eiusmodi sceleratos non admittit, non audiebat, in nomine, inquit, Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu, iudicaui cum virtute Domini nostri tradere huiusmodi hominem Sathanæ, &c. congregatis vobis dixit, id est, conuocatis auctoritate scilicet Pauli, qui excommunicabat. Non enim constituebatur tunc primum Ecclesia Corinthiorum, quæ iam antea erat constituta. Quis vllum tam hebetem, & tam parum intelligentem cogitare potuisset, qui sic, vt tu, congregare Ecclesiam ad primam constitutionem Ecclesiæ referret? Deniq;, post quam plures elabendi vias tentasti, & nulla earum exitum reperisti, quin à te*

Quàm obtuse intellexerit Antonius, quod legerat habere Episcopos potestatem congregandi ecclesiam, vt si dictum esset, constituẽdi ecclesiam primum.

concedendum esset, datam esse episcopis potestatem τῆς ἐκκλησιάζειν. id est, conuocandi Ecclesiam, quibus data esset potestas eijciendi ex ea: ex quo planè efficiebatur, nõ esse ecclesias apud Protestantes, quia non esset Episcopus, qui eas conuocaret ad audiendum verbũ, ad sacrificium, ad orationem, ad sacram communionem, & ad alia sacramenta. dedisti licet inuitus, esse quidem Episcoporum congregare Ecclesias in Christi nomine, esseq; hoc illis, vt tu ais, ἀχώριστον. Sic enim scripsisti, ita igitur aduersus Turrianum ex ipsius fundamento concludamus, Apostoli, & eorum successores Ecclesiam congregarunt, & congregant in Christi nomine; & hoc illis est ἀχώριστον, at Pontifex Romanus, & quotquot ex illa radice surgunt Episcopi, non modo non congregant Ecclesiam in Christi nomine, sed eam potiùs dissipant, & à Christo abstrahunt, vt eam sibi suisq; commẽtis addicant: ergo Pontifex, & eius Episcopi non sunt Apostolorum successores; & Ecclesia ab eis congregata nõ est vera Ecclesia; sed potius in eos quadrat, quod ait Christus Matthæi 12. qui non congregat mecum, dispergit.

Quomodo Antonius licet inuitus tandem dederit, datam esse episcopis potestatem cõuocandi ecclesiam, & eijciendi ex ea.

Hactenus Antonius. Das igitur mihi licet inuitus, vt dixi, meum fundamentum, vt vocas, esse scilicet Episcoporum, qui sunt Apostolorum successores, congregare Ecclesiam in nomine Christi, rursus ergo ex hoc fundamento nobis à Sadeele dato, concludamus nos aduersus eum, non habere ecclesiam Protestantes, quia non habent Episcopos Apostolorum successores, qui in nomine Christi Ecclesias congregant, quisq; suam. Non enim est vnius ciuitatis nisi vnus Episcopus. videamus nunc de tua conclusione, at inquis, Pontifex Romanus, & quotquot ex eius radice surgunt Episcopi, non congregant, sed dissipant Ecclesiam, & à Christo abstrahunt, vt eam sibi & suis commentis addicant; ergo non sunt successores Apostolorum; & Ecclesia ab ijs congregata, non est vera Ecclesia, & in eos quadrat, quod ait Christus Matth. 12. qui nõ congregat mecum, spargit.

Quomodo ex concesso ab Antonio efficiatur non habere Protestantes ecclesiã.

Hac argumentatione populos, & Principes Germaniæ decipitis, quotquot à radice Lutheri, vt tuo more loquar, surrexistis. Idcirco

Qua argumentatione populos,

& principes Germaniæ doctores Protestantium decipiant.

cogor non esse tam breuis, quàm optarem. Ac primum, quæso Antoni, quis te constituit iudicem Pontificis Romani, & omnium episcoporum ecclesiæ Catholicæ? omnes enim ab eius radice surgunt. Nō legis in Euangelio, dominum te, & ministros Protestantium ab hoc iudicio deterrētem? nolite, inquit, iudicare, & non condemnabimini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: id est, qui alios, vt ait Photius Matthæi scholiastes, condemnatis, personam iudicis sumentes, condemnabimini: quos magis oportebat solicitos esse de peccatis vestris. Itaq; non illū, inquit, sed te potiùs condemnas. Idem in in te dicendum est Antoni. Dices fortasse non esse hoc iudicare, sed peccantes corrigere. non legisti Paulum, cum ad Tim. c. 5. scribit, seniorem ne increpaueris. sed obsecra, vt patrem? Episcopum intelligit, vt sanctus Epiph. Theodoretus, & alij interpretantur. oportet, inquit Photius, peccantes arguere, sed vt Dominum seruos; aut patrem liberos; aut amicum amicos, studio emendādi. Estis ne ergo vos domini, aut patres, & Pontifex, & Episcopi serui, aut filij vestri? aut tanquam amici amicos reprehenditis, quos odio acerbo, & inueterato prosequimini? admonitio, inquit idem auctor, hortatio & sympathia, id est, condolentia omnibus sunt commoda, si opportunè adhibeantur, ac iudicare, arguere, increpare solis Episcopis conueniunt. Estis ne igitur vos episcopi episcoporum? aut vos episcopi, & isti vestri ministri? si vobis videntur peccatores, non legisti in Euangelio, quomodo Pharisæus ille facto iudicio de publicano, ab illo condemnatus discesserit? publicanus contra ab illo iustificatus? Sed quod facitis Antoni, non est notū, aut inusitatū in hac mortali vita vanitatis, & corrupti iudicij plena, notauit hoc genus vanitatis Ecclesiastes, c. 8. Cum homines deprauati iudicij, & maleuoli de bonis aliorum & iustis male sentiunt, quod ministris Protestantium accidit, qui cū sint, quales esse docuit eorū pater Lutherus, odio ex contentione suscepto ad suspicandum omne malum de Pontifice, & episcopis eius facilè ducuntur. est inquit Ecclesiastes alia vanitas, quæ fit super terram: sunt iusti, quibus mala proueniūt; quasi opera egerint impiorum; & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Huiusmodi fuit Martinus Lutherus apostata, & incestus, & mini-

De iudicio, quod doctores Protestantiū sibi contra scripturam & iudicium Domini & minas eius sumunt.

Locus Ecclesiastis in eos qui alios iudicant.

ministri Protestantium, quotquot ab illa radice surgunt, vt tu loqueris, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. desine igitur Antoni iudicare Pontificem Romanum, & Episcopos; ne, sicut beatus Iacobus ait, maius iudicium sumas: ex Euangelio intelliges, si tamen volueris, quãtò grauius sit peccatũ eius, qui alterũ iudicat, quam eius, qui iudicatur. illud enim cùm trabe comparat, hoc verò cum festuca, cũ ait, hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo; & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Sic hũc locum intellexit, & interpretatus est Dorotheus Abbas, in libro de non iudicandis proximis, quam graue, inquit, sit iudicare, docuit Euangelium, cũ ipsum iudicare vocauit trabẽ; & peccatũ proximi, quod iudicatur, vocauit festucam. Hoc verò si Lutherũ, & ministros Protestantium iudicamus, secundum scripturam facimus, cum ait Apostolus, si ergo cõueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Nos enim Lutherum, & ministros Protestantium, & qui eos studiosè & scienter sectantur, vt in summa dicam, hæreticos esse docemus, & probamus; quia eos Ecclesia catholica, quæ per cunctum orbem diffusa est, secundum præceptum Apostoli deuitat, & in eos inquirit; & quòd eos maledictis infectamur, hoc item secundum scripturam facimus, & Apostolorum exẽplo, vt cum Paulus dixit in Elymam magum, plene omni dolo, & fili diaboli, & Stephanus protomartyr, cum Iudæos videret veritati repugnare, ac magis ad impietatem incitari, tunc iustissimè in eos inuectus, homicidas, & proditores vocauit, sicut Dominus etiã aiebat, vos ex patre diabolo estis; & illud, generatio praua, & adultera. Prosequi enim benedictionibus eos, qui nos infectantur, non eos, qui religionem, præceptum est. Sicut enim in argento, aut alia possessione, aut in corpore damnum datum est, iubet Deus pacis, ne se vlciscatur; sed vindictam potius Deo relinquat. Cum verò quis non in illis nocet, sed contumelijs religionem lædit, tunc iubemur, non dissimulare ignauè contumeliã; ne nostra segnities audaciorẽ reddat impietatẽ; neq; nos rũ silentiũ inimicum ad vituperandã religionẽ adiuuet. Tractauit hũc locũ eruditè, et copiosè Photius Cõstantinopolita

Locus Euangelij, hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, &c.

Quomodo liceat nobis secundum scripturam iudicare hæreticos; & eos maledictis, & conuitijs prosequi ad defensionem Euangelij.

nus in libro quæstionum ad Amphilochium Metropolitam Cyzici. Vnde hæc pauca è Græco transtuli, totum locum recito in libro, quē aduersus Boquinum accusatorem nominis Societatis Iesu nuper scripsi, is enim querebatur, quod Lutherum, Philippum, Bucerum, Zuinglium, Caluinum, & similes vituperamus. redeo ad conclusionem argumentationis tuæ. Falsum esse iudicium, quod contra præceptum Domini, & contra Scripturam eius vsurpasti, & ad concludendum falsum item sumpsisti, Pontificem Romanum, & omnes Episcopos eius non congregare in nomine Domini Ecclesiam, sed eam potius dissipare, & à Christo abstrahere, testis est Ecclesia ipsa Catholica per cunctum Orbem propagata; quæ ad nullum aliud Euangelium audiendum, & credendum, & in eo fructificandum congregatur, nisi ad Euangelium, quod Pontifex, & Episcopi, qui fidei eius adhærent, prædicant, & profitentur, & si quis licet angelus de cælo, sicut Apostolus ait, Euangelizet, præter quàm, quod à Pontifice Romano, & Episcopis catholicis, id est, fidei eius adhærentibus euangelizatum est, anathema sit. Et sicut Apostolus Colossensibus gratulatur de fide & dilectione eorum in omnes, propter spem, inquit, quæ reposita est vobis in cælis, quam audistis in verbo veritatis, & Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut in vniuerso mundo est; & fructificat, & crescit, sicut in vobis ex ea die, qua audistis, & cognouistis gratiam Dei in veritate: sic nos hoc ipsum iam gratulamur etiam gentibus & populis Indorū, quod peruenerit ad eos hoc ipsum Euangelium, sicut in vniuerso mundo est, & crescit, & fructificat in eis ex eo die, quo audierunt, & cognouerunt gratiam Dei. Vestrum verò Euangelium, dic tu bone Antoni, dic sodes, peruenit ne ad omnes? est ne in vniuerso mundo? fructificat, & crescit extra Germaniam? quid dixi extra Germaniam? fructificat, & crescit in ipsa Germania? dices fortassis audiri vestrum Euangelium in vniuerso mundo ab Ecclesia electorum: si auditur; videtur igitur is, qui euangelizat. Non enim respondebis, vt ante a dixi, audiri quidem vocem Euangelij, sed neminem videri; sicut de illis, qui Paulum comitabantur in Actis Apostolorum, cap. 9. scriptum est. Quod si visibilis est, qui

Quomodo apparet fallum esse quod sumpsit, Pontificem Romanum nō congregare ecclesiam.

Quomodo in vniuerso mundo Euangelium, quod Episcopus Romanus, & Episcopi, qui eius fidei adhærēt euangelizant, fructificet, & crescat.

Euangeliū Lutheri extra Germaniam non fructificat & crescit, & vix in ipsa Germania.

qui euangelizat, visibiles etiam erunt, quia audiunt. Atque ita Ecclesia electorum redibit ad visibilem. Euangelium ergo Lutheri in vniuerso mundo etiam apud Indos in Ecclesia catholica visibili, quæ illic est, prædicatur. vide Antoni, quo ventum est gradatim. Igitur nihil differt Euangelium Lutheri à nostro; sicut enim nostrum in vniuerso mundo prædicatur in Ecclesia visibili, sic euangelium Lutheri; & sicut nostra Ecclesia est Catholica; sic Ecclesia Lutheri. Vos igitur quamuis ignoratis, habetis apud Indos, qui congregent Ecclesiam Lutheri ad audiendum euangelium eius. credis ne hoc Antoni? nauiga illuc cum merce ista dogmatica tui Euangelij, & experieris, an frigeat ibi tuũ euangelium an caleat. Deinde, quod sumpsisti ad argumentandum non esse Pontificem Romanum, & eius episcopos successores Apostolorum, non congregare eos in nomine Domini Ecclesiam, sed dissipare eam, & abstrahere à Christo, quomodo probasti? Quis hoc testatur, nisi vos? num dedit, quo cũ disputas? quis Aristoleles, aut Zenon docuit te sumere, quæ non conceduntur, ad efficiendum, quod vis? Quid delirius dici potest? fortasse dices sumpsisse te, quod luce meridiana clarius est, sic enim dicere soletis, cum aliud genus probandi non suppetit. Nos verò testimonio ecclesiæ Catholicæ, quæ in vniuerso orbe diffusa est, probamus, vt paulò ante docui, falsum esse quod sumpsisti.

Quomodo si doctores Protestantium dicant euangeliũ Lutheri audiri in vniuerso mundo in ecclesia inuisibili electorũ, sequatur prædicari euangeliũ Lutheri in vniuerso mundo in ecclesia visibili.

Quomodo Antonius secundum artem disputandi, quã didicit, sumat non cõcessa, neque probata ad efficiẽdum, quod vult.

CAPVT VII.

De obseruatione Cyrilli Hierosolymitani, quod tunc primum appellata est ecclesia illa Mosaica, cum Aaron factus est Pontifex, quomodo eam Antonius temerè & non sine contemptu LXX. interpretum, & auctoritatis Apostolicæ reprehendat, & reprehendendo faueat Hebræis: & de epist. Orig. ad Africanum, De varia dispositione ecclesiæ diuersis ætatibus ad ecclesiæ substantiã pertinente. Quomodo probet Antonius Ecclesiam Catholicam esse inuisibilem, & quam multis rationibus eius argumentatio captiosa redarguatur, & quomodo ecclesia catholica sit omnium ecclesiarum congregatio, & quod Antonius negat, & de duplici καθ' ὅλα, quod Antonius nesciuit discernere, & quam multis argumentis demonstretur, Ecclesiam Catholicam esse visibilem, & non inuisibilem, & de definitione Ecclesiæ, quam attulit Antonius.

„ PErgit *Antonius*, ex his quoq; sequitur Sophi-
„ stam Turrianum non leuiter erraſſe, cum in
„ initio libri sui dixit, Ecclesiã non prius fuisse,
„ quam Aaron Pontifex factus esset; atq; adeò
„ non fuisse prius appellatã ecclesiã ex c. 8. Leui
„ tici; nec enim debuit hærere in Græco vocabulo, sed veni-
„ re ad autographon Hebraicum, &c: *& paulò post*, adeò vt
„ cum vellet Turrianus è portu soluere, in ipso portu nauẽ
„ fregisse videatur. *Videamus vter nostrũ soluens è portu nauẽ fregisse videatur, Antonius, an Turrianus. Ego non veni, vt tu dicis, ad autographũ Hebraicũ, quia nec Hebraicè scio; neq; mihi hoc loco Hebraice scire opus erat. Obseruationem non meam, non enim sum tanti ingenij, nec tantæ animaduersionis, & diligentiæ, sed Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymitani protuli, qui eruditissimas catecheses xviij. scripsit, quas Beatus Hieronymus legit; & quæ adhuc Græcè extant, & iam sunt in Latinum sermonem translatæ, & fortassis à te lectæ. existimabam, vt par erat, reuereri te antiquitatem saltem tanti auctoris; sed illam, vt video, neglexisti; & quod longe grauius est, auctoritatem sanctorum Apostolorum repudiasti; & nesciens fortassis, ac nolens Iudæorum-*

Quomodo Antonius vt calumniaretur, contra auctoritatem sanctorũ Apostolorũ in inuidiam, & contemptũ LXX interpretũ fautor Iudæorũ extitit.

fau-

fautor, & adiutor extitisti. Existimabam, immò certus videbar mihi esse, non ignorare ministros, ac doctores Protestantium, quam diuina esset LXX. interpretũ ex Hebraico translatio, præsertim cum pater eorũ Martinus Lutherus nunquam ausus fuisset, quod ego sciã, eorum sacram & diuinam auctoritatem negare: itaq; hac spe, & existimatione mea fretus, notationem Cyrilli, de ecclesiæ nominatione in Leuitico apud LXX. interpretes libenter produxi, quæ obseruatio admirabilis, & tanto auctore digna, cum te quippe grauis, premeret, & exitum aliũ non reperires, confugisti ad autographum Hebraicũ, in quo portũ tibi reperisse videbaris; cum alioqui naufragium faceres. Quod ipsum vt intelligas, recitabo hic pauca ex epistola Origenis longa, & eruditionis plenissima ad Iulium Africanum pro historia Susannæ, quam falsis quibusdam argumentis negabat. Postquam dixit Origenes, qua diligentia, & studio vsus esset in notatione eorũ, quæ erant in Hebraico, & nõ in Græco LXX. adhibitis asteriscis; & eorum rursus, quæ non erant in Hebraico, & erant apud LXX. adhibitis obeliscis, quid dicam, inquit, de Exodo, vbi de tabernaculo, de atrio, de arca, de vestibus Pontificis, & Sacerdotum magna varietas, & differentia est? Et subiungit; recitabo Græce, quo magis credas; ὥρα τίνων, εἰ μὴ λανθάνει ἡμᾶς τὰ τοιαῦτα, ἀθετεῖν τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις φερόμενα ἀντίγραφα, καὶ νομοθετῆσαι τῇ ἀδελφότητι ἀποδέδαι μὲν τὰς παρ' αὐτῆς ἐπιφερομένας ἱερὰς βίβλους, κολακεύειν δὲ ἰουδαίους, καὶ πείθειν ἵνα μεταδῶσιν ἡμῖν τῶν καθαρῶν, καὶ μηδὲν πλάσμα ἐχόντων. ἆρα δὲ καὶ ἡ πρόνοια ἐν ἁγίαις γραφαῖς δέδωκεν ἀποστάσεις τῆς χριστοῦ ἐκκλησίας οἰκοδομεῖν, οὐκ ἐφρόντισε τῶν τιμῆς ἀγορασθέντων ὑπὲρ ὧν χριστὸς ἀπέθανεν, οὗ ἕνεκεν οὐκ ἐφείσατο ὁ θεὸς ἡ ἀγάπη, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν ἁπάντων παρέδωκεν αὐτὸν, ἵνα σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσηται; πρὸς τούτοις δὲ σκόπει, εἰ μὴ καλὸν μεμνῆσθαι τοῦ οὐ μὴ μεταθήσεις ὅρια αἰώνια, ἃ ἔστησαν οἱ πρότεροί σου. καὶ ταῦτα φημὶ, οὐχὶ ὀκνῶν τὴν ἐρευνᾶν καὶ τὰς κατὰ ἰουδαίους γραφὰς, καὶ πάσας τὰς ἡμετέρας ταῖς ἐκείνων συγκρίνειν, καὶ ὁρᾶν τὰς ἐν αὐταῖς διαφορὰς. εἰ μὴ φορτικὸν γοῦν εἴποιμι ἐπὶ πολὺ τοῦτο, ὅση δύναμις, πεποιήκαμεν, γυμνάζοντες αὐτῶν νοῦν ἐν πᾶσαις ταῖς ἐκδόσεσι, καὶ ταῖς διαφοραῖς αὐτῶν μετὰ τοῦ ποσῶς μᾶλλον ἄσκειν τὴν ἑρμηνείαν τῶν ἑβδομήκοντα, ἵνα μή τι παραχαρά-

Ex epistola eruditissima Origenis ad Iuliũ Africanum pro historia Susannæ.

χαράττειν δοκοίημεν ταῖς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίαις, καὶ προφάσεις δίδομεν τοῖς ζητοῦσιν ἀφορμὰς ἐθέλουσι τοὺς ἐν μέσῳ συκοφάντειν, καὶ τῶν διαφαινομένων ἐν τῷ κοινῷ κατηγορεῖν, ἀσκοῦμεν δὲ μὴ ἀγνοεῖν καὶ τὰς παρ' ἐκείνοις, ἵνα καὶ πρὸς ἰουδαίους διαλεγόμενοι μὴ προφέρωμεν αὐτοῖς τὰ προκείμενα ἐν τοῖς ἀντιγράφοις αὐτῶν, καὶ ἵνα συγχρησώμεθα τῖς φερομένοις, παρ' ἐκείνοις, καὶ ἐν τῖς ἡμετέροις οὐ κεῖται βιβλίοις, τιαύτης γὰρ οὔσης ἡμῶν πρὸς αὐτοὺς ἐν ταῖς ζητήσεσι παρασκευῆς οὐ καταφρονήσουσι, οὐδὲ ὡς ἔθος αὐτοῖς γελάσονται τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν πιστεύοντας ὡς ἀληθῆ παρ' αὐταῖς ἀναγεγραμμένα ἀγνοοῦντας. ταῦτα μὲν οὖν εἰρήσθω πρὸς τὸ μὴ φέρεσθαι παρ' ἑβραίοις τὰ περὶ Σουσάννας. *Reddamus Latinè & si non pari elegantia, at æquali sententia, quare tempus, inquit, est (ironicè hoc dicit) in ista scimus, vt ea exemplaria, quæ in ecclesijs feruntur, improbemus, & reijciamus: & legem feramus patribus de repudiandis sacris libris, qui apud eos in vsu sunt; assentemurq; Iudæis; ac suadeamus, vt communicent nobiscum, quæ pura sunt, nullumq; commentum habent. Nunquid verò diuina prouidentia, quæ in Scripturis sanctis omnibus ecclesijs ædificationem præbuit, nõ habuit curam eorum, qui precio empti sunt? pro quibus Christus mortuus est? cui Deus, qui charitas est, cum alioqui filius suus esset, non pepercit, quin ipsum pro nobis omnibus traderet, vt cum eo omnia nobis donaret? Præterea considera, oportere meminisse, quod scriptum est, non transferes terminos, quos maiores tui posuerunt. Atque hæc quidem dico, non quod pigeat scrutari scripturas Hebræorum; et nostras omnes cum illorum scripturis conferre; et earum differentias obseruare. etenim, nisi arrogans est dicere, multũ diuq; hoc pro viribus fecimus, earum sententiam in omnibus editionibus, & earum differentijs excutientes; ita tamen, vt aliquanto magis interpretationem LXX. exerceremus, ne quid ecclesijs, quæ sub cælo sunt, adulterare videamur; & occasionem præbeamus ijs, qui quærunt ansas; qui volunt scripturas in medio positas calumniari; & quæ in publico apparent, accusare: damus verò operam, vt non ignoremus illorum scripturas, vt aduersus Iudæos disputantes non proferamus, quæ in eorum exemplaribus proposita sunt; & vt vnà cum illis vtamur ijs, quæ apud eos feruntur, quæ in nostris libris*

non

non sunt. Etenim, si sic erimus præparati ad differendum cũm eis, non contemnent nos; nec, vt solent, ridebunt eos, qui ex gentibus ad fidẽ venerunt, tanquam qui vera eorum scripta ignorent. Hæc hactenus, cur apud Hebræos historia de Susanna non extet. Hactenus Origenes. Vides Antoni, quid eruditissimus Origenes ante annos amplius mille trecentos de interpretatione LXX. in omnibus Ecclesijs, quæ sub cælo tunc erant, recepta, & in vsu communi omnium posita scripserit? & quare studio intelligendi scripturas Hebræorum, & tunc opus esset, & modo sit? & quomodo contemnere LXX. & Hebraicum præferre nihil aliud sit, quam assentari Iudæis, quasi ipsi & non nos pura, & ab omni commento aliena habeant? Tu igitur es vnus ex iſtis, qui Iudæis faues, & assentaris, cum contemptis LXX. ad autographum, & ipsum Hebraicum contextum, vt verbis tuis vtar, te reuoluis. Tu ergo, cum te in portu nauigare putares, dicam iterum, naufragium feciſti, qui, vt obseruationem de prima nominatione ecclesiæ in diuina interpretatione LXX. eluderes, quæ testimonium dicit, non habere Protestantes ecclesiam, qui Euangelicum Aaronem, id est, Petrum, & successorem eius non agnoscũt, quia alium exitum non videbas, decreuisti non reuereri consuetudinem ominum, quæ sub cælo sunt, Ecclesiarum, & sanctorum Apostolorum, qui ferè semper interpretatione LXX. vsi sunt, auctoritatem; sed potius in gratiam Iudæorum, & inuidiam atq; contemptum LXX. quos Iudæi non recipiunt, autographum Hebraicum, quasi Apostolorum censor, & omnium ecclesiarum Iudex prætulisti; & cum scriptura iubeat non transmouere terminos, quos maiores tui posuerunt, nihil curasti. Quidam auctor Hebraice, & Græcè valdè eruditus, & in scripturis sanctis Hebraicis, & Latinis multum diuq; exercitatus, in commentarijs suis in Esaiam notauit, quinquagies Apostolos & Euangelistas vnius Prophetæ Esaiæ testimonia nõ ex autographo Hebraico, sed ex interpretatiõe LXX. produxisse. Paul. Rom. 9. ex c. 1. Esa. nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus, ex c. 2. Esa. ad Thess. c. 1. à facie Domini, & gloria virtutis eius, ex cap. 6. Esa. Matth. 13. auditu audietis, & non intel

Quomodo Antonius naufragium fecit, cum se in portu nauigare existimaret.

Obseruatio quinquagies vsos esse Apostolos & Euangelistas interpretatione, LXX. in testimonijs vnius prophetæ Esaiæ citandis.

ligetis; & videntes videbitis, & non videbitis. ex eodem cap. 6. Esa. Matth. 13. incrassatum est enim cor populi huius; & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. ex cap. 7. Esa. Matth. 1. Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium; & vocabis nomen eius Iesum. omitto, ne longum fiat, reliquos locos vsq; ad quinquaginta in solo, vt dixi, Esaia. Quære tu, & confer cum autographo, vt discas, non esse rerre te supra Apostolos & Euangelistas. Prosequamur tua: post quam dixisti me fregisse nauem, & pugnare cum ipso Hebraico contextu, de quo satis hactenus responsum tibi est, & pugnat, inquis cum doctissimis quibusque qui cum ætates ecclesiæ describunt, solent ab Adamo inciperе, vt fecit Aug. Quæstione super Iud. 49. ne dicam etiã, perperam ipsam ecclesiæ substantiam cum eius exteriore forma fuisse hoc pacto à Turriano confusam. *Si tu Antoni intelligeres, quæ loqueris, & de quibus affirmas, vt in alios tui similes Apostolus scripsit; intelligeres, te potius tecum pugnare; cum enim dicis, describunt ætates ecclesiæ; diuersos status, & dispositiones eius describi confiteris, quæ sunt totidem formæ eius Ecclesiæ, quæ ab Adam cœpit, quæ substantia quidem & numero vna est vsq; ad consummationem seculi perpetuò continuanda, cuius forma est, vt antea dixi, fides Deum colentium; sed huius vnius ecclesiæ alia fuit dispositio in ætate eius parua, qua fuit in lege naturæ; & alia dispositio in ætate eius aliquanto maiore, qua fuit in lege Moisis; & alia item dispositio in ætate virili, qua in Euangelio adoleuit: quare cum sint totidem formæ, quæ ad illam vnam Ecclesiam ab Adamo cœptam, accesserunt, necesse est, totidem species cõstituant. Ita fit, vt illa forma exterior, quæ tibi apparet in ecclesia noui testamenti, intima ei sit, & substãtia eius: quia tu hæc non intelligis, quod tu confundis, à me confundi putas, qui ita distincte, & apertè loquor, vt nõ possit magis. Sequitur in libello tuo, vt nihil præteream,* Supereſt, *inquis,* in tua definitione limitatio, sine qua negas vllam Ecclesiam esse posse; atque ita congregantur, vt Ecclesiæ, quæ vna catholica est, & præposito eius adhæreant. Hic mentio-

Quomodo Antonius non discernit varias ecclesiæ dispositiones, nec intelligit totidem formas eius esse, vnde formam ecclesiæ noui testamenti non pertinere ad substantiã eius summo errore putat omnia confundens.

mentionem facis vnius Ecclesiæ catholicæ, & propositi eius; nos autem vnius ecclesiæ catholicæ nomine intelligimus inuisibilem electorum Ecclesiam, cuius caput est Christus, & freti sumus certissimis scripturæ testimonijs, Coloss. 1. Ephes. 4. & 5. &c. *Demonstraui supra c. 2. 3. & 4. testimonia Scripturæ, quæ citasti, non posse intelligi de ecclesia electorũ inuisibili, sed de ecclesia visibili, quæ ex iustis & peccatoribus, ex electis, & reprobis constat. Itaq; docui, ecclesiam electorum, & si eam solus Deus videt, quatenus est ecclesia electorum, ipse enim nouit, sicut ait Apostolus, qui sunt sui, tamen in Ecclesia visibili contineri, & secundum communionem sacramentorum visibilium visibilem nobis esse, licet non secundum electionem. Dicis deinde,* me contra scripturam intelligere vnum aliquod corpus visibile ex omnibus Ecclesijs visibilibus compositum, cuius caput sit Petrus, in successore suo, id est, Pontifice Romano; atque ita non iam vobiscum me disputare, sed cum ipsa rerum natura. *Et notasti paginam libri mei, 49. vbi de Ecclesia visibili disputo: vos appello Lypsienses, si fortè bellus iste Antonius vestras est, Relegite totum cap. viij. libri primi à pagina 46. vsque ad 58. cuius summa capiti præposita & inscripta, est de vnitate Ecclesiæ Catholicæ, & de principio necessario vnitatis eius ducto ex natura, ratione, & Scriptura. Et quemadmodum Philippus sua de Ecclesia sententia ad confitendum vnum caput Ecclesiæ visibile cogitur; & de ministris Protestantium, quomodo nec ad Ecclesiam, nec ad oues Christi pertineant secundum Scripturam; & de analogia corporis humani, caput visibile habentis, comparati ab Apostolo cum Ecclesia; relegite, inquam, quæso, totum caput, & iudicate, vtrum ad illud respondeat vester scriptor; an potius conuictus omnia dissimulet. Vnum tantum commentum ridiculum reperit ex intima sua philosophia depromptum, quo videri vult totum illud caput refellere.* Nam omnium, *inquit,* particularium & visibilium ecclesiarum visibilem congregationem esse vnquam, vel fuisse, vel in hac vita esse posse,

Quæ dissimulet Antonius in pæginis mei libri à se notatis, ad quę nihil respõdit, quia nõ potuit, quo satis confitetur victũ sceesse.

,, posse, nefando quidem auditum est. *& paulò post*, ego verò
,, libenter hoc à te percontari velim egregie disputator, ex
,, qua tandem vel philosophiæ, vel dialectices pœnu de-
,, prompseris τὸ καθ' ὅλου, alijs, quam mentis oculis videri pos-
sit? *quia videbas, si semel dares, Ecclesiam Catholicam visibilem esse,*

Quare Antonius ecclesiam visibilem negat, quam dicit esse clauam Herculeam à catholicis arreptã ad debellandas ecclesias Protestantium, & testimonium eius verum est.

quod ego premo, & vrgeo, planè sequi, vt habeat caput visibile, quod suo corpori visibili respondeat; meq; in hoc sophismate, vt vocas, & tibi videtur, omnia propemodum, vt dicis, meæ causæ præsidia tanquam in arce munitissima, collocasse, idcirco acutè excogitasti, negandum tibi omninò esse, Ecclesiam catholicam visibilem esse; hanc enim clauam Herculeam dicis me arripuisse ad debellandas Ecclesias Protestantium, & Confessionistarum. Sed videamus paulisper, quomodo, & qua ratione neges, vt, si conuincam nihil obtulius, neque rudius, nec à philosophia & dialectica magis alienum dici posse, effectum sit, quod metuebas, debellatas esse Ecclesias Protestantium nostra claua Herculea, quam vocas. Tua ergo argumẽtatio hæc est,

Ridicula argumẽtatio Antonij, qua ictum clauæ Herculeæ, quã ipse vocat, declinare se putat.

τὸ καθ' ὅλου, alijs, quam mentis oculis non posse videri, Ecclesiam catholicam esse τὸ καθ' ὅλου, Ecclesiam igitur catholicam alijs quam mentis oculis non posse videri; licet enim, *inquis*, particulares omnes ecclesiæ sint visibiles; quoties tamen à nobis reducuntur ad vnam ecclesiã propter eandem fidem, eadem sacramenta, & cætera eiusmodi, illud καθ' ὅλου, non iam oculis, sed sola mentis cõtemplatione percipitur. *damus Antoni, Ecclesiam, quam definimus, καθ' ὅλου esse, vt est καθ' ὅλου extra mentem non esse, ac proinde non esse sic visibilem. Sed rursus videris ignorare, τὸ καθ' ὅλου, quod sub sensum non cadit, sed tantum est in mente, re ipsa non separari à singularibus sub sensum cadentibus, quod tuus Arist. lib. 1. de anima significauit, cum dixit, vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse. Si igitur non separatur à singularibus, aggregatio omnium singularium erit quoddam totum sensibile, constans ex singularibus omnibus, quæ sunt eius partes sensibiles, vt exempli causa, homo, quod est καθ' ὅλου, re ipsa non separatur à singularibus hominibus, quorum omnium vniuersus numerus, vbicunq; sint, totum quoddam est, quod vocari*

Quomodo Antonius videatur ignorare vniuersale extra mentẽ reipsa non separari à singularib.

solet

solet integrale, constans ex omnibus singularibus hominibus tanquam partibus suis. concedes ne tu Antoni, istos singulares homines vbicunq; sint, visibiles esse, & totum illud ex istis singularibus integratum non esse visibile? at dicis, nemo vnquam vidit, nisi per somnium talem cœtum omnium hominum totius mundi; & ideò non erit visibilis? pari igitur ratione nec ipsi singulares homines sunt visibiles, quia nemo omnes singulares vidit, nisi per somnium, vt tu dicis; at tu das omnes singulares homines visibiles esse; qui sunt illud totũ, siue potius illud omne ex ipsis constans: magis enim conuenit in quãtitate discreta τὸ πᾶν, *quam* τὸ ὅλον, *est enim omnis, vox* περιληπτικὴ τῶν καθ' ἕκαστα, *id est, complectens singularia. das igitur, velis, nolis, visibile esse illud omne: aut si hoc negare pergis; & illud, quod prius dedisti, negas. Quo te vertes Antoni? sic etiam de ecclesia dicimus,* τὸ καθ' ὅλου, *re ipsa non seiungi à singularibus ecclesijs, quas ipse confiteris visibiles esse, quare omnium vniuersa multitudo, totũ quoddam est, constans ex omnibus singularibus ecclesijs, tanquam partibus suis, quod totum simile est vniuersali, vt Aristot. libro 5. primæ Philosophiæ, & libro 1. de physicis tradit, quia hoc continet singularia, sicut illud partes. Itaq;, quæ erant singularia vniuersalis in mente, fiunt in re partes totius: sed quia tu ista nunquam in cella penuaria disciplinæ tuæ didicisti discernere, facilè te tam obtuse in errorẽ istum tam absurdum induxisti, vt existimares, quia quod commune est, oculis mentis tantum videatur, nullo alio modo, aut ratione extra mentem videri posse. Percontabor ergo te belle disputator, vt tu percontaris me, & ridendo, egregium disputatorem vocas; natura humana quatenus communis est, id est, considerata in omnibus singularibus communiter vt species, potest ne videri extra mentem? minimè, respondebis; quia huiusmodi natura communis sola cogitatione consistit. At eadem in atomo, cum* διριτικοῖς ἰδιώμασι χαρακτηρίζεται, *id est, cum signatur proprietatibus, quas indiuiduantes vocant, iam tunc cernitur, sentitur, tractatur. Ad eundem modum dicendum tibi est ecclesiam communem, quam vocas* τὸ καθ' ὅλου, *qua tenus communis est, solum oculis mentis videri; quia commune, vt species, vel genus,* μόνῃ ἐπινοίᾳ ὑπάρχει θεωρητόν; *quatenus verò pro-*

Quomodo ex necessario concessis inducatur Antonius in contradictionẽ ecclesiæ visibilis, & non visibilis.

Quomodo Antonius philosophiæ ignarus non discernit naturam in specie consideratam, & in atomo.

prietatibus ὁριστικοῖς afficitur, & signatur, id est, proprietatibus, quas, vt dixi, indiuiduantes in schola vocant, iam sub aspectum, & alios sensus cadit, neq; re ipsa ab ipsis singularibus Ecclesijs separari potest; quarum vniuersa multitudo, quæ ὁλότης quædam est, vt vocabulo Dionysij vtar, Catholica Ecclesia nominatur; & est. Huiusmodi Ecclesiam catholicam diffusam scilicet per vniuersas mundi regiones, & oras, (quæ quia tota est, nihil aliud est, quam congregatio partium. Sic enim definit totum Arist. 1. Phys. & 4. & 3. cæli) Deus pater filio suo Christo promisit, & dedit; sicut scriptum est, Dominus dixit ad me, filius meus es tu; ego hodie genui te; postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ. Cum ergo hæreditas Domini per vniuersam terram pateat, & hæc sit ecclesia Catholica: quæ amentia est, dicere καθ' ὅλα, id est, vniuersale quoddã esse Ecclesiam catholicam, & cogitatione mẽtis tantum consistere? quis ignorat τὸ καθ' ὅλα, id est, vniuersale, nudum esse ab istis conditionibus, & proprietatibus singularium, loci, tẽporis, parui, magni, & q̃ eiusmodi sunt? quomodo igitur τὸ καθ' ὅλα, id est, vniuersale, quod mens sola informat, & contemplatur, diffusum est per vniuersam terrã quæ sub cælo est? & si per vniuersam terram diffusum est, quomodo est inuisibile, cum necesse sit, esse instar corporis ex membris suis ceu partibus constantis secundum analogiam B. Pauli, 1. Cor. c. 12. & quam tu nisi scripturam neges, negare non potes. Aliter etiam occurris, vt ecclesiam catholicã inuisibilem esse probes; omnes enim ecclesias, inquis, vnam esse dicimus, quia eiusdem fidei, ac religionis (cur non addidisti, & quia vnius cõmunionis eorundẽ sacramentorũ visibiliũ) arctissimo vinculo continentur; at ecclesiarum vnitas non magis videri potest, quã fides, at q; religio. Ergo non est visibilis: concludamus nos contra te ex vnitate sacramentorum visibilium à te prætermissa fallaciter, at ecclesiarum vnitas non minus visibilis est, quam sacramentum baptismi cum reliqua Ecclesiæ nouæ dispositione visibili, ergo vnitas ecclesiarum visibilis est. Sed argumentemur nos similiter aduersus Antonium, Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis tempore Apostolorum, quam Lucas describit, non fuisse visibilem, quia multitudinis credentium,

Quam absurdum & fatuum sit, quod Antonius ait, esse ecclesiã catholicam vbiq; terrarũ diffusã, esse καθόλου in mente.

Alia argumentatio Antonij ad probandum ecclesiã catholicã esse inuisibilem non minus delira, quã superior.

Quid Antonius in definienda vnitate ecclesiæ fallaciter prætermiserit, vnde argumentatio eius redarguitur.

dentium, id est, Ecclesiæ illius erat cor vnum, & anima vna, propter vnitatem, quæ videri non potest: erat igitur illa Ecclesia inuisibilis. Sed vt dixi, fallaciter, quæ addenda erant, dissimulasti; solius enim fidei, & religionis meministi, & non sacramenti visibilis baptismi, qui est prima radix Christianitatis, & sigillum fidei, vt antiqui patres dixerunt. melius beatus Hilarius libro 8. de Trinitate explanans hunc locum, vnum, inquit, cor & anima vna dicti sunt propter naturam fidei, quæ vna est, vniusque baptismi. Et Paulus in epistola ad Ephesios, cap. 4. cum vna fide vnum baptismum coniunxit, non sicut tu, qui contra scripturam & veritatem, loco necessario vnitatem baptismi visibilis ab vnitate fidei captiosè separasti. Rursus ergo inducamus nos hanc rationem contra Antonium; Baptismus qui vnus est, & qui facit nouas creaturas, ex quibus congregatur Ecclesia Catholica, & qui est sigillum fidei; quæ vna est, est sacramentum visibile cum reliqua dispositione ecclesiarum noui Testamenti: igitur etiam ex hac parte fidei propter sacramentum fidei visibile, quod est baptismus, vnitas Ecclesiarum visibilis est. Concludis deinde aliam rationem, qua, nescio, an concludi possit aliquid magis fatuè & obtusè: sic enim ais, itaque cum Ecclesiæ omnes dicantur vna Ecclesia, non id fit, quod vnus quidam cœtus reipsa, ex ipsis omnibus Ecclesijs componatur, (quod ne Turrianus quidem vnquam vidit, nisi per somnium) sed vna dicitur propter vnitatem doctrinæ & religionis. *Damus hoc & quidem libenter, omnes Ecclesias esse vnam propter vnitatem doctrinæ, & religionis: in hac enim vnitate doctrinæ Euangelicæ continetur vnitas fidei, & sacramentorum, & totius dispositionis à Christo in Ecclesia noui testamenti institutæ, quæ, vt antea dixi, & docui, forma & substantia est Ecclesiæ nouæ. Sic dicimus, vt antiqui patres dixerunt, propter vnitatem doctrinæ, 4. Euangelia esse vnum, sicut Apostolus dixit, secundum Euangelium meum: & multos magistros esse vnum, cum vnum & idem docent, ab vno, qui est verus magister, cuius participatione & gratia sunt magistri.*

Quomodo Ecclesia Hierosolymitana, de qua scriptū est, multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, secundū conclusionem Antonianæ rationis inuibilis erat.

Quomodo Antonius in notione vnitatis ecclesiæ vnitatem baptismi ab vnitate fidei mendose diffiunxit contra scripturam.

Quomodo de concessis ab Antonio & ex necessario concedendis, & fallaciter ab eo prætermissis conuincatur ecclesiā catholicam esse visibilem.

Alia cōclusio rationis ab Antonio inducta, qua nihil magis fatuū, & obtusum induci potuit.

Quomodo multi propter vnitatē doctrinæ sunt vnū m.

gistri. Vnde B. Iacobus, nolite, inquit, plures magistri fieri, prohibet enim plures magistros fieri ad docendum μὴ συμφώνως *vero magistro, tunc enim fiunt multi. idem prohibuit Dominus Matthæi 23. cum ait, vos autem nolite vocari rabbi, scilicet sicut Scribæ, & Pharisæi, qui sic vocari suis traditionibus à lege alienis ab hominibus expetebant, & studebant, id quod omnibus sectarijs accidit. In ecclesia verò Catholica omnes magistri eadem dogmata tradunt; & in docendo vnum sunt in Euangelio vno. Sed videamus, quomodo probet Antonius,* quod omnes Ecclesiæ vna quidem dicantur propter consensum in doctrina vna, quod concessimus, inquit, non autem, quod ex ipsis vnus cœtus cõponatur. quod negamus, quia ne Turrianus quidem vnquam vidit, nisi per somnium. *Quis non dimiretur tuam Antoni stupiditatem? qui, cum dixi ecclesiam Catholicam esse omnium Ecclesiarum congregationem, sic intellexisti, quasi diceremus esse vnam Ecclesiam Catholicam, cœtum omnium Ecclesiarum in vno loco; hoc enim est, quod Turrianus nunquam vidit, nisi per somnium. An ideò non erit visibilis Ecclesia Catholica ex omnibus Ecclesijs congregata, quia non sunt vno in loco omnes congregatæ, vt sit vnus, qui omnes vno aspectu videre possit, vt fit, cum aliquis omnes oues in ouili vno congregatas videt? Nunquid illa cõgregatio, de qua dicit Propheta, memento Domine congregationis tuæ, quam possedisti ab initio, tota erat in vno loco, vt congregatio diceretur, & esset? aut non potius, ex omnibus in varijs locis congregationibus conflata? an non satis est, vt, qui in loco quopiam sunt, ibi Ecclesiam videant; & alij in alio? vt qui in Italia sunt, ecclesias Italiæ, qui in Gallia, Ecclesias Galliæ, qui in Perside, Ecclesias Persidis, & qui in extremis oris, Ecclesias quæ illic sunt, & sic omnes Ecclesiæ suis locis aliæ ab alijs videantur, & sic demum tota ex singularibus dispersis constans, à diuersis, & infinitis non somniantibus videatur? Responde mihi Antoni: vt vno exemplo imperitiam tuam redarguam, & conuincam, cum exijt edictum à Cæsare Augusto, sicut à Luca scriptum est, vt describeretur vniuersus orbis, quid hic significat vniuersus orbis? non ne multi-*

Quomodo Antonius stupide intellexerit, quod audiebat dici à Catholicis, ecclesiam Catholicam esse congregationẽ omnium ecclesiarum.

Quo exemplo ex Euangelio Lucæ redarguatur stupiditas Antonij.

multitudinem omnium ciuitatum? sequitur enim, & ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Si quæram à te, erat ne visibilis orbis vniuersus, qui descriptus est? non credo negabis, ne sensu communi te carere ostendas: rursus quæram, erat ne vniuersus orbis habitatus, qui hic dicitur πᾶσα οἰκουμένη, congregatio omnium ciuitatum vno in loco, vt erit in die iudicij omnium hominum congregatio? nam hoc quoque dicis, in diem iudicij differendam esse talis Ecclesiæ Catholicæ congregationem visibilem. Quod si vniuersus ille orbis, quem Lucas dicit ad edictum Cæsaris Augusti descriptum esse, constabat ex ciuitatibus per varias regiones & oras sub cælo dispersis, & erat visibilis, cur non idem cogitas, & fateri vis de vniuersa Ecclesia, quod Lucas dicit de vniuerso orbe? cum hoc de vniuersa ecclesia omnes catholici secundum scripturam affirment; sicut illud Lucas de vniuerso orbe. Scriptura enim, cum ait, annuntiaui iustitiam tuam in ecclesia magna, Ecclesiam vniuersam dicit, quæ vna est ex omnibus singularibus, quæ sunt partes eius, constans. Illa præterea descriptio, quæ in singulis cuncti orbis Ciuitatibus facta est, huius rei, de qua tecum disputo, velut i imaginem in tabella delineatam tibi ostendit, sed prius dicendum est illud, quod Dionysius in Ecclesiastica hierarchia cap. de Baptismo scripsit, dare nomen in Baptismo, vt describatur baptizatus inter fideles, significare (id quod ex Apostolo Paulo, cuius discipulus fuit, didicit) ascitum eum esse in ordinem Sanctorum, pertinereque iam ad eorum sortem, hoc enim est, pro quo Apostolus in epistola ad Coloss. hortatur agere gratias, cum ait, gratias agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine; id est, per baptismum; (baptismum enim vocat lumen, vt alias solet, vt in epistola ad Hebræos, cap. 6. & vt Dionys. & alij antiqui patres vocant) hanc descriptionem inter natos ex Deo per baptismũ, cuius descriptionis, auctore Dionysio, Symbolum est illud dare nomen, significabat in ænigmate illa descriptio vniuersi orbis facta, cum Christus natus est: significabat, inquam, natum esse eum, per quem danda erat potestas omnibus vniuersi orbis, vt nati ex Deo inter filios Dei describerentur, & sensum spiritualem acciperent fidei, spei, & charitatis;

Quid significet dare nomen in baptismo, Dionysio auctore.

Quomodo tanquã imago quædam ecclesiæ catholicæ visibilis illis delineata sit in illa descriptione vniuersi orbis visibili ad edictum Cæsaris Augusti.

ritatis; hæc enim in baptismo infusa nobis sunt. Vnde eodem vocabulo Dionysius Areop. descriptionem istã baptizatorum appellauit, quo Lucas illam vniuersi orbis. Vterq; enim vocat ἀπογραφήν: vt igitur illa vniuersi orbis descriptio, quam Lucas dicit, vna fuit: non enim dixit descriptiones, sed descriptio, & visibilis item fuit, in tabulis enim facta est, & ex omnibus particularibus descriptionibus visibilibus, quæ in singulis ciuitatibus vniuersi orbis factæ fuerunt, tanquam ex partibus constabat; sic in singulis ciuitatibus catholicis Episcoporum per vniuersam terram factæ sunt descriptiones visibiles baptizatorum, quæ sunt totidẽ Episcopatus catholici; ex quibus descriptiombus, & episcopatibus particularibus tanquam ex partibus constat vna visibilis ὁλότης ἐπισκοπῆς, id est, vnus totalis, vt ita dicam, episcopatus, qui vocatur vna Ecclesia catholica visibilis ex singularibus Ecclesijs episcoporum, tanquam ex suis partibus, vt iterum dicam, constans. Fortassis Antoni, vt te video esse appositum ad inueniendum flexiones, & diuerticula, cauillaberis in exemplo illius descriptionis apud Lucam, quia illæ in singulis ciuitatibus factæ descriptiones coniungi & congregari potuerunt in eisdem tabulis, ita vt facile cõcedas illic vnam descriptionem vniuersi orbis ex omnibus in eisdem tabulis congregatam, hac enim ratione negas totius Ecclesiæ Catholicæ congregationem visibilem, quam in nouissimum diem differendam esse dicis. Non enim intelligis, quomodo ex distantibus, & tanto interuallo dissitis, vna congregatio, & cœtus fieri possit. Quid si in singulis ciuitatibus, vbi censebantur, descriptiones illæ census cuiusq; in tabulis publicis & proprijs cuiusq; ciuitatis remanebant, & seruabantur? an continuò minus verum fuisset, quod Lucas dixit, factam esse descriptionẽ vniuersi orbis? quia non essent descriptiones in eundem locum, & easdem tabulas relatæ? dic mihi acute Antoni, qui ineunt inter se societatem, nisi conueniant in eodem loco, non dicentur esse vnius visibilis congregationis? cùm tu dicis totius ecclesiæ catholicæ congregationem inuisibilem esse, id est, congregationem electorum, quæso Antoni, sunt ne electi in eodem loco congregati? non credo concessurus es ante nouissimum diem. Cur igitur hoc quod congregationi

inuisibili

inuisibili tribuis, non permittis visibili? id est, vt, sicut electi, & si non sunt congregati vno in loco, tamen eorũ ecclesia vna congregatio inuisibilis dicatur, & sit; sic etiam ecclesia vna catholica, & si Ecclesiæ, ex quibus constat, non sunt in vno loco congregatæ, dicatur tamen, & sit vna ex omnibus congregatio visibilis? nunquam didicisti in tua academia totum continuũ à toto discretæ quantitatis distinguere? illud enim necesse est, vt partes suas omnes, quarum congregatio est, simul habeat in eodẽ loco; at non sic totũ discretæ quantitatis. Spero pudebit academiam tuam imperitiæ tuæ. Quæ te istud tam obscurum disputandi, & intelligendi genus nunquam docuit.

Quomodo videatur Antonius nunquam didicisse distinguere totũ continuum à toto discretæ quantitatis.

Sed videamus quomodo tandem conclusionem rationis meæ de Ecclesia Catholica visibili tanquam captiosam & sophisticam notes, sic enim ais, quo fit, vt dum concludis catholicam Ecclesiam » esse visibilem, quia omnes Ecclesiæ sunt vna eademque, » fallas *παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. Græcè dixisti, vt qui Græce nescirent, aliquid eruditũ te dicere putarẽt. Sed expediamus nos cõclusionem argumentationis nostræ planius: hæc enim est, vt tu etiam agnoscis; omnes Ecclesiæ sunt visibiles, omnes Ecclesiæ sunt vna ecclesia catholica, vna igitur Ecclesia Catholica est visibilis. hic tu paralogismum, id est, fallaciam esse ais, in hac argumentatione; quia sumptam esse putas, tanquam causam conclusionis, non causam, quod falsum est, sicut enim veritas huius propositionis, ecclesia Catholica est visibilis, nascitur ex his duabus sumptionibus versis, omnes Ecclesiæ particulares sunt visibiles, & omnes Ecclesiæ particulares sunt vna tota Ecclesia, quæ catholica dicitur & est; sic falsitas huius propositionis, Ecclesia Catholica est inuisibilis, nascitur ex his duabus sumptionibus falsis, ecclesiæ particulares nõ sunt visibiles, & oẽs ecclesiæ particulares nõ sunt tota ecclesia. Tu potius fallis Antoni παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν. i propter æquiuocũ, cũ argumẽtaris ecclesiã catholicã esse inuisibilẽ, quia ecclesia, inquis, est vniuersale; vniuersale aũt est inuisibile. fallis, inquam, quia nõ discernis καθ' ὅλα νοητὸν, i. vniuersale intelligibile, siue vniuersale in mẽte q, est generis, vel speciei, & καθ' ὅλα ὁλικὸν. i. & vniuersale totale, siue vniuersale totũ. ipse planè fallas, vt sicut Apost. ait, erres, & alios in errorem*

inducas. Ecclesia igitur catholica, cum sit, vt antea dixi, extra mentem per vniuersam terram diffusa secundum scripturam, non potest esse καθ' ὅλα, id est, vniuersale, quod est in mente tantùm, sed est ὅλον, id est, totum. tu verò, vt dixi, non distinguis ista, quæ tuus Aristoteles distinxit, cum lib. 1. Physi. scripsit, τὸ δὲ καθ' ὅλα ὅλον τί ἐστι, πολλὰ γὰρ περιλαμβάνει, ὡς μέρη τὸ καθ' ὅλα, id est, vniuersale autem est quoddam totum: multa enim complectitur tanquam partes; idem auctor libro 5. primæ Philosophiæ καθ' ὅλα dicit, ὅμοιον εἶναι τῷ ὅλῳ, id est, vniuersale simile esse toti, quia scilicet sic vniuersale continet inferiora, sicut totum partes; vnde illud dicitur à Philosophis totum vniuersale; hoc verò totum integrale; quare ψευδὴς λαμβάνεις, ᾧ ὁ λόγος σε ἀσυλλόγιστος ἔδειξεν, vt idem de Melisso & Parmenide ait, id est falsum sumis, cum ais, ecclesiam catholicã esse καθ' ὅλα, quod est in mente tantum; & ratio tua captiose concludit, inuisibilẽ esse Ecclesiam catholicam. Sed contra potius necesse est, vt sit visibilis, quia est totum quoddam ex partibus visibilibus connexum. Disce igitur Antoni, cum solum τὸ εἶναι ecclesiæ consideratur, tunc est ἡ καθ' ὅλα ἐκκλησία, & hæc definitur, definitio enim semper est vniuersalis, vt Arist. lib. 2. Poster. tradit, cum verò τὸ εἶναι, cum proprijs differentijs nationis, loci, temporis, & similium, tunc est ecclesia non communis, quæ in mente solum est, quatenus communis est; sed est hæc. quis autem nisi expers communis sensus negare potest, quin huiusmodi oẽs Ecclesiæ particulares, quæ sub sensus cadunt, & vnitate fidei, & sacramentorũ visibili cõmunione iunctæ, & copulatæ sunt, totum quoddam efficiant; totum enim est suæ partes; ac totum, & partes vnum sunt, non plura; & si dubitari posse Arist. ait, vtrum vnum, an plura, pars & totum; vnum tamen esse dicenda sunt: quod enim alterum perficit & continet, non connumeratur cum eo, vt duo dicantur; sed vnum; vt aurum & numisma ex auro factum non sunt duo, sed vnum; & Petrus, & corpus eius vnum item, non duo numerantur; similiter totum, quia perfectio, & complementum est partium; totum & partes eius copulatæ vnum sunt. Catholica igitur ecclesia, quæ est omnes partes suæ, id est, totũ ex suis omnibus partibus nexum, vna est, & visibilis. deinde, Ecclesiam.

Fallacia Antonij non distinguentis vniuersale à toto, sicut philosophus distinxit.

Quomodo totum & partes sint vnũ, & non connumerentur.

siam augeri per appositionem Ecclesiæ ad ecclesiam, negare non potes Antoni, nisi cum sensu communi pugnes; & scripturam neges, cum ait in Actis Apostolorum, cap. 2. & appositæ sunt animæ circa tria millia, & in alio loco, apposita est turba multa: quod autem augetur per appositionem partis ad partem, totũ quoddam fit, ex quibus partibus factum est. Hoc nominatur, & est Ecclesia vna Catholica, quæ visibilis est, sicut partes; quia non aliud est, quam illæ ipsæ copulatæ partes omnes. hæc ecclesia Catholica visibilis, instar arboris est ex omnibus suis ramis constantis; & instar magni luminis, quod ex multis luminibus efficitur; & instar magni fluuij ex multis riuis facti. His enim exemplis, & imaginibus vsus est beatus Cyprianus, differens de vna ecclesia Catholica, cuius radix, & caput, ac origo vnitatis Pontifex est, vt idem ait, de quo paulò post videbimus. Atqui vos Cypriani auctoritate vti soletis. Vestræ igitur ecclesiæ ψευδόνυμοι, quia non sunt riui huius magni fluuij, fluentis super vniuersam faciem terræ, qui est Ecclesia Catholica, neq; rami huius arboris, sed præcisi, neq; radij huius magni luminis, sed lucernæ extinctæ, idcirco non sunt Ecclesiæ, nisi ψευδωμύνως. Prætereà Ecclesiam Catholicã comparat sponsus in Cant. Cant. c. 6. cum aurora, & cum Luna, ac cum Sole, quæ est ista, inquit, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra, vt Luna, electa vt Sol. Cum aurora comparat, quia sicut aurora est extremum antegressæ noctis, & prænuncia aduentantis diei, sic est Ecclesia Christi, post acceptam Euangelij illuminationem, sicut Apostolus ait, nox præcessit, dies autem appropinquauit: est item pulchra, vt Luna plena, quia tota illustratur lumine Solis iustitiæ; ex omni enim parte in omni gente accipit lumen à Christo, ad illuminandum per fidem. Est etiam electa, vt Sol propter Christum, qui in ea est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, de cuius plenitudine accepit Ecclesia. Ecclesia autem Catholica inuisibilis electorum, quam tu Antoni cum Luthero, & Caluino hæresiarchis, & primogenitis Sathanæ ad tollendam Ecclesiam Catholicam visibilem introducis, quatenus inuisibilis est, liquet, non posse esse instar auroræ, neque Lunæ plenæ, neque Solis. Lumen enim non solum visibile est, sed illu-

Imagines & similitudines Ecclesiæ Catholicæ ex Cypriano.

Quomodo Ecclesia Catholica cõparetur in Cant. Cant. cũ aurora, Luna, & Sole.

Quomodo Ecclesia inuisibilis nõ possit esse sponsa Christi, quæ in Cant. Cant. laudatur, quia nõ potest esse instar auroræ, Lunæ & Solis.

minat ad videndum alia; non est igitur sponsa Christi, quæ in Cantícis Cant. laudatur, si non progreditur tanquam aurora; nec vt Luna, nec vt sol; sed obscura est, & inaspectabilis. quomodo igitur illuminabit nos? cõmodior erat ecclesia Mosaica, quã apud vos Ecclesia ista vestra inuisibilis electorũ, quam facitis; siquidem illa tanquã lucerna in caliginoso loco illuminabat, donec Lucifer oriretur: instar enim eiusmodi lucernæ erant lex & prophetiæ, sicut B. Petrus nos docuit; at Ecclesia inuisibilis, quã datis, cũ inuisibilis sit, nõ potest cerni lucere. Ex quo fit, vt inutilis vobis sit in hac parte: & vt semel dicam, ideò lumen non habetis, & cæci estis, quia Ecclesiã catholicã

Quomodo ecclesia Mosaica vilior esset luce, quã sit Protestantibus ecclesia inuisibilis electorũ, quam eius ministri & doctores eorũ proponunt.

visibilẽ neq; videre, nec audire, nec ei adhærere vultis. Sed persequamur, quæ sequuntur, quia in meo libro, sic probauerã caput Ecclesiæ catholicæ visibilis visibile esse, vt mihi viderentur, qui contradicunt, fractos esse & ad ἀφωνίαν cõpulsos, subiũgit Antonius, ad propositum non ita esse, at enim, vt videas, nondum nos esse ad ἀφωνίαν redactos, ita hoc tuũ argumentũ in tuũ caput retorquemus, si Pontifex Rom, cũ sit visibilis, non potest esse caput inuisibilis ecclesiæ, vt caput corpori respõdeat; Ecclesia aũt catholica est inuisibilis, vt ante demonstratum est, sequitur, Pontificẽ Rom. nõ posse esse caput ecclesiæ catholicæ.

Quare Lutherani lumen non habeant, & cæci sint.

Ad ἀφωνίαν Antoni, cõpellitur is, cui nihil relinquitur quod cũ ratione respondere possit contradicenti. Quod tibi accidit, qui ad respondendũ falsum sumis, non semel, sed bis, quia nihil verũ sumere potuisti; ad ἀφωνίαν igitur cõpulsus es. Aiebãego, quod tu etiam recitasti, cũ Ecclesia catholica visibilis esset necesse esse, vt caput itẽ visibile haberet, hoc te in meum caput retorquere dicis; cum in tuum retorqueas: siquidem ad retorquendum falsum sumis. Sumis enim, Ecclesiam Catholicam esse inuisibilem, quod ego falsum esse tum ex illis ipsis locis Pauli, quibus te fretum esse dixisti, supra cap. 2. & 3. copiosè probaui; tum pluribus alijs argumentis: Summis etiam, Pontificem Romanum, cum sit visibilis, non posse esse caput inuisibilis Ecclesiæ, electorum scilicet, de hac enim loqueris; quod falsum etiam est. Ecclesia enim electorum secundum communionem visibilem visibilium Sacramentorum, qua promiscue cum

Quomodo Antonius ad retorquẽdum argumentum, vt dicit, falsum sumit, & non concludit.

cum Ecclesia Catholica ex iustis & peccatoribus conflata commiscetur, visibilis est, tam & si secundum electionem, quam solus Deus videt, ipse enim nouit, sicut Apostolus ad Timoth. scripsit, qui sunt sui, inuisibilis est. Itaque Ecclesia electorum, nec est simpliciter visibilis, quia qui sint electi, non videmus; neque simpliciter inuisibilis, quia eadem sacramenta visibilia participat, & eandem dispositionem siue formam Ecclesiæ, quæ visibilis est. Tota itaque ratio tua, quam in me dicebas retorquere, falsa, & ἀσυμπερασ@ est, & in tuum caput retorquetur, quia fractum, & deiectũ te esse satis demonstrat. Postremò, vt caput primùm conclu-
das, definis Ecclesiam, & οὐσιώδες eius esse dicis doctrinam
pure traditam, & sacramentorum ex Dei verbo administrationem. Nec hic quid dicas intelligis. Posse enim esse sublato impedimento ignorantiæ, puram doctrinam, & administrationem sacramentorum ex verbo Dei, est quidem substantiale Ecclesiæ tanquam proprium eius; proprium enim non est in substantia alicuius; sed consequitur substantiam, vt tuus Arist. in 8. Topicorum tradit. Itaque vbicunque est doctrina Euangelij pura, ibi Ecclesiam esse necesse est: non tamen vbicunq; ecclesia est, ibi continuo doctrina pura & legitimus vsus sacramentorum est, sed esse potest, sublato impedimento, vt in ecclesia Corinthiorum & Galatarũ euenit. Idcirco definitio ecclesiæ, quæ constat ex traditione puræ doctrinæ, & administratione sacramentorum ex verbo Dei, non est definitio ecclesiæ, quia non est æqualis definito, cũ ecclesia esse possit, in qua hæc non sint per ignorantiã, vt paulò ante dixi de ecclesia Corinthiorum, in qua mysterium resurrectionis ignorabatur; & in ecclesia Galatarum, in qua lex vetus adhuc cum Euangelio retinebatur; tamẽ erant ecclesiæ, & eas tanquam ecclesias salutat Apost. Addo etiã huc, quod doctrina pura in Ecclesijs Protestantium non potest esse, quia pura doctrina continet in se vnionem cum exordio vnitatis fidei & Ecclesiæ, quod exordium est successor beati Petri, super cuius fidem ædificauit Dominus Ecclesiam suam. In eo etiam erras, quod putas me Ecclesiam definisse per causam instrumentalem: cum potius definierim per propriam differentiam, quæ dat τὸ εἶναι,

Quomodo & quatenus ecclesia inuisibilis electorum sit visibilis, & caput habẽs visibile.

Quomodo definitio ecclesiæ, quã attulit Antonius, non possit esse definitio ecclesiæ.

Quomodo falsum sit, quod Antonius dixit, ecclesiam esse definitam per causam instrumentalem.

Ecclesiæ

Ecclesiæ noui testamenti tanquam forma, quæ est dispositio, quã Christus Ecclesiam nouã disposuit & informauit, in qua dispositione continentur Episcopi, quos Deus in ecclesia posuit. Hactenus de responsione tua sophistica, ad meum argumentum. Quo fractus es, & ad ἀφωνίαν compulsus; quia nihil ad refellendum sumere potuisti, licet omnia tentaueris; nihil inquam, præter diuerticula, & flexiones & mendacia, ac fallacias tortuosas, & absurdas reperire potuisti, nec vnquam reperies, nisi quibus te ipse magis, ac magis redarguas; & imperitiam tuam prodas, obstinationem confirmes; cæcitatem augeas; si modo magis cæcus esse potes. Pergamus ad secundum locum Matthæi 16.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

SOPHISMA TVRRIANI.

CAPVT VIII.

De tertio loco, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. quomomõ falsę sint tres rationes, quibus conatur Antonius probare, illud, super hãc petram, ædificabo Ecclesiam, non ad Petrum referri, sed ad filiũ Dei, quem Petrus cõfessus fuit. Et quomodo necessarium sit secundũ consequentiam verborum scripturæ sanctæ, & doctrinam Ecclesiæ catholicæ ad Petrum pertinere; & de duplici fundamento ecclesiæ, secundum scripturam Pauli: & quomodo Antonius ignoret, quid sit ædificasse ecclesiam super Petrum, & quam vtile, & necessarium fuerit, & quam diuinè à Deo promissum. Et quomodo Petrus esset os omnium Apostolorum, & de ascensu Pauli Hierosolymam ad videndum Petrum, & iterum ad conferendum Euangelium, & de antiqua consuetudine Patriarcharum in conferenda confessione fidei suæ cũ Pontifice Romano ad exemplum Pauli. & de ordinationibus episcoporum olim peti solitis in ecclesijs Orientis à Pontifice Rom. & quomodo ecclesiam ædificatam esse super Petrum necessariam conuenientiam cum fide habeat.

„ „ „ SVper Petrum sic à petra translatè dictum propter firmitatem fidei eius, & propter auctoritatem firmãdi in ipsa illa fide fratres, Luc. 22. Christus promittit

mittit se ecclesiã suam perpetuò ædificaturum, nam is est, sensus verbi ædificabo futuri temporis secundum idioma Scripturæ sanctæ. Itaq; singulæ Ecclesiæ tanquã partes debent adhærere vniuersæ Ecclesiæ, ac proinde eum habere Pontificem, qui est ecclesiæ vniuersæ Pontifex, is autem est Romanus Pontifex Petri successor. *Sic Antonius meam argumentationem recitauit, non eo ordine, quo ego eam disposui; & quibusdam etiam prætermissis, quæ argumentationem complent: & magis eam firmant: ego enim, postquam dixi promisisse Christum se ecclesiam suam perpetuo ædificaturum super hoc fundamentum Apostolicæ petræ; id est, super Petrum, sic à petra propter firmitatẽ fidei dictum, docui ad ecclesiam catholicam translatum esse in Christo regnum Dauid, quod Deus Christo promisit; & intuli, quia ergo regnum Dauid, quod Deus Christo promisit, & quod Christus regnat in ecclesia, regnũ vnum, & non diuisum est, quod est Ecclesia vna Catholica, consequens necessario est, vt si qua ecclesia ad hæreditatem Christi pertinet, pars sit vnius regni Christi, id est, ecclesiæ vnius catholicæ; ac proinde, vt Petro adhæreat, super quem ædificata est ecclesia vna catholica, & qui origo vnitatis eius est: interroget academia sua Antonium, si hoc sophisma putabat, cur nõ hoc recitauit? Sed videamus solutionem Antonij.* Matthæi locum in alienum sensum detorquet Turrianus; nam ecclesia ædificata est super eam petram, quam Simon Petrus confessus est, id est, super filium Dei viuentis; nõ autem super ipsum Petrum; vt ex sequentibus rationibus patebit. Prima ratio, quia Matthæus interpres locupletissimus sententiæ Christi, non sine ratione Petrum à petra distinxit; nomine, & persona mutatis; nõ enim dixit, super te Petrum, sed super hanc petram ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. quod ad præcedentem confessionem necessario referendum est, nisi planè ipsa verba, & ipsam orationis structuram euertere volumus. *Iam deinceps, ne nimium fiat volumen, reprimenda, non producenda est responsio, falsum sumis Antoni, cum ais, Christum Petrum à petra distinxisse nomine, & persona mutatis, cur enim si verum esse pu-*

Quid Antonius prætermiserit callide in recitando loco libri mei.

Prima ratio Antonij, qua probat, illud, super hanc petrã, non esse dictum de Petro.

taſti, dixiſti tantũ, & nõ probaſti? at ego dico, & probo, nõ diſtinxiſſe nomine, & perſona mutatis, quia vnius cuiuſq; verbi naturæ ſunt duæ, vt Marcus Varro libro 4. de lingua Latina notauit, à qua re, & in qua re vocabulum eſt impoſitum: in qua re impoſitum eſt nomen Petri, is eſt, qui antea vocabatur Simon, ſicut Marcus Euangeliſta, & impoſuit, inquit, Simoni nomen Petrus; à qua re impoſitum eſt, petra eſt, hoc ſi neges, vereor, ne te Grammatici omnes rideant, πέτρα enim γενικὴ λέξις λίθου ſignificat, vnde πετροβόλος χάλαζα, legitur in ſapientia Salomonis. Petrus igitur illum ſignificat, qui prius vocabatur Simon, & poſt impoſitionem nominis noui, vocatus eſt Simon Petrus, à petra, quæ petram naturalem ſignificat. Dominus autem non ſolum Petrum vocauit hoc loco Euangelij nomine proprio Petri à petra, vt dixi, naturali impoſito. Sed nomine tranſlato Petram propter firmitatem fidei, quam confeſſus fuerat. vnde beatus Chryſoſtomus in Homilia, in laudem Petri & Pauli, Euangelium ſequutus, Petrum vocat πέτραν τῆς πίστεως, id eſt, petram fidei, & Euſebius, Alexandriæ in Aſia Epiſc. πίστιν πετρωμένην, vocauit fidem Petri, id eſt, fidem factam petram. Quod autem dicis referendam eſſe, quod dixit ſuper hanc petram, neceſſariò ad præcedentem confeſſionem, vt tu intelligis, & doces, falſum eſt, quod etiam dicis ſolum, & non probas; tu enim, ad præcedentem confeſſionem referre vis, id eſt, ad Chriſtum filium Dei viui, quem confeſſus eſt Petrus, & hunc putas, & doces vocatum eſſe hic petram, & ſuper eam ædificandam fuiſſe Eccleſiam: at ego non ſolum dico, ſed probo ad Petrum referri confitentem, ſcilicet illam mirabilem confeſſionem præcedentem, id quod Dominus, ne tu Antoni, & alij ſimiles tui errarent, ſatis luculenter explicauit, cum dixit ſtatim poſt nominatum Petrum, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, ταύτῃ enim ad proximum neceſſe eſt referre, non ad remotius, id eſt, non ad Chriſtum, ſed ad Petrum, qui à petra habebat nomen impoſitum. Chriſtus autem, & ſi petra dicitur in Scriptura figurate, ac myſtice, vt cum Apoſtolus, petra autem erat Chriſtus, non tamen nomen petræ impoſitum fuit illi; neque nomen habuit à petra impoſitum. Sed ſicut ait Euangelium, vocatum eſt nomen eius IESVS. Rogas

De duabus naturis cuiuſq; verbi, & de impoſitione nominis Petri cui rei, & à qua re.

Quomodo neceſſe ſit ſecundum legem, Grãmaticę conſtructionis, ſuper hanc petram, ad proximum, id eſt, ad Petrum, & nõ ad remotius id eſt, ad filium Dei.

Quare non dixit Chriſtus, ſuper te Petrum ædificabo, &c. redditur ratio.

tu

tu Antoni, cur non dixit, super te Petrum? dicam, sed rogabo te prius, cur non dixit Christus ἐπ' ἐμαυτῷ, id est, super me ædificabo Ecclesiam meam? non dixit super te Petrum, quia voluit docere, à qua re nomen nouum Petri imposuisset: ex ipsa enim re, à qua nomẽ imposuit, admonuit nos de firmitate fidei Petri, pro quo rogaturus erat patrem, ne fides eius deficeret, & cui iussurus erat, vt aliquando conuersus firmaret fratres suos, hæc enim est vis Petræ. Si petra hoc loco non pertinebat ad Petrum proximè nominatum, tanquam à qua re impositum erat nomen Petri, quid incohærentius dici potuit, quam dicere, tu es Petrus, & super me petram ædificabo Ecclesiam meam? contra verò, cum nomen Petri à petra impositum sit, nihil aptius, nec magis cohærens dici potuit: nec commodius, nec admirabilius, inde enim cognoscimus accepisse firmitatem fundamenti, & Apostolicæ petræ, vnde Petrus nomen nouum à petra impositum accepit, à Christo scilicet, qui est vnicum fundamentum Ecclesiæ virtute propria; Petrus autem fundamentum virtute diuina participata. Tu Tu igitur Antoni ipsa verba, & ipsam orationis structuram euertere vis, non Turrianus, qui accurate ista expendit, quod me facere confiteris, in verbo ædificabo futuri temporis. Hæc laus tibi tribui non potest, qui nihil funditus expendis; sed omnia nugatorie confundis, & turbas. Quia verò non solum aliena refellere oportet, sed nostra etiam probare, ædificasse scilicet Christum Ecclesiam super hanc petram, id est, super Petrum, quod tu negas, & nugatorie, ac ridicule probas, ne eadem repetamus, probaui nuper libro 2. pro Canonibus Apostolorum, & epistolis decretalibus pontificum Apostolicorum, c. 6. contra centuriatores testimonijs veterum, & magnorum auctorum, Tertulliani, Cypriani, Athanasij, Ambrosij, Hilarij, Eusebij, Alexandrini, Hippolyti Martyris, Hieronymi, Augustini, Cyrilli, Theodoreti, Basilij, Chrysostomi, Theophanis, Ceramæi, & aliorum. Ista testimonia oportet te non nugatorie inficiando, sed grauiter refellere, nisi te ridicule respondendo ad ἀφωνίαν compulsum esse plane confiteri vis. Secunda ratio, quia expressus est locus apud Paulum, quo & nostra confirmatur, & Turriani

Interrogatur Antonius, quare non dixit Christus super meipsũ ædificabo, &c. si de se voluit intelligi.

Quomodo nihil incohærentius nec insulsius, & ineptius dici potuit, quam dicere, vt Antonius vult dictum esse, tu es Petrus & super me petram ædificabo, &c.

Quomodo rursus nihil magis cohærens, nec aptius, neque cõmodius, nec admirabilius dici potuit, quã dicere imposito nomine Petri à Petra, tu es Petrus, & super hanc petram, &c.

Duplex fundamentũ ecclesiæ, vnũ virtutis propriæ Christi solus; alterũ virtutis communicatæ Petrus.

Secunda ratio Antonij.

refellitur interpretatio Corinth. 3. fundamentum, *inquit*, aliud nemo potest ponere, præter id, quod positũ est, quod est Christus Iesus. *Et paulò post*, Turrianus de aliquo affirmat, quod de omnibus negat Paulus, ergo Turrianus Paulo contradicit. *quod de omnibus Paulus hoc loco negat, negat etiam cum Paulo Turrianus, neminem posse ponere aliud fundamentum, quod habeat virtutem, & firmitatem propriam, præterquam quod positum est, quod est Christus tantùm; affirmo autem cum Euangelio, & cum Ecclesia Catholica per cunctum orbem diffusa, esse aliud fundamentum à Christo positum, cum quo virtutem & fortitudinem propriam per gratiam communicauit. & vt cæteros sanctos patres prætermittam, sit tibi nunc instar sexcentorũ patrum vnus Leo Magnus sanctissimus & erudissimus, & testimonio totidem Episcoporum celeberrimæ Synodi Calcedonensis laudatissimus. Is igitur in sermone tertio in anniuersario die assumptionis suæ, sic scripsit; & ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut meus pater tibi manifestauit diuinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, qua tu es Petrus, id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraq; vnum; ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoq; petra es; quia mea virtute solidaris; vt quæ mihi potestate sunt propria; sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & cæt. Hactenus Leo. en duplex fundamentum; alterum ab altero tam distans, quàm est creator à creatura. Quid igitur hoc fundamentum illi fundamento derogat, præter quod nemo aliud ponere potest, quod est Christus Iesus, si hoc fundamentum totam firmitatem suã ab illo suapte natura, & propria vi fortiaccipit? quod si nihil derogat, cur tollis eum contra scripturam, & testimonium Ecclesiæ Catholicæ, quæ columna est, & firmamentum veritatis? sed sint nobis sepositanunc testimonia doctorum & veterum Scripturæ sanctæ interpretum. Habemus verbum Dei expressum de duplici fundamento; hoc vrgeamus. Cum Apostolus dixit in epistola ad Corinth.*

Locus Apostoli, fundamentũ aliud nemo potest ponere, &c.

funda-

fundamentum aliud scilicet veritatis, nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, simul dixit, firmamẽtum aliud veritatis, nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Ipse enim est firmamentum veritatis, qui est fundamentum eius. Et sicut nemo potest ponere aliud fundamentum, ita nemo potest ponere aliud firmamentũ, præter id, quod positum est, vnde Christo tribuit beatus Petrus in extrema pagina prioris epistolæ, στηρῖξαι, δεναῶσαι, θεμελιῶσαι, id est, firmare, roborare, & fundare. Quæ quidem cum ministris suis ita communicat Christus, vt quæ illi sunt potestate propria, sicut paulò ante Leo primus aiebat: sint ministris cum ipsò Christo participatione communia. Qui ergo dixit, fundamentum aliud, scilicet veritatis, nemo potest ponere, in eo simul dixit, firmamentum aliud veritatis, nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus: at idem Apostolus dixit in epistola ad Timoth. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, Ecclesia autem creatura Christi est, quomodo igitur, quod propriũ Christi est, ecclesiæ tribuitur? quomodo, si aliud firmamentum veritatis, præter id, quod positum est, poni non potest, Ecclesia Catholica firmamentum veritatis est? nunquid Apostolus, quod de omnibus in epistola ad Corint. negat, de aliquo in epistola ad Timoth. affirmat? vt reperiatur in Apostolo est, & non? absit; immò est semper, sicut idem de sermone suo dixit in epistola 2. ad Corinth. negat igitur in epistola ad Corinth. de omnibus, posse eos ponere aliud fundamentum propriæ virtutis, & potestatis, in epistola verò ad Timoth. affirmat de Ecclesia, esse fundamentum veritatis per participationem diuinæ potestatis, per cõmunicationem, inquam, potestatis à Christo factam tanquam à Domino, cuius est propria ipsa potestas. Iam credo intelligis, non esse in his, etiam, & non. Similiter non est etiam, & non, cum negamus esse aliud fundamentum, siue firmamentũ Ecclesiæ, præterquàm Christum; & cum affirmamus, esse Petrum fundamentum, siue firmamentum Ecclesiæ. Equale enim est esse firmamentum veritatis, & esse fundamentum Ecclesiæ; siquidem creatura est Petrus, & creatura ecclesia; & tam opus est participatione potestatis Christi, vt sit

Quomodo expresso verbo Dei demonstretur duplex fundamentum ecclesiæ.

Quomodo qui affirmat Petrum esse fundamentum ecclesiæ, idem affirmet, non esse aliud fundamentũ præterquã quod positũ est, quod est Christus Iesus.

Quomodo æquale sit, esse firmamētum veritatis, & fundamentum ecclesiæ.

ecclesia firmamentum veritatis, quam, vt sit Petrus fundamentū Ecclesiæ. Vt verò intelligas, quomodo Ecclesia, & quia ratione sit firmamentum veritatis, quia hoc quoque ab hoc loco non est alienum, cum Christus pro Petro rogauit, ne fides eius deficeret, simul rogauit pro Ecclesia, ne fides eius deficeret, eius scilicet Ecclesiæ, cuius caput esset Petrus; nec enim caput esse poterat, nisi corpus esset, cuius caput existeret. Caput enim, alicuius caput est: sicut manus alicuius manus, vt in categorijs docuit tuus Arist. firmamentum itaq; veritatis est Ecclesia, quia eum habet caput, pro quo orauit Dominus, ne deficeret fides eius, pro Petro orauit immediate, pro ecclesia verò mediante Petro. Id est, pro Ecclesia, quæ à Petro tanquam à fundamento firmaretur, quod cum eo mirificè conuenit, quod Dominus dixit eidē Petro, & tu aliquando conuersus στήριξον, id est, firma fratres tuos. Ecclesiam fratrum dicit, quam Cyprianus vocare solet fraternitatem. Hactenus de secunda ratione tua fallaci, Tertia, *inquis,* ratio est, (verius diceretur tertia deliratio,) Quia hæc propositio, Ecclesiam ædificatam esse ,, super Petrum, non est ἀνάλογον fidei; non enim potest ec- ,, clesia ædificari nisi per fidem, quam vel in Petrum, vel in ,, vllam creaturam recumbere, sine blasphemia dici non ,, potest. *Si tu Antoni intelligeres, quid sit ædificari ecclesiam super Petrum, puderet te istius tuæ propositionis, quæ quam vim habeat, ne ipse quidem, qui proposuisti, intelligis. faciam planum, quod dico, si non tibi, ijs saltem, qui te legunt. Fidem dicit diuinus Dionysius Apostoli Pauli discipulus in libro de diuinis nominibus, c. 7. esse stabile firmamentū eorum, qui crediderunt, quæ eos in veritate firmat; & in illis ipsis veritatē immutabili in eisdem credendis constantia corroborat, & quia Græcis delectaris, & Græcè sunt elegantissima, recitemus Græcè,* πίστις ἐστὶν ἡ μόνιμος τῶν πεπιστευμένων ὕδρισις ἡ τούτοις ἐνυδρίσασα τὴν ἀλήθειαν, καὶ αὐτοῖς τὴν ἀλήθειαν ἀμεταπίστως ταυτότητι, *Hæc autem fides, quæ ita credentem firmat, innititur auctoritati diuinæ reuelationis, quæ fallere non potest, & inde totā vim firmandi, & stabiliendi credentē habet. Sed restabat hic, vt prouideretur, quomodo certi essemus, q hæc, aut illa vera sunt, in quibus mefides*

Tertia ratio Antonij.

Quomodo & qua ratione sit ecclesia firmamētum veritatis.

Quomodo ignoret Antonius quid sit ædificari in ecclesiā super Petrum. Dionys. Areopag. de fide.

Quomodo diuine prouisum sit, vt simus certi, quæ sint vera, quæ credenda sunt.

fides firmare debeat; quæ sint, inquam, à Deo reuelata, & tradita nobis; quæ deniq; ad credendũ proposita. Quod ita necessariũ erat, & ita diuine, & apposite prouisum est, vt nihil magis potuerit. Etenim si vna fides esse debet in ecclesia Catholica, quæ vna itẽ est, à quo magis de ea certos nos fieri oportebat, quam ab eo, qui fuit exordiũ vnitatis Ecclesiæ, vt verbis beati Cypriani vtar, & os atq; caput omnium Apostolorum, & omnis ecclesiæ, qui fuit beatus Petrus, qui nunc in successore suo viuit, vt magnus Leo in epistola ad Synodũ Calcedonensem scripsit. An fortè putas minus necessarium esse hodie, vt sit vnum & omnium Episcoporum, qui sunt Apostolorum successores, quam fuit tunc, cum ipsi illi Apostoli viuebant? in illa enim admirabili & cælesti confessione fidei, quam consecuta est statim promissio ædificationis Ecclesiæ, ne vos quidem negatis, quod vos ipsos nescientes, & nolentes redarguit, & conuincit, fuisse Petrum os omnium Apostolorum, sicut ipse idem Petrus in Concilio illo primo Hierosolymitano dixit: sic enim cum Apostoli, & Seniores conuenissent, & magna de illa quæstione conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos, Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEVS in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. in nobis, inquit, scilicet Apostolis elegit per os meum. Si Petrus non erat maior, non debuit dicere, per os meum, sed per os nostrum, vt cum eo conueniret, quod dixerat, elegit in nobis. Si æquales erant, cur sibi vni tribuit, quod alioqui commune erat omnium Apostolorum, audire scilicet gentes ab eis Euangelium, & per verbum eorum credere? quis sic loquitur, nisi qui αὐθεντικῶς, id est, vnum Auctoritate loquitur, vt is, qui præest? quod si dixit, per os meum, quia ipse erat os omnium Apostolorum, erat igitur eorum caput. Quis enim vidit vnquam os sine capite? aut caput sine ore? aut igitur negate fuisse os Apostolorum, aut date caput eorum fuisse. Nulla certe ratio, neque proprietas vlla sermonis, nec consuetudo ferebat, vt in prædicatione Euangelij, ad quam omnes Apostolos Deus elegerat, diceret, elegit in nobis audire per os meum verbum Euangelij, nisi in eo tanquam in capite ecclesiæ vniuer-

Quam diuinè prouisũ sit, vt à quo incipit exordiũ vnitatis ecclesiæ, ab eo, vt omnes vnũ dicant, & non sint schismata, de credẽdis certi reddantur.

Quomodo sicut fuit Petrus in illa admirabili confessione fidei os omniũ Apostolorũ, sic necesse fuit, vt successor eius, in quo Petrus viuit, sit os omnium episcoporum, qui sunt successores Apostolorum.

Locus in Act. Apost. elegit in nobis per os meũ audire gentes verbum Euangelij, & credere, &c.

Quod sicut Petrus erat os omnium Apostolorũ sic erat eorũ caput, non enim esse potest os sine capite, neq; caput sine ore.

vniuersæ & tanquam moderatore, ac duce eius omnes Apostoli fuissent. Ergo quia de proposita quæstione docere volebat, & omnes sciebant esse eum in cathedra Ecclesiæ Catholicæ collocatum ab eo, qui ei dixerat, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã, & quia cæterorũ Apostolorũ cathedræ, cathedræ Petri adhærebãt, & per vnionem fidei & prædicationis, cum fide & prædicatione Petri saciebant vnam cathedram, cui vnus Petrus præerat, idcirco sic locutus est; cum dixit; viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, vt scirent omnes, non pertinere ad Cathedram Petri, & Euangelium, quod prædicabat, qui non prædicarent, quod ipse Petrus; ipsumq; Petrum prædicare, quod omnes, quorum os esset; & omnes, quorum os esset propter vnionem fidei, & prædicationis, prædicare, quod ipse. Quod autem dixit, viri fratres; vos scitis, satis declarat in Euangelio, quod prædicatum eis erat, hoc contineri; quod Deus scilicet elegisset Petrum in Apostolis, vt per eius os verbum Euangelij prædicaretur. Apostolis enim prædicatum erat Euangelium ab ipso Christo; illis verò senioribus, qui cum Apostolis, vt Lucas narrat, conuenerant, partim à Christo ipso, partim ab ipsis Apostolis. Vtriq; verò audierant, quod est in Euangelio Matthæi, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Aut dicat nobis Antonius, & dicant cæteri magistri, ac doctores Protestantiũ, vnde illud sciebant omnes? quod si ex illo loco sciebant, quia non est alius magis proprius, nec manifestior, consequens necessario est, vt ille locus Matthæi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ad ædificationem Ecclesiæ per prædicationem Euangelicam ex ore & fide Petri, tum per ipsum, tum per ministros ecclesiæ proficiscentem pertineat, & referatur. Quomodo tu ad hæc respondere poteris, vt refellas bone Sadeel, nisi nugatorie, & sutiliter? quod satis clare demonstret te ad obmutescendum compulsum esse. Non enim respondet, aut loquitur, qui nugas respondet, & loquitur, vt tu perpetuo facis, qui verè sophista es, quia videri tantum & existimari sapiens vis. Sed videamus, quemadmodum, quod hactenus de Petri auctoritate in illa Synodo ostensa diximus, Iacobus frater Domini

Quid significet, quod Petrus dixit, viri fratres, vos scitis, &c. quomodo sciebant.

Quomodo Petrum esse electum in Apostolis à Deo, vt per os eius gentes Euangelium audirent, & crederent, ex nullo alio loco magis proprio, & clariore scire poterãt, quam ex eo loco, vbi Christus dixit, tu es Petrus, & super hãc, &c.

Domini & Episcopus tunc Hierosolymitanus ibidem confirmauerit: postquam enim Petrus primus, vt caput Ecclesiæ in illa Synodo Hierosolymitana de relinquenda legis Mosaicæ obseruatione sententiam suam perorauit, quia erat Iacobus Episcopus illius ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua surrexerant quidam de hæresi Pharisæorum, qui dicebant, oportere seruare legem Moysis; necessarium quoque iudicauit, vt quid ipse sentiret, populus, cui præerat, sciret; & vtrum cum capite suo concordaret. Respondit itaque Iacobus dicens: Viri fratres, audite me, Simon narrauit, quemadmodum primũ Deus visitauit sumere ex gentibus populum suum nomini suo; & huic concordant verba Prophetarum. Et paulò post, propter quod ego iudico, non inquietare eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: et quæ sequuntur. Auctoritatem Petri citat Iacobus cum Prophetico testimonio consentientem, qua confirmatus audet dicere constanter, propter quod ego iudico, &c. Rursus, quia hoc ipsum, quod Petrus dixit in illa Synodo Hierosolymitana, scire scilicet eos, qui conuenerant, se esse in Apostolis à Deo electum, vt esset os Apostolorum, ad prædicandum gentibus Euangelium, ita vt Petri prædicatio ac fides, esset omnium Apostolorum prædicatio & fides; quia in quam, hoc ipsum Paulus quoque sciebat, quamuis non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem vocatus esset, vt fieret Apostolus, & licet Euangelium, quod prædicabat, à Christo accepisset; tamen quia sciebat sic in Euangelio sibi reuelato sancitum esse à Christo, vt Cephas, id est, Petrus sic à petra dictus, esset os Apostolorum, & totius Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, idcirco facta illa seditione non minima inter fratres ab ijs, qui ex Iudæa Antiochiam descenderant, ascendit Paulus cum Barnaba Hierosolymam ad os Apostolorum, & ecclesiæ, qui erat Petrus, vt cum eo conferret Euangelij prædicationem, & auctoritatem prædicationi suæ apud omnes ex ore Petri adiungeret, ne forte in vanũ curreret, aut cucurrisset, si ordinem à Christo in Euangelio sibi reuelato constitutum non seruaret. quamuis Petrus nihil ei scientiæ contulisset. Nõ ego, sed doctissimus & acutissimus auctor Tertullianus libro 4. contra Marcionem, vt antea memini, sic intellexit, & in-

De sententia Iacobi in illa Synodo Hier.

Quid declaret, & quã emphasim habeat illud Iacobi in illa Synodo post sententiam Petri auditam propter quã ego iudico, &c.

Quare Paulus ascendit Hierosolymam facta illa seditione inter fratres Antiochiæ.

 terpre-

terpretatus es? & his verbis, ne non secundum illos credidisset, & nõ secundum illos euangelizaret, auctoritatem antecessorũ fidei, & prædicationi suæ optauit. Scio, vt es promptus ad arripiendã omnẽ occasiunculam cauillandi, continuò dices, non auctoritatẽ Petri, sed antecessorum, Tertullianũ dixisse, quia semper laboras, vt Petrũ cæteris Apostolis parem facias; & vt hoc conficias, interrogabis etiam, quare non dixit Tertul. auctoritatẽ Petri fidei, & prædicationi suæ optauit? responsum habe, quia nõ opus erat; & nõ vidit in spiritu tuos Protestantes, vt hoc caueret; sciebat ille, auctoritatẽ antecessorum, quos Paulus dixit, in ore vnius Petri resedisse. Quod non obscure ipse Apostolus in illa ipsa epist. ad Gal. significauit, qui cũ dixisset, non se ascendisse Hierosolymã ad antecessores suos Apost. volebat enim probare nõ se didicisse Euangelĩ ab Apostolis, qui ex a quo erãt omnes à Deo docti, paulò post, dicit post annos tres venisse Hierosolymam, vt videret Petrũ, & mansisse apud eũ diebus quindecim, alium autẽ Apostolorũ vidisse neminẽ, nisi Iacobum fratrẽ Domini, quem constat non fuisse ex numero duodecim, vt à me alio loco demõstratum est; Idq, quia magni momenti erat, & res necessaria, iure iurando affirmat, neminẽ Apostolorũ vidisse, præterquã Petrũ, quem vt videret, Hierosolymã venerat. Si illud prius non venisse statim ad antecessores suos Apostolos, post acceptã Euangelij reuelationẽ, ideò dixit, vt probaret, nõ se ab Apostolis didicisse Euangelĩ, quod prædicabat, sed à Deo, cũ postea dicit ascendisse se Hierosolymam post annos tres, forsassis in Damascena prædicatione consumptos, quos Lucas vocat multos dies, vt videret Petrũ, & neminem alium Apostolorũ vidisse, idq, ita esse, iurat, satis significat, aliquid in Petro fuisse insigne; & singulare, quod non esset in cæteris Apostolis, & aliquam caussam fuisse ascendendi, vt videret Petrum, quæ non faceret ascensum eius suspectum, quasi ascendisset, vt Euangelium à Petro disceret. Ascendit igitur, tũ sicut Theodoretus ait, vt deferret honorem Petro, quẽ sciebat esse principem Apostolorũ, tũ etiam, id q magis adhuc necessariũ erat, vt alij certi essent, prædicationẽ Pauli non dissentire à prædicatione Petri, cũ audirent, mansisse eum tot diebus apud Petrũ; & vidisse omnem ordinẽ eius, & rationem

Quare dixerit Paulus ascendisse Hier. vt videret Petrũ, & iuret, neminem aliũ vidisse, nisi Iacobũ, &c.

Quomodo manifeste significet Paulus aliquid insigne, & singulare fuisse in Petro, quod causa fuisset ascendẽdi ad eũ sine suspicione aliorũ, quasi ascendisset, vt ab eo disceret Euangelium.

tionem totius prædicationis Petri, à qua necesse esset cæterorũ prædicationem non discrepare tanquam à regula, & norma Euangelicæ prædicationis. Sciebat enim, quod Christus in Euangelio sibi reuelato dixit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Voluit igitur, vt notum esset omni ecclesiæ, Euangelium sibi reuelatũ, quod prædicabat, cum ore Petri, quẽ Deus elegerat in Apostolis, vt esset os eorũ, & petra secunda ecclesiæ sub Christo, consentire; vt eam auctoritatem apud omnes haberet, quam habere necesse erat. Ob eam causſam, quamuis ipse certũ haberet de reuelatione Euangelij sui, tamen propter alios, qui non erant certi, noluit prætermittere ordinem à Christo Iesu positum. Sciebat enim, Euangelium non solum docere & continere, quæ sunt credenda, sed etiam, quæ sunt homini Christiano facienda. Hoc quod hactenus dixi de causa ascensus Pauli Hierosol. post illos tres annos, vt videret solum Petrum, & de mora apud eum quindecim dierum, magis adhuc declarat, & confirmat ille ascensus Pauli Hierosoly. post quatuordecim annos, cum contulit Euangelium cum Cepha, adhibitis duobus alijs Apostolis Ioanne & Iacobo, ne fortè in vanum curreret, aut cucurrisset, quod quidem non propter se dixit, qui non dubitabat de prædicatione Euangelij sui, quod à Christo, qui fallere non potest, acceperat, sed propter alios, ne existimarent eum inuanum currere, aut cucurrisse, quasi aliud esset Euangelium eius præter Euangelium Apostolorum; & ne re vera in vanum currerent, aut cucurrissent, quicunque deinceps, non cum Cepha, id est, cum Petro petra ecclesiæ, & ore Apostolorum prædicationem contulissent, vel exemplo Pauli, cuius prædicationi collatæ nihil Apostoli addiderunt; hoc enim significat προσανατιθέναι, quo verbo vsus est, vbi interpres vertit, nihil mihi contulerũt. Et quia me dicis scrutatorẽ esse verborum Græcorum, quod vtinam tu faceres vel in Latinis verbis, & quod maius est, in sententijs; excutiamus, & scrutemur verbum ἱστορῆσαι, quo vsus est Paulus, cum dicit ascendisse Hierosol. post annos tres, vt videret Petrũ: sic enim vertit interpres Latinus, nõ dixit ἰδεῖν, vt Theophylactus obseruauit, sed ἱστορῆσαι, q̃ significat visere aliquid excellens & insigne. Describam locum Theophylacti

Quare Paulus ad Petrũ solum ascẽderit, & cũ eo diebus xv. manserit.

De proprietate verbi ἱστορῆσαι, quo Paulus vsus est, cũ ait se ascendisse, vt videret Petrũ.

Græcè, tũ quia Antoni⁹ Græcis delectatur, tũ quia interpres Theophylacti nõ reddidit parem sententiam. Deinde post annos tres veni Hierosolymam ἱστορῆσαι *Petrum.* καὶ τὴν ταπεινοφροσύνης, εἴγε δ τοσαῦτα κατορθώσας ἀπῆλθε πρὸς πέτρον, οὐκ ὠφελείας ἕνεκα, ἀλλ' ἱστορίας μόνης, πολλῷ ὡς μείζονα αὐτὸν. διὸ οὐδὲ εἶπον ἰδεῖν πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι, ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσι. ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ἀπιμεν πρὸς ἁγίους ἄνδρας, μᾶλλον ἢ ἡμεῖς ὠφελείας ἕνεκα, ἐκεῖνος ἢ τιμῆς μόνης & *rursus, τὸ μὲν ἱστορῆσαι τιμῆς σημεῖον. interpretemur Latinè. Et hoc, inquit, scilicet* ἱστορῆσαι, *ad humilitatem pertinuit, siquidem, qui tam multa præclare gesserat, ad Petrum adiuit, non vt ab eo vtilitatem caperet, sed vt spectaret tantum, & tanquam maiorem se honoraret. idcirco nõ dixit,* ἰδεῖν, *id est, venisse, vt videret; sed* ἱστορῆσαι, *id est, vt spectaret, vt loquuntur, qui magnas, & splendidas ciuitates perlustrant, & vt nos facere solemus, cum viros sanctos adimus, verum nos vtilitatis nostræ causa; ille verò honoris tantum. Quod autem paulò ante dixi auctore Tertulliano, cum Paulus Euangelium suum cum Petro contulit, auctoritatem prædicationi suæ optasse, ne tu vllam vnquam cauillationem somniare possis, habes primarias Ecclesias patriarcharum interpretes illius loci epistolæ ad Galatas de aduentu Pauli Hierosolymam post annos 14. vt prædicationem Euangelij sui cum Petro conferret, & approbationem ab eo reportaret, tum vt alij certi essent de ea; tum vt posteris exemplum imitationis proderetur. Hoc enim exemplum secuti cum patriarchæ eligebantur, & sicut Apostolus ait, sani erãt in fide, litteras statim ad Episcopum Romanum scribebant, quibus fidem suã exponebant cum cathedra & ore Petri consentientem; simulq; à pontifice approbationẽ petebant. Extant adhuc eiusmodi epistolæ, quas Synodicas vocabant, quas aduersus centuriatores libro 2. pro canonibus Apostolorũ, & epistolis decretalibus Pontificũ Apostolicorũ cap. 4. recitaui: litteras dico Sophronij patriarchæ Hierosolymitani ad Honorium Pont. Romanum tempore Heraclij imperatoris; Nicephori Patriarchæ Constantinopol. ad Leonem 3. Adriani primi successorem, Proterij Patriarchæ Alexandrini ad Leonem primum: harum meminit ipse Leo in epistola ad Iulianum, &c. Hæc &*

Quomodo primariæ ecclesiæ patriarcharũ interpretes sint illius loci epist. ad Gal. de ascẽsu Pauli ad conferendũ Euangeliũ cum Petro, Iacobo, & Ioanne.

multa

multa alia eodem pertinentia leges, si libuerit; locum indicaui; aut fortasis iam legisti. Memini etiam ibidem de epistola Leonis Magni ad Anastasium Archiepiscopum Thessalonicensem, ex qua perspici potest, quemadmodum Pontifex Roman. vicarium haberet in ecclesijs Orientis Archiepiscopum Thessalonicensem, qui nomine Pontificis vt vniuersalis pastoris, prouincias Orientis visitaret; tum etiam alia expediret, quæ Pontificis Romani auctoritatem desiderarent; & quod potissimum erat, episcoporum ordinationes confirmaret, quæ sine auctoritate capitis ecclesiæ Catholicæ, vnde vnitas ecclesiæ incipit, fieri non poterant; ne propter longinquitatem vrbis Romæ longa mora interponeretur. Addam hic, quod illic prætermisi, quid Photius Patriarcha Const. ad Nicolaum Primũ, scripserit, cum per legatos suos, quos ad habendam Synodum Constantinopolim miserat, petijt, vt ordinationes episcoporum à Pontifice Romano peterentur, cui tanquam capiti ecclesiæ Catholicæ debebantur. Vnde intelligi potest, quo tempore; & quam ob causam ordinationes episcoporum ecclesiarum Græcarum, & totius Orientis à Pontifice Romano peti desierunt: describam Græcè, quæ Photius Pontifici respondit. περὶ δὲ τῆς τῶν χειροτονίας αὐτόθεν πάλαι λαμβανόντων ἐκοινολογήσαντο ὑμῖν οἱ τῆς ὑμῶν ὁσιότητος τοποτηρηταὶ, ὡς χρεὼν εἴη τοῦτο ἐπανασκοπῆναι, καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν παλινδρομῆσαι προμήτορα. ἀλλ' εἰ μὲν ἐν ἡμῖν τὸ τοῦ βουλήματος κῦρος ἔκειτο, καὶ μὴ συνεμέριζε τῇ βασιλείᾳ ἡ πρᾶξις, κἂν ἀπολογίας ἔδει, αὐτὸ ἂν τὸ ἔργον κρεῖττον ὄντως ἀπολογίας ἐδείκνυτο. ἐπεὶ δὲ τὰ ἐκκλησιαστικὰ, καὶ μάλιστα γε τὰ περὶ τοὺς ἐνοριτῶν δίκαια τῆς πολιτικῆς ἐπικρατείας καὶ διοικήσεσι συμμεταβάλλεσθαι εἴωθεν, ἡ τῆς ὑμῶν ὁσιότητος εὐγνωμοσύνη τὸ ἡμῶν ἐπὶ τὸ συνευδοκεῖν εἰς τὸ παρασχεῖν ἀποδεχομένη θέλημα, τὸ μὴ λαβεῖν, τῆς πολιτικῆς, ἀλλ' οὐχ ἡμέτερον λογιζέσθω ἔγκλημα. ἐγὼ γὰρ οὐχ' ἅπαξ ὑπ' ἄλλης ἐτέλει μοι τοῦ δικαίου καὶ τῆς φιλης εἰρήνης ἀναιρέσεως πρόθυμος, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀνέκαθεν τῷ θρόνῳ τούτῳ προσανατεθειμένου, εἴπερ ἰσχύων ἐπιζοπτεύειν ἠξίου, ἑτοίμως ἂν παρεχώρησα τῷ δυναμένῳ μᾶλλον πλέονων ἀντέχεσθαι: καὶ γὰρ ὁ μὲν ἐμοὶ τῶν οὐ προσόντων προσιδεὶς, οὗτος τὸ βάρος πλέον ἐστὶν ὁ ἐπιπεθείς. μερίμνης γὰρ ἄυξησιν ποιεῖ. ὁ δὲ καὶ τοῦ ὠφοῦ παρόντων τινὰ σὺν ἀγάπῃ λαβεῖν ἐπιζητῶν, μᾶλλον ἡμῖν χάριν διδόντι, ἢ ἑαυτῷ λαμβάνοντι κέρδος προξενεῖ: ἐλαφρότερον γὰρ μοι τὸ φορτίον τῆς ὅλης ἀποτελεῖ. εἰ δὲ τὰ ἐμὰ λαμβάνων σὺν ἀγάπῃ, καὶ προσκαλαβάλλῃ χάριν ἀνομολογεῖταί μοι, τῷ

De Archiepiscopo Thessalonicensi vicario pontificis Rom. in ecclesijs Orientis.

Testimonium Photij Patriarchæ Constantin. de episcorum ordinationibus, quæ olim in Ecclesijs Orientis à Pontifice Rom. petebantur.

τὰ οἰκεῖα ζητοῦντι, πῶς ἄν τις οὐ δώσει χαίρων μηδενὸς ὑπάρχοντος ἐμποδὼν μάλιστά γε τηλικούτῳ πατέρι. *interpretemur Latinè, propter eos, qui Græca non callent. Qui locum, inquit, sanctitatis vestræ tenebant, sermonem nobiscum habuerunt de ijs, qui ordinationes à se ipsis iam pridem accipiunt, oportere eos reuertere, & ad matricem recurrere. Verum si penes nos esset in hac re potestas voluntatis, & non esset factus huius operis particeps imperator, licet excusatione vti necesse esset, ostenderemus tamen præstare facere, quod petitur, quam excusare, sed quia Ecclesiastica, & præsertim iura de territorijs simul cum ciuili dominatu, & gubernatione mutari solent, sapiens æquitas sanctitatis vestræ amplectens voluntatem meam, ad consentiendum & tribuendum quod petit propensam, quod non accipiat ordinationes, potestatis ciuilis crimen esse reputet, non meum. Ego enim, quæ præteritis temporibus iuste, & amice, ac pacifice sub aliorũ potestate erant, non habeo in animo reuocare; quin potius si quis posset & vellet procurare, quæ à principio ad hanc sedem pertinent, prompte cederem ei, qui magis posset plura retinere, pluribusq́ne implicari. Si quidem, qui mihi aliquid ex ijs, quæ non habebam, addidisset, maius ille quidem onus imposuisset; qui verò aliquid ex ijs, quæ habebam prius, vt cum charitate accipiat, operam dat, magis mihi danti gratiam & beneficium tribuit, quam sibi accipienti lucrum acquirit: onus enim præfecturæ mihi leuius efficit. Si igitur, qui mea accipit amice & beneuole, hunc fateor benè de me mereri; ei, qui ea, quæ ad se pertinent, quærit, quis non libens dabit, si nullus impediat? tanto præsertim patri, & qui per tales, tam DEO charos, & studiosos viros petit. Ingenue agnoscit Photius ordinationes Episcoporum, de his enim sermo est, ad Pontificem Romanum pertinere, vt eas scilicet approbet, & confirmet; esseque Ecclesiam Romanam matricem omnium ecclesiarum; sic enim Tertullianus vocat. Græci dicunt προμήτορα, se tamen ita excusat, vt omnem culpam in potestatem ciuilem, id est, in Imperatorem tranferat; ac tacite hortatur Pontificem, vt propter pacem, & charitatem de iure ordinationum libens concedat. Atque ita quidem Pontificem*

fecisse

feciſſe, teſtis eſt Synodus Florentina, quæ à Græcis & Latinis habita eſt, in qua nulla de hac re quæſtio, aut controuerſia fuit. Non enim Pontifex Romanus, in ea re aliud emolumentum quærit, quàm vt CHRISTVS honorem ſibi debitum ferat in Vicario ſuo, cui hoc ius tanquam capiti & patri omnium eccleſiarum dedit. Cum igitur, quantum hoc loco ſatis eſt, (non enim omnia ſunt hic dicenda,) oſtenſum ſit, Petrum fuiſſe os Apoſtolorum, ac proinde caput, idque ad vnitatem fidei, & Eccleſiæ Catholicæ, cuius vnitatis exordium fuit Petrus, Chriſtum ſapientiſſime, & vtiliſſime prouidiſſe, conſtat iam, ædificatam eſſe Eccleſiam ſuper Petrum, neceſſariam conuenientiam habere cum fide, falſumque eſſe, quod in tertia ratione tua poſuiſti, hanc propoſitionem, Eccleſiam ædificatam eſſe ſuper Petrum, non eſſe ἀνάλογον fidei: an oſtendere ſine periculo & ſuſpicione errandi, quæ ſint à DEO reuelata ad credendum, non eſt ἀνάλογον, id eſt, conueniens fidei? at hoc facit is, pro quo Chriſtus rogauit, ne fides eius deficeret, ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificauit. At illud Auguſtini tritiſſimum tomo eius VI. contra epiſtolam fundamenti, cap. 5. non legiſti, Euangelio non crederem, niſi Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas? at quomodo commouere debet? nunquid conſulendæ ſunt omnes mundi Eccleſiæ, ex quibus vna Eccleſia Catholica tanquam totum quoddam conſtat? & quis ſingulas omnes obire poſſet? prouidit igitur Dominus, vt eſſet vnum caput, & os eccleſiæ Catholicæ, ex quo ſine ſuſpicione, & periculo erroris vllo, quid credendum, & quid homini Chriſtiano faciendũ eſſet (vtrunq; enim docet Scriptura) audiri poſſet, cum neceſſe eſſet. Nec eſt hoc recumbere fidem in creaturã, vt tecum dure, & parum Latine loquar. Tu enim ad probandũ falſum, quod ſumpſiſti, ſcilicet ædificatam eſſe eccleſiã ſuper Petrũ, rationẽ hanc attuliſti, non.n. inquis, poteſt eccleſia ædificari niſi per fidẽ, quam vel in Petrum, vel in vllam creaturam recumbere ſine blaſphemia dici non poteſt. Fides bone Antoni in auctoritate diuinæ reuelationis nititur, ſed quod hæc ſit fides, quæ in auctoritate diuinæ reuelationis nitatur, & nõ potius in ſomnio Lutheri Germanici prophetæ, vt ſe

Quomodo Eccleſiã eſſe ſuper Petrũ ædicatã beneficio diuinæ prouidẽtiæ neceſſariã conuenientiã cũ fide hai eat contra rationem fallacẽ Antonij Sadeelis.

vt se ille appellauit, cathedra Petri docet, & certum facit. Concludamus igitur, quod sumpsisti ædificatam esse Ecclesiam super Petrum, non esse ἀνάλογον *fidei,* ψευδὲς εἶναι καὶ ἀσυλλόγιστον; *& illud rursus verissimum, non esse os Ecclesiæ Protestantium successorem Petri, sed Lutherum, id esse* ἀνάλογον ἀπιστίᾳ, *id est, conuenientiam omninò habere cum incredulitate. Ex eo enim tempore fidem Ecclesia vestra amisit, ex quo os Petri in Cathedra successoris resonans abiecit: id est, ex quo facere desijt, quod Bonifacius Germaniæ Apostolus Ecclesiam, quam primus in ea instituit, facere docuit: & ipse dum vixit, fecit; & fecerunt omnes Episcopi, & eorum ecclesiæ vsque ad Martinum Lutherum hæresiarcham monachum apostatam, & sacrilegum maritum virginis Deo consecratæ, quam ex monasterio Numicensi in cœste rapuit. Iusta sunt conuitia, quæ pro defensione fidei iaciuntur, quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, nec Apostolorum exemplo, atq; imitatione carent. Hactenus de tribus tuis rationibus contra primatum Petri fallacibus, & ex quibus nihil concludi possit.*

Ex quo tempore Germania fidem amisit.

S. Bonifacius primus Germaniæ Apostolus.

CAPVT IX.

De rogatu Christi pro Petro, ne deficeret fides eius, quid Antonius, & quam ineptè, & impie cauilletur, & quando Christus rogauit, & quomodo cum confitentur Protestantes, confessionem fidei, quã Petrus nomine omniũ fecit Apostolorũ fundamentũ ecclesiæ esse, simul confitentur Petrum esse fundamentũ ecclesiæ, & quomodo non poterat Christus promittere ædificaturum se super fidẽ Petri ecclesiam, nisi simul promitteret Petro charisma firmitatis fidei: & responsio ad id, quod obijcit Antonius, vocatũ esse Petrum sathanã paulò post hunc sermonem, super hanc petram; ex quo effici vult non esse ædificatam Ecclesiã super Petrum & de charismate fidei vniuscuiusq;, & quid nobis conferat charisma fidei Petro datũ ad fundandam Ecclesiam & quid sit fundari fideles super fidem Petri, quod Antonius non intelligit.

„ *Equitur Antonius*, iam expendamus rationem
„ à Turriano propositam, nomen Petri, *inquit*,
„ fuit inditum Petro propter fidei eius firmita-
„ tem, pro qua Dominus rogauit, ne deficeret,
„ verum, si tempora distingueret, non sic argu-
menta-

mentaretur, Christus enim precatus est pro fide Petri sub,, ipsum tempus mortis, & longe post hanc nominis impo-,, sitionem, de qua disputamus; ac causa suo effectu posteri-,, or esse non potest; dixit autem Christus, tu es Petrus, non ,, tu eris Petrus. Quo fit, vt præsens causa quærenda sit; non ,, longe post futura; nimirum ipsa fidei confessio, quam Pe,, trus ediderat collegarum omnium nomine, quæ est fir-,, missimum illud fundamentum Ecclesiæ, quod conuelli ,, nunquam potest, atq; vt videat Turrianus, quam parum ,, nos hæc ratio moueat, ex illa precatione Christi dicimus ,, argui, fidem Petri fuisse infirmam, quam cum Christus ,, propemodum corruituram videret, pro ea rogauit, ne de-,, ficeret, at si fuisset instar Petræ solidissimæ, quemadmo-,, dum Turrianus existimabat in sua etymologia, certe non ,, erat timendum, ne deficeret. Quamobrem eam precatio-,, nem Christi pro Petro, quæ extat apud Lucam, Turria-,, nus non in suæ, sed in nostræ sententiæ subsidium voca-,, uit. *Quid hebetius, aut delirius ista tua impugnatione di-* Quomodo in argumentatione Antonij quot verba tot errata deprehensa sint
ci potes? qua quot verba, tot errata continentur? qua aduersarij causam non solum non lædis, sed adiuuas, & nescies præuaricaris? teque insciticæ, & fatuitatis coarguis? Statim fiet, quod dico, manifestum, vt iudicet academia tua, quantus patronus Protestantium sit Antonius Sadeel. Videamus ergo primum de illa tua obseruatione in Matthæo: sic enim ais, dixit autem Christus, tu es Petrus, non, tu eris Petrus. Non legisti in Euangelio Ioannis, cum Andreas Simonẽ fratrẽ adduxit ad Iesum, intuitus aũt eũ Iesus, (ait Ioannes) dixit, tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, Petrus: hic dixit Christus, imponendum Simoni esse nomen Cephæ, id est, Petri. Marcus cap. 3. & ascendens, inquit, in montem, vocauit ad se, quos voluit, & venerunt ad eum, & fecit, vt essent duodecim cum illo; & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curandi infirmitates; & eijciendi dæmonia; & imposuit Simoni nomen Petrus; hic Christus Simoni imposuit nomen Petri, quod apud Ioannem facturum se dixerat. Quare cum apud

Matthæum ait Christus post illam confessionem fidei, tu es Petrus, perinde est, vt si diceret, nomen tuum est Petrus, siue tu vocaris Petrus: cum autem iam esset Simoni nomen Petri impositum non amplius mutandum, consequens est, vt cum dixit hic, tu es Petrus, simul etiam in eo dixerit, & tu eris Petrus, id est, tu vocaris, & vocaberis semper Petrus. Simul admonuit, vt antea dixi, à quare esset impositum nomen Petri, à petra scilicet, eum subiunxit continuo, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meã, vt iam Petrus sit nomen proprium principis Apostolorum à petra impositum propter firmitatem confessionis fidei, & petra sit nomen eiusdem non proprium sed translatum. Petrum, inquam, vocauit Christus petram non propriè, sed translatè, cum subiunxit, & super hanc petram, id est, super hoc firmamentum fidei, quod est Petrus cum confessione fidei, quam tanquam os Apostolorum confessus est, ædificabo Ecclesiam meã. Esse autem, Petrum stabile, & inuictum firmamẽtum fidei, & Ecclesiæ super eum ædificatæ, non fuit, nec est virtutis propriæ Petri, sed virtutis Christi Petro participatæ; charisma, inquam, est, quod illi Christus rogatu suo à patre cælesti impetrauit, tu verò negas impetrasse, quia non hic, cũ promittit ædificandam esse ecclesiã super hanc petram, sed longe post sub ipsum mortis tempus Christus rogauit pro Petro, ne deficeret fides eius. hic erras dupliciter, primo non dixit Christus sub ipsum tempus mortis, ego rogo pro te, ne deficiat fides tua; sed rogaui, quod cum præteriti temporis sit, quid vetat, ad illud tempus referre, quo promisit ædificaturum se Ecclesiam super hanc petram? sicut enim cui iurisdictio data est, ei quoq; concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit, vt tuus iurisconsultus Iabolenus ratione naturali magistra iudicauit, sic etiam dicendum est, cui facta est promissio, ei quoque promissum esse videri, sine quo promissio facta expediri non potuit, id autem erat dare charisma, vt non deficeret fides eius, cui promittebat futurum esse eum petram & firmamentum Ecclesiæ. cum igitur promisit Petro hoc charisma, sine quo promissio ædificandi Ecclesiam super eum, præstari non poterat, tunc rogauit Christus patrem cælestem pro Petro, vt daret ei hoc charisma, tunc scilicet,

Quomodo dupliciter erret Antonius in eo, quod ait, Christũ, sub ipsum tempus mortis rogasse pro Petro, ne deficeret fides eius.

licet, cum Ecclesiæ præficeretur, id est, cum ei dixit, pasce oues meas, tunc enim promissio ædificandi Ecclesiam super Petrum ad effectum perducta est. Falsum itaq; est, & à scriptura discrepat, quod ais Antoni, precatum esse Christum pro fide Petri sub ipsum mortis tempus: non enim dixit ego rogo, sed ego rogaui, vt antea dixi. Vt autem intelligatur, facile esse sic cogitare, tunc scilicet rogasse, cum promisit ædificaturum se ecclesiã super hanc petram, reputemus cum animis nostris, sic precatũ esse tunc: En pater cælestis, promitto ædificaturũ me ecclesiã tuam, & meã super fidem Petri, quã ei reuelasti, tanquã super petram; at firma fides instar Petræ virtute propria Petri esse non potest, idcirco rogo pater, vt firmes eam virtute tua, & mea, cũ erit toti ouili præficiendus, id est, cũ dicetur ei, pasce oues meas. Dicat Antonius, quid habet hæc precatio hoc loco ἀπρεπτον ἢ ἀνάρμοστον, quid inquã indecens, aut ab hoc loco Euangelij aut ab alijs discrepans? aut quid obstat, quo minus de hac precatione sub ipsum tẽpus mortis dixerit, ego rogaui pro te, cũ in præterito dixerit, rogaui? Deinde, dũ quæris causã firmitatis ecclesiæ, & adpcationẽ, & rogatũ Christi tanquã longe post hãc impositionẽ nominis, vt tu ais, nõ vis referre, bellissime deliras, & te ipsum redarguis, & cõuincis, nõ intelligere te, quod loqueris, neq; de quo affirmas. Sic. n. ais, nimirũ ipsa fidei cõfessio, quã Petrus ediderat collegarũ omniũ nomine, est firmissimũ illud fundamentũ ecclesiæ, q; cõuelli nunquam potest. Hic Antoni verbis oris tui captus es; & nescies ac nolens veritatẽ confiteris. Cũ. n. dicis ipsam fidei confessionẽ, quã Petrus collegarũ omniũ nomine ediderat, esse illud firmissimũ fundamentũ, q; cõuelli nunquã potest, simul dicis, Petrum nomine omnium collegarum fidem confitentem, esse illud firmissimum fundamentum, quod conuelli nunquam potest. Confessio enim fidei à Petro nomine omniũ collegarum edita, & Petrus edens confessionem fidei nomine omnium collegarum, re & subiecto vnum sit, ratione tantum differunt. Confessio enim fidei, cum sit energia, & omnis energia actus, & omnis actus alicuius substantiæ actus, sequitur, vt non possit esse sine substantia. Deinde cum non sit ante motum, siue operationem confitentis, neque post motum maneat, sequi-

Quomodo rogauit patrem Christus, pro Petro, ne deficeret fides eius.

Quomodo Antonius verbis oris sui captus, & conuictus est, & nescius, quid diceret, veritatem confessus est.

Quomodo confessio fidei Petri, & Petrus confessionẽ fidei confessus, idem re sunt, ratione tantum differunt.

tur ἐν τῷ γίνεσθαι μόνον τὸ εἶναι ἔχειν, id est, solum modo esse, cum fit. Hæc enim est natura operationis, quæ media est inter operantem, & opus, vt vtriusque habitudo; & altero duorum sublato, interit; & secum infert operantem & opus; sicut inflammatio secum infert inflammantem, & inflammatum; & refrigeratio frigerantem, & refrigeratum; intelligentia intelligentem, & rem intellectam; deificatio deificantem, & deificatum, non enim potest habitudo sine habentibus habitudinem esse, nec intelligi. Sic confessio habitudo est intermedia duorum, confitentis, & rei, quam confitetur; & altero sublato, interit; & ideò inseparabilis est. Petri igitur confessio fidei nomine omnium Collegarum non potest à Petro separari; nec aliud est, quam Petrus fidei confessionem edens. Quare si tu Antoni à Petro separas confessionem fidei nomine omnium collegarum, cum in se esse non possit, in quo alio pones, qui nomine omnium Apostolorum eam edat, vt sit firmissimum illud fundamentum Ecclesiæ, quod nunquam conuelli potest? ostende aliquem in terris, qui nomine omnium Apostolorum confessionẽ fidei edat. Nullum reperies, si successorem Petri tollas, qui est os omnium Episcoporum, qui Apostolorum successores sunt, & vt credas, nisi enim credas, non intelliges, idem esse, ædificatam esse Ecclesiam super Petrum, & super hanc petram, vt Dominus dixit, & super hanc confessionem fidei à Petro editam, quia libenter Græcis veteris, recitabo Græcè, quæ Theophanes Ceramæus Episcopus Tauromeniæ in Sicilia, antiquus & eruditus auctor, in sermone de sanctis Apostolis scripsit, ἐγὼ δέ σοι λέγω ὅτι σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ τῇ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν, σύ, φησι, πέτρος ὤν, πέτρα γενήσει κατὰ λόγον πίστεως, καὶ τ ἑδραζομένης ἐκκλησίας ὁ θεμέλιος, καὶ πρώτη τ πνευματικῆς οἰκοδομῆς ἀφορμή: ἐπὶ ὁμολογίᾳ γὰρ ταύτῃ τ ἐκκλησίας ὁ θεμέλιος σήσεται. ταύτης γὰρ τ πρωτίστου τεθείσης, καὶ τὰ λοιπὰ δόγματα ἀσφαλῶς οἰκοδομηθήσεται. Reddamus Latinè, Ego verò, inquit, dico tibi, quod tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Tu, inquit, qui Petrus es, petra fies fidei verbi, & ecclesiæ firmatæ fundamentum, ac spiritualis ædificationis primus aditus; super hanc enim cõfessionem tuam fundamentum ecclesiæ stabit. tali nanq; petra, ac rupe col-

Quomodo confessio fidei Petri nomine omnium collegarum, si est fundamentum ecclesiæ, necesse est, vt sit in aliquo, quia per se esse non potest

Theophanes Ceramæus Tauromeniæ in Sicilia Episcopus.

pe collocata, reliqua dogmata firmè, ac tuto ædificabuntur. Euſebius Alexandrinus in Aſia Epiſcopus, de quo Autherius Pont. in epiſtola ſua meminit, in Homilia de reſurrectione explanans illud, dicite diſcipulis, & Petro, veni, inquit, ne metuas, οὐκ ἠλάττωσά σε τοῦ χοροῦ τῆς δόξης, οὐκ ἐχώρησά σε τὴν ἀξίαν, οὐκ ἔσησά σε δεύτερον ἄλλῳ, οὐ δέδωκα ἄλλῳ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, μὴ δειλιάσῃς πέτρε, οἷος ὑπῆρχες, τοιοῦτος καὶ εἶ, ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, μὴ φοβηθῇς πέτρε, ὃ ἐπηγγειλάμην, πληρῶ, ἐπὶ τῇ πετρωμένῃ σοῦ πίστει οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. *vt Petrus non timeret, ne propter negationem dignitatem Apoſtolici principatus amiſiſſet, veni, inquit, ne timeas; nihil tibi de gloria chori Apoſtolici minui; non te à dignitate remoui; non feci te ſecundum poſt alium; non dedi alteri claues; ne metuas Petre; qualis eras, talis es; quodcũq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; ne metuas Petre, quod promiſi, impleo; ſuper fidẽ tuam, quæ ſit petra, ædificabo Eccleſiam meam. Cyrillus Alexandrinus, qui Synodo Epheſinæ, & Calcedonenſi præfuit in homilijs quas* ἑορτασικὰς *vocauit, quæ extant, ſic ait de Petro,* πέτρα γὰρ καλεῖται, καὶ τὰς κλεῖς τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται. πέτρα δὲ οἶμαι παρωνύμως ἕτερον οὐδὲν, ἢ ἀκατάσειστον, καὶ ἑδραιοτάτην τοῦ μαθητοῦ πίστις κέκληται, ἐφ' ᾗ καὶ ἀδιαπτώτως ἐρήρεισται καὶ διαπέπηγεν ἡ ἐκκλησία χριστοῦ, καὶ αὐτὰς ἀνάλωτον τὰς ἅδου πύλας εἰς ἀεὶ διαμένουσα, *interpretemur Latinè, vt qui Græce neſciunt, intelligãt. Petrus, inquit, petra vocatur, & ei claues eccleſiæ creditæ ſunt: petram verò nihil aliud, arbitror, vocari* παρωνύμως, *niſi immobilem, & firmiſſimam diſcipuli fidem, ſuper quam Eccleſia Chriſti ita fundata, ac fixa eſt, vt ſubuerti nõ poſſit; & à portis inferni perpetuo tuta, & incolumis duret. Hactenus Cyrillus; omitto alia aliorum in eandem ſententiam, quæ in eo loco, quem anteà indicaui, contra Centuriatores à me recitata ſunt. Videamus reliqua, quæ ex libro tuo recitata ſunt,* cum Chriſtus (*inquit Antonius*) fidem Petri propemodum corruituram videret, pro ea rogauit, ne deficeret; at ſi fuiſſet inſtar petræ ſolidiſſimæ, quemadmodum Turrianus exiſtimat, non erat timendũ ne deficeret. *Hinc effici vult Antonius, non rogaſſe Dominum pro Petro, ne fides eius deficeret, cum promiſit ædificaturũ ſe Eccleſiam,*

Euſebius Alexandriæ Aſianæ Epiſcopus.

siam super eum tanquam super solidissimam petram, quia si erat, inquit, instar petræ solidissimæ, non erat timendum ne deficeret; ac proinde nõ opus erat precatione, hoc enim cõcludere voluit. Quis nõ miretur tam obtusæ rationis conclusionem. dic Antoni, firmitatem illam fidei Petri instar petræ solidissimæ. putas ne potuisse esse propriæ virtutis Petri, an potius diuinæ virtutis? non credo te respondsurum, potuisse esse virtutis propriæ Petri. Si igitur virtutis propriæ Dei, sequitur, charisma fuisse Petro donatum illius tantæ firmitatis fidei instar petræ solidissimæ. Cur igitur negas potuisse esse effectum precationis Christi? hoc enim, dicam iterum, concludere voluisti, cum ais, at si fuisset instar petræ solidissimæ, quemadmodũ Turrianus existimat, non erat timendum, ne deficeret ac proinde nõ opus fuisset rogare, ne deficeret. Hoc enim sequi putas. Aut si non negas potuisse esse effectum precationis Christi, cur negas fuisse? an fortè existimas, cum posteà negauit Petrus, defeciisse fidem eius? quod si non defecit, idq; nõ fuit virtutis eius propriæ, fuit igitur charismatis, quod tunc promisit Petro, cũ promisit ædificaturum se super confessionem fidei eius firmissimæ Ecclesiam suam, quæ promissio fallere non poterat. Pergamus ad ea, quæ sequuntur. Huc accedit, quod Petrus vocatus est sathanas ab ipso Christo paulò post hunc sermonem habitum de ædificanda Ecclesia super petram, ex quo sequitur Petrum non fuisse illam petram, quia oportet eam esse firmissimã, inconcussam, & immutabilem, qua ratione nomen petræ à Christo vsurpatum est. *Nec hic intelligis, quod loqueris, neq; de quo affirmas. Dominus enim ædificaturum se super Petrum fidem firmissime confitentem promiserat, & eidem charisma firmitatis fidei simul daturum, vt paulò ante dixi, quia sine eo ædificari Ecclesia super eum non poterat; vtrunq; autem præstitit, cum tempus adfuit ædificandi ecclesiam super eum, vt ante promiserat. quod aũt Sathanam eum Dominus vocauit, nullam frustrationem illi promissioni factæ attulit; neq; vllam repugnantiam cum ea habet, aut si hoc non intelligis ita esse, nihil funditus sapis. Vide quid beatus Hilarius libro decimo de Trinitate de hoc loco scripserit, Petrus, inquit, dum timorem*

Quomodo non poterat Christus ꝛ mittere ædificaturũ se ecclesiam super fidẽ Petri instar Petræ firmissimam, nisi simul promitteret charisma firmitatis fidei Petro, quia illa firmitas fidei Petri, quæ futura erat fundamentum ecclesiæ, non poterat esse virtutis propriæ, sed à Deo cõmunicatæ.

Quale sit, quod Antonius obijcit, vocatũ esse Petrum Satanam paulò post sermonem habitum de ædificanda ecclesia super hanc petram.

passionis

passionis Domino tribuebat imprudenter, & si charitate in Christum motus, Sathanas, & scandalum erat; hæc Hilarius. At scis tu Antoni, nisi omnia plane ignoras, imprudentiam, & ignorantiam eorum, quæ credenda sunt firme, non tollere, neque frustrari firmam fidem; alioqui omnes idiotæ Ecclesiæ Catholicæ, & ignari articulorum fidei, quos vocamus, fidem firmam amiserunt. Quod tu non dabis: illa igitur imprudentia & insciti Petri non læsit Christi promissionem, neque facere potuit, quo minus charisma fundandi Ecclesiam super firmissimam fidem suam Petrus à Deo patre, orante pro eo Christo, acciperet. Adiungis deinde, cæterum si Petrus est fundamentũ Ecclesiæ propter firmitatem suæ fidei, ergo ratione Causæ, propter quam ipsa firmitas fidei Petri erit potius Ecclesiæ fundamentum; at hoc falsum est, quia fidelis quisque ex sua fide, non ex aliena viuit, Habacuc 2. Neq; Christiani ideò credunt, quia Petrus constanter credidit, sed quia spiritus Dei in illis operatur, vt credant, veraq; fide amplectantur Christum filiũ Dei viuentis, atque ita super petram ædificentur. *Verissimum est, quod ex Dionysio Areopagita didicimus,* ἄτοπον καὶ ἀλλοιωτὴν εἶναι περὶ τὴν παντοδαπῆς πλάνης ποικιλίαν φορὰν, *id est, motionem instabilem, atque variabilem esse in multiplici erroris varietate: hinc est, quod cum falsum defendas, tibi ipsi non potes constare, vt hoc loco tecum planè pugnas; & quod paulò ante asseueranter concessisti, nunc asseueranter rursus negas. In principio enim huius capitis 9. in quo adhuc versor, sic scripsisti, recitabo iterum,* quo fit, *inquis,* vt præsens causa quærenda sit, non longe post futura, nimirum ipsa fidei, confessio, quam Petrus ediderat collegarum omnium nomine, quæ est firmissimum illud fundamentum Ecclesiæ, quod conuelli nunquam potest. *Hactenus tu: illic confessionem fidei à Petro editam fundamentum Ecclesiæ firmissimum esse confiteris, quod ego verissimum esse docui, & si tu, quod confessus es, non intellexeris; nunc cõtrà, firmitatẽ fidei Petri negas esse fundamentũ Ecclesiæ; & rationẽ adiungis, quia fidelis quisq;, inquis, ex fide sua viuit*

Locus Euangelij, Vade post me Sathanas, scandalum es mihi.

Inconstantia Antonij Sadeelis, & secum repugnantia.

De charismate fidei, vniuscuiusque Christiani proprio, & de charismate fidei Petri & quid inter se differant.

viuit, non ex aliena; & hoc verum est, & rectè dicis; neque Christiani ideò credunt, quia Petus constanter credidit, sed quia Spiritus sanctus in eis operatur, vt credant; veraque fide amplectantur Christum filium Dei viuentis; & hoc etiam damus: quod autem adiunxisti, atque ita super petram ædificentur, falsa est hæc interpretatio, & à te inuenta, cui nulla scriptura, nec vllius antiqui doctoris auctoritas & testificatio astipulatur. Est quidem charisma vnicuiq; Christiano datum credere in Christum filium Dei viuentis: sic. n. ait Apostolica doctrina, lib. 8. Clementis Rom. c. 11. ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος πιστεύσας διὰ χριστοῦ εἰς τὸν θεὸν, ὃς οὐκ ἔλαφε χάρισμα πνευματικὸν, αὐτό τε γὰρ τὸ ἀπαλλαγῆναι πολυθέου ἀσεβείας καὶ πιστεῦσαι θεῷ παλαιὰ διὰ χριστοῦ χάρισμά ἐστι θεοῦ. *Verum huiusmodi charisma fidei cuiusq; non est petra, super quam ædificatus est, qui hoc charisma accepit, & habet; alioqui tot essent fundamenta Ecclesiæ, quot sunt charismata fidei, id est, quot sunt Christiani, quia vnusquisque ex fide sua, quæ Dei donum est, viuit, quod tu ex Propheta citasti; sed potius petra est charisma fidei Petro promissum & datum ad ædificandum, & firmandum ecclesiam super eum. Etsi enim, vt anteà dixi, fides non nititur in auctoritate humana, sed in auctoritate veritatis à Deo reuelatæ, tamen, quæ esset veritas à Deo reuelata, tunc certos non esse voluit, & prouidit Christus, cum confessio nostræ fidei cum confessione fidei Petri, & successoris Petri consentiret. A qua, quia confessio Protestantiũ Augustana, quam à Martino Luthero acceperunt, dissentit, idcirco falsa est, & hæretica, et Protestantes, quia à Cathedra Petri discesserunt, Ecclesiam super Petram à Christo in ædificio Ecclesiæ positam non habent ædificatam. Itaq; non credimus, quia Petrus constanter credidit, quod tu temerè obiecisti, quasi hoc nos diceremus; sed ideò credimus, fidem nostrã in auctoritate veritatis à Deo reuelatæ niti, & non in auctoritate humana, vt fides Protestantium in auctoritate Lutheri nititur, licet negent, quia cum Cathedra Petri conuenit.*

Quomodo falsa, & hæretica interpretatio sit, ædificari super petram, super quam ædificauit Christus ecclesiam, esse fide amplecti filiũ Dei viuentis.

Protestãtes ecclesiam non habent ædificatã super petrã à Christo in ædificio ecclesiæ positam, quia à Petro discesserunt.

Quid nobis cõferat charisma fidei Petro datũ ad fundandã ecclesiã, si quidẽ non quia Petrus credidit; nos credidimus, vt Antonius calũniari videtur.

Sequitur, sed cur non potius istam disputationem refellimus ab ipsa rectè disputandi scientia? nam fidei constantiam, & firmitatem, quæcũq; tandem in Petro fuerit, dice-

dicemus qualitatem in Petro fuisse. Quisquis ergo dixerit, fideles super fidem Petri, id est, substantiam super ποιότητα, & accidens fundari, certe frequentissimo Philosophorũ theatro explodetur. *Vix tenere risum potui, cum ad hunc locum veni. Primum simili argumentatione conuinco explosum te esse à te ipso, frequentissimo philosophorum theatro, vt tuo more loquar. Tu enim ais,* nimirum ipsa fidei confessio, quam Petrus edidérat, est firmissimum illud fundamentum Ecclesiæ, quod conuelli nunquam potest. *Quæro abs te Antoni, fuit ne accidens confessio fidei in Petro, an non? si fuit accidens, quod haud dubio respondebis, tu igitur, qui fideles super confessionem ipsam fidei, quam Petrus ediderat, fundari dixisti, id est, substantiam super ποιότητα, & accidens, certe frequentissimo philosophorum theatro explosus es. Deinde, quomodo potes philosophus, vt cupis, numerari, qui proprias voces philosophorum, ignoras? tu enim fideles super fidem Petri fundari sic accipis, sicut philosophi dicunt qualitates fundari super quantitatem, vt colorem in superficie, & figuram in lineis vel in superficie: quo quid obtusius, aut magis ridiculum dici potest? fundari enim qualitates super quantitatẽ, quæ materiam consequitur, nihil aliud est, quam esse quantitatem subiectum qualitatum materialium. Fundari verò fideles super fidem Petri, est à Petro firmari in fide, vt sicut Apostolus ad Philipp. scripsit, idem sapiamus, & in eadem regula permaneamus, quod tam diu fit, quandiu à Cathedra Petri non discedit, pro quo Christus rogauit, ne fides eius deficeret, & cui iussit ob hanc causſam, vt aliquando conuersus, firmaret fratres suos: totam enim fraternitatem intellexit, qua ecclesia Catholica continetur, cum fratres tuos dixit. Vt iam si quid aliquando dubitaretur, quod ad dogmata fidei aliqua ratione pertineret, id cum Petro in successore eius fideles conferrent, vt inde certi fierent, quomodo ad veritatem Euangelij ambulandum esset, ne circumferrentur omni vento doctrinæ, & peregrinis doctrinis abducerentur, quod Protestantibus, & Confessionistis euenit, quia neglecta Cathedra Petri, Martini Lutheri cathedram pestilentiæ sequi maluerunt. Inde verò profectus est tuus error, vt putares fi-*

Antonij argumentatio ridicula.

Quomodo Antonius, qui numerari Philosophus cupit, proprias voces philosophorum ignoret.

Quid sit fundari fideles super fidem Petri.

Vnde accidit Protestãtibus & confessionistis, vt peregrinis doctrinis abducerentur omni vento doctrinæ circumacti.

deles super fidem Petri fundari, esse substantiam super ποιότητα, & accidens fundari, quòd φιλῶς, id est, nude, & absolutè sine habitudine vlla fideles cõsideraſti, qui super fidẽ Petri fundari dicũtur. at aliud est hominẽ esse; aliud hominẽ fidelẽ esse; & ſi enim homo, & homo fidelis idẽ subiecto ſunt, vt homo, & homo muſicus, tamen fidelis homo efficitur τῇ πρὸς θεὸν σχέσει, id est, habitudine ad Deum, cui credit, & à quo accepit chariſma fidei, ſicut ait beatus Cyrillus τῇ πρὸς θεὸν σχέσει θεοποιούμεθα, id est, habitudine ad Deum adoptati, deificamur. Si tantus in philoſophiæ ſtudio eſſes, quantus videri vis, didiciſſes ex Damaſceno, optimo Theologo, & philoſopho, quod tradit, inquiens, τὰ πρός τι χρειὼν ὁποιά ποτ' ἂν ᾖ, ὑπ' ἄλλων κατηγορίαν ἀναγεδαίνα, ἵνα κᾀθ' ἑαυτὰ θεωρῶνται πρότερον· ἔπειτα ὡς σχέσιν ἔχοντα πρὸς τὴν ὑπὸ τὰ πρός τι ἀναγεδαν. δεῖ γὰρ εἶναι πρῶτον ἀσχέτως, κἄπειτα θεωρεῖδαι τὴν αὐτῶν σχέσιν. Oportet, inquit, quæ ſunt ad aliquid, qualiacunq; ſint, ſub aliquod prædicamentum reducere, vt ipſa prius in ſe conſiderentur; poſteà, tanquam habitudinem habẽtia opus eſt ea ſub prædicamentum eorum, quæ ſunt ad aliquid, referre. Neceſſe enim eſt eſſe quædam prius ſolute, ac poſtea conſiderari eorum habitudinem. Hactenus Damaſcenus. Si tu Antoni hanc viã didiciſſes, non conſiderares fideles in Categoria ſubſtantiæ ſolùm; id est, abſolute, quatenus homines tantum ſunt; ſed mox etiam in categoria ad aliquid. Ex quo facile intelligere potuiſſes, non ſubſtantiam ſuper ποιότητα, & accidens; ſed fidem cuius q̃, à qua fideles dicitur, in anima, cui inhæret, fundari, vt accidens in ſubſtantia. quod enim proprie est, inquit Philoſophus in phyſicis, non accidit, ſed ei accidit aliud. At nos non de hoc genere fundandi loquimur, ſed de chariſmate fundandi & firmandi fideles in vnitate fidei, & Eccleſiæ, quod est Petro datum, cuius fides certos reddit fideles de ſua fide; ſi collata cum fide, quam prædicat, & docet Cathedra Petri, conſentiẽs reperitur. Petrum enim poſuit Chriſtus ſecundum Euangelium, vt eſſet κανὼν καὶ ὑπογραμμός, id est, regula, & norma fidei orthodoxæ. de hac regula dixit Apoſt. quod paulò ante memini in epiſtola ad Philip. veruntamen ad quod prævenimus, vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. Ipſe idem

Doctrina philoſophica de ijs, quę ſunt ad aliquid.

Quomodo Antonius non didicit ea, quæ ſunt πρός τι, conſideranda eſſe prius abſolutè, vt Philoſophi præcipiunt.

Quomodo Antonius, cum ſermo fit de chariſmate fundãdi & firmandi fideles in fide, non intelligit de quo genere fundamenti fiat ſermo.

Locus epiſt. ad Philip ve

idem Apostolus, quam regulam nunc dicat, exemplo suo docuit, cum ascendit Hierosol. & prædicationem Euangelij cum Petro cõtulit, scilicet, quia sciebat, vt antea dixi, electum eum fuisse à Christo ex Apostolis, vt esset eorum os ad prædicandum gentibus verbum Dei, & ad credendum. Tu fortassis interpretaberis, regulã esse, quam Paulus dicat, Scripturam, siue verbum Dei, hoc enim habitat in ore vestro abundanter, non quidem, sicut Apostolus ad Coloss. scripsit, in omni sapientia, sed potius in omni insipientia. vos enim sicut à Luthero didicistis, scripturas sanctas faciles ad intelligendum & interpretandum esse putatis, & docetis, & sic eas vestro sensu hactenus intellexistis, & interpretati estis. at si hanc solum regulam fidei Christus in Ecclesia sua reliquisset, quid aliud, quam gladium delphicum haberemus? quem, inquit Arist. in Politicis, fabri ærarij faciunt ob inopiam? vt enim gladius delphicus ferreum instrumentum erat multis vsibus accommodatum, cuiusmodi sunt, qui simul gladij, & styli sunt, aut acus, & lima; sic erit Scriptura sancta, nisi sit vnus tandem, qui interpretationi, & intelligentiæ eius præsit, è cuius cathedra fidelis. & catholicus sensus, cum in dubium venerit, petatur; & ne in vacuum currendum sit, cum eo ad imitationem Pauli conferatur.

runtamen ad quod prœuenimus vt idem sapiamus, & in eadem regula permaneamus.

Quomodo interpretandas esse scripturas Protestantes à Luthero didicerunt.

Quomodo interpretari scripturam ad libidinẽ pro prij sensus simile sit, vt habere delphicũ gladium.

CAPVT X.

Responsio ad calumniam Antonij, qui ait, non debere quæri rationem nominis Petri, à Christo impositi extra circumstantiam loci Matthæi, & ineptum esse dicere, vocatum esse Petrum propter firmitatem fidei ad firmandos fratres, sicut ei Dominus postea præcepit. Et de eo, quod obiecit, non potuisse firmitatem fidei Petri transire ad successores, & de Symmacho Pontifice impudenter reprehenso, & de testimonijs antiquorum, transire ad successores Petri firmitatem fidei eius, & quomodo transeat.

Sequitur in libello Antonij, ne quid omninò prætereamus. Addit, *inquit*, aliam rationem Turrianus, „ nempe Petrum dictum fuisse petram propter, „ auctoritatem firmandi patres in fide ex eo, „ quod scribitur eodem capite 22. apud Lucam, „

„ & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Non e-
„ nim quærendum est τὸ τυμον nominis Petri extra circunstã-
„ tiam huius loci Matthæi, de quo disputamus: atq; vt iam
„ monuimus, ipsa temporum ratio prorsus obstat, ne locus
„ Lucę cum hoc Matthæi loco iungatur. *Satis prolixè confu-*
tatum est hoc, capite proximo superiore, ne eadem sine necessitate
„ *repetantur. Adiungis deinde*, Postremo nolo pluribus osten-
„ dere, quam ineptum fuerit dicere Petrum ea ratione di-
„ ctum fuisse petram, quia debuit fratres suos confirmare;
„ quandoquidem ita potius dicendum fuit, Petrum debu-
„ isse confirmare suos fratres, quia petra fuit; est ergo falla-
„ cia παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. *Si hæc pauca sunt ineptissima, & me-*
ræ nugæ; vel potius deliramenta, quid, si perrexisses pluribus osten-
dere? Dominus imposuit Simoni nomen Petri à petra propter firmi
tatem fidei; & eundem vocauit παρωνύμως petram, propter eandem
firmitatem, quia erat firmitate suæ fidei fratres suos firmaturus. Si
hoc ineptum esse dicis, ineptum quoq; pari ratione dices, quod scriptũ
est Genes. cap. 17. nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed ap
pellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te,
quandoquidem secundum correctionem Antonij Sadeelis, ita dicen-
dum fuit, patrem multarum gentium constitui te, quia Abraam ap-
pellaberis. O acutum correctorem, immò ô obtusum corruptorem. Vt
igitur quia erat Abraham futurus pater multarum gentium, hæc
fuit causa, vt appellaretur Abraam; sic quia Simon Iona erat fu-
turus firmamentum ecclesiæ, & fratrum suorum, ex quibus ecclesia
constat, hæc fuit causa, vt appellaretur nomine proprio imposito Si-
mon Petrus, & παρωνύμως diceretur petra, quasi Petrus petreus.
Petra enim, & petreus, sicut iustitia, & iustus, & alia huiusmodi, di
cũtur παρώνυμα, Grãmatici vocant denominatiua, rhetores coniu-
gata. Abi igitur cum tua fallacia παρὰ τὸ μὴ αἴτιον, & quære, cui
accommodes, ne tam ineptus appareas, quibus videri vis ingenio-
sus. Vel potius, ne longius eundum tibi sit, accommoda tibi; tu enim,
vt probares ineptum esse, quod dixi, non causam fecisti inep-
tissime, & fallaciter; & si mauis Græce, in te retorsisti illud παρὰ

τὸ μὴ

Quomodo exemplo reprehensionis suæ cogitur Antonius dicere ineptum esse, quod scriptũ est in Gen. appellaberis Abraam, quia patrem multarum gentium constituite.

Quam inepte Antonius fallaciam non causæ, vt causæ induxerit.

τὸ μὴ ἄρτιον, ὡς ἄρτιον, *siquidem Petrum dicis debuisse confirmare fratres, quia petra dictus fuit; quasi dictum fuisse, petram causam esse vt confirmaret fratres; cum potius confirmare fratres, caussa fuisset, vt petra diceretur, quod te fateri exemplum de appellatione Abraæ conuincet, velis, nolis. Sequitur.* Age verò, quia Turria-
» nus videri etiam voluit iurisperitus, illum etiam refella-
» mus ipsorum iurisconsultorum auctoritate. Si enim Ec-
» clesia ædificata est super firmitatem fidei Petri, consequi-
» tur, Pontifices Romanos frustra iactare Petri successionẽ,
» quia constat ex iurisconsultorum responsis, dona perso-
» nalia, cuiusmodi fuit firmitas fidei Petri, ad alios iure
» successionis nõ transire, quamuis Papa Symmachus pa-
» rum iuris vel diuinĩ, vel ciuilis peritus, dixerit Petrũ per-
» ennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ
» transmisisse ad posteros, Hæc enim sunt verba eius can.
» non nos, dist. 40. *Semper sumis falsum ad argumentandum, vt sit ratio tua semper* ψευδὴς καὶ ἀνυπόστατος, *vt hic facis, cum dicis firmitatem fidei Petri, super quam ædificata est* ἐκ*clesia, donum personale fuisse, ac proinde secundum responsa iurisconsultorum nõ potuisse iure successionis transire ad alios, falsum, inquam, sumis; firmitas enim ista fidei Petri, non est donum personale, cuiusmodi sunt, quæ in responsis tuorum iurisconsultorum legisti, neq; nos dicimus, transire eam ad alios iure successionis; nam in hoc quoq; erras, nõ intelligens, quod dicis, non enim transit iure successionis, sed iure vicariæ ordinationis, & consecrationis. Per vicariam enim ordinationem succedit in locum Petri, qui in sede eius ordinatur Episcopus; aut si iam prius ordinatus erat Episcopus, qui consecratur ad sedẽdum in Cathedra eius. Sed tu non intelligens, vt dixi, quod loqueris, ius successionis à iure vicariæ ordinationis non distinguis: sic enim beatus Cyprianus loquitur, cum ait, Episcopos vicaria ordinatione successores Apostolorum esse, itaq; ius successionis in locum Petri principis Apostolorum, & Petræ Ecclesiæ Catholicæ fundatur in iure vicariæ ordinationis, vel cõsecrationis in sede Petri. Et vt intelligas tandem, quam vim habeat augumentatio tua contra successionem*

Quomodo firmitas fidei Petri nõ fuit donum personale, vt Antonius vocat.

Quomodo Antonius non intelligens, quod loquitur, ius successionis non distinguit à iure vicariæ ordinationis.

Quomodo argumentatio Antonij ex respõsis iurisconsultorũ petita in eum retorquetur.

cessionem Pontificum in Sede Petri, ex responsis iuris consultorum à te fallaciter & fatue deprompta, eam in te retorqueo hoc modo: si ordinatio Martini Lutheri presbyteri donum personale fuit, non potuit transire ad alios iure successionis, atq; ita frustra iactitatis Lutheri ordinationem, & habere vos in eius ordinatione successionem. Sin autem non fuit donum priuatæ personæ, sed δῶρον εἰς τὸ κοινωφελὲς, id est, donum ei ad communem vtilitatem datum; cur non permittis idem à nobis dici? vt enim ordinatio Lutheri presbyteri charisma fuit, in quo continebatur potestas spiritualis consecrandi corpus domini nostri, & absoluendi, atque ligandi, quæ dicitur potestas ordinis; & si Episcopum haberetis, qui potestatem ordinandi ministros ecclesiæ accepit, presbyteros, & alios ministros haberetis: sic quia Ecclesia Catholica Episcopos habet, qui ordinant Episcopum, idcirco, qui ordinatur Episcopus in Sede beati Petri, charisma firmitatis fidei, quod Christus promisit, & dedit beato Petro, vt super eum ecclesiam suam ædificaret, similiter & hoc ipsum accipit. Nec enim in diebus carnis Petri, & dum viueret tantum, promisit Christus ædificaturum se ecclesiam suam super eum, sed etiam post mortem eius. Quod si ita est, quod tu Antoni negare non audebis, quãuis omnia audeas; & ad firmandum totam fraternitatem, id est, ecclesiam Catholicam opus erat eodem charismate firmitatis fidei Petri, sequitur transire illud ad successores non iure ciuili naturalis successionis ex responsis tuorum iurisconsultorum, sed iure, vt dixi, vicariæ ordinationis in sede, & Cathedra sancti Petri petræ Ecclesiæ Catholicæ à Christo in Ecclesia sua pro fundamento, & firmamento collocatæ. Hoc Euangelium dicit; hoc omnes Ecclesiæ catholicæ, quæ per vniuersum mundum sub cælo sunt, profitentur, & ab initio sicut sancti Apostoli tradiderunt, & prædicarunt, professæ sunt, sicut ante Lutherum omnes item Ecclesiæ Germanorum ab initio suæ ad fidem conuersionis profitebantur. Quæ igitur dementia est, contra stimulum calcitrare, sicut Dominus Saulo ecclesiam persequenti dixit? & cum non possitis resistere Spiritui sancto, qui in vnione omnium Ecclesiarum Catholicarum cum Cathedra Episcopi Romani successoris Petri, & in omnium veterum, & Sanctorum patrum libris

Quomodo firmitas fidei à Petri iure vicariæ ordinationis in locũ eius, & non iure ciuilis, aut naturalis successionis ad successorem transit.

loqui-

loquitur, adhuc in Martini Lutheri hæresi, repudiata petra Ecclesiæ Catholicæ, pertinaces esse velle? quod autem de Symmacho nescio imprudentius ne, an impudentius scripsisti, parum iuris, vel diuini, vel ciuilis peritum fuisse, non est opus mea defensione; imprudentiam, & impudentiam tuam coarguunt historiæ illorum temporum, & Synodi Romanæ grauissimæ, quæ eo Pontifice habitæ sunt, & earum decreta sanctissima omni pietate, & religione referta. Tu verò in eo neque summi Sacerdotij dignitatem, nec antiquitatem, nec innocentiam & sanctitatem iudicio publico centum XV. Episcoporum, in illa hostili criminatione comprobatam reueritus es, ex quo satis apparet, qualis ipse sis. Illud magis ad rem pertinet, quod cum videri voluisti, non ignorare te decreta Gratiani, insipientia tua detecta est; primum, quia nullo alio modo auctoritatem Symmachi Pontificis refellere potuisti, quàm si diceres parum eum iuris vel diuini, vel ciuilis peritum fuisse; immò tu ius diuinum ignoras, & responsa iuris consultorum non intelligis, si quidem, quod CHRISTVS ad communem vtilitatem fidelium ac necessitatem Ecclesiæ Catholicæ constituit, tu ad dona personalia iuris consultorum retulisti. Deinde, quo magis tum indiligentia, tum imprudentia tua nudata esset, & causa tua magis læsa, verba illa, quæ recitasti, non sunt, vt putasti, Symmachi pontificis, sed Ennodij Ecclesiæ Romanæ diaconi, qui librum scripsit aduersus eos, qui contra Synodos à Symmacho pontifice Romæ habitas scripserant: hic liber recitatus est in Synodo Romana ducentorum fere Episcoporum, & his verbis approbatus, & auctoritate Synodica sancitus. Hic liber integerrime Synodaliter abomnibus teneatur; atq; inter quartæ & quintę Synodorū nostrarū actiões interponatur, & ita sicut harū synodorū decreta habeatur, quia synodali auctoritate cōscriptus est, & roboratus. Lege Antoni hūc Ennodij libellū, qui in voluminib. conciliorū cū istis Symmachi pontificis Synodis fertur, & videbis, nisi plane stipes sis, quā multa iuris ciuilis prudētia, quanta etiā diuini iuris scientia plenus sit Ennodius. Cui testimoniū de firmitate fidei Petri ad successores trāsmissa lōge maioris auctoritatis est, quā si testimonium

Quam imprudenter & impudēter Symmachū pontificem Antonius reprehēderit.

Quomodo insipientia Antonij in qua reprehēsione Symmachi detecta est.

Quæ Antonius putauit esse Symmachi, Ennodij diaconi Ecclesiæ Romanæ sapientissimi esse.

Ennodij liber a synodicè approbatus, & scientia iuris diuini & humani refertus.

monium de se Symmachus perhibuisset: sicut Dominus dixit, si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum; est, qui testimonium perhibet de me, & scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me. Habes igitur Antoni in testimonio Ennodij Ecclesiæ Rom. diaconi testimoniũ vnius Synodi Romanæ & quidẽ frequentis ducentorũ fere Episcoporũ, in qua recitatus, & canonice approbatus fuit hic liber, in quo ferũtur hæc, quæ tu errore inscriptionis in dist. 40. per negligentiã secutus, tanquam Symmachi essent, recitasti: non enim, vt dixi, Symmachi sunt, sed Ennodij pro defensione Symmachi. Quo in loco illud adiunctum est. quod à Gratiano dist. 40. in illo cap. Non nos, prætermissum est, præno-
,, scit enim, *inquit*, quod Ecclesiarum fundamentũ sit stabi-
,, le, super quod ipsa moles innititur. *Planè testatur hic Enno*
,, *dius, & Synodus, quæ istum Ennodij librum canonicè approbauit, esse successorem Petri fundamentum Ecclesiæ, in quo ædificium eius nititur: sed quia tu Antoni firmitatẽ fidei Petri ad successores transisse negas, & Symmachũ, vt tu putasti, imperitũ iuris diuini, & humani fuisse ais, quia Petrum dixit perennem meritorum dotem ad posteros transmisisse, videamus, an idẽ dixerint alij patres antiqui, non pontifices, & an illi fuerint imperiti iuris diuini. Magnus Basilius in epist. data Sabino diacono ad Pontificẽ Rom. sic scripsit* τῷ ὄντι γὰρ τοῦ ἀνωτάτου μακαρισμοῦ ἄξιον τοῦ τῇ ὑμετέρᾳ θεοσεσβείᾳ χαριθέντος τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τοῦ δοκίμου καὶ καθαροῦ διακρίνειν, τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν ἄνευ τινὸς ὑποστολῆς κηρήθειν αὐτήν. *Transferamus Latine, reuera, inquit, quod adulterinum à probato, & puro discernas, & fidem patrum nihil subtrahendo prædices, dignum est excellentissima illa de Petro Christi beata prædicatione, quæ pietati tuæ donata est. En Antoni, quod Christus dixit Petro post magnificam illam confessionem fidei, beatus es Simon Bariona, & quæ sequuntur, ad successorem eius Pontificem Romanum transisse dicit Basilius, nescio an dicturus sis fuisse Basilium imperitum iuris diuini, nec tamen mirer, si dixeris, qui Lutherum ab omnibus Ecclesijs Catholicorum, quæ vbiq; terrarum sunt, damnatum tanquam peritum magistrum sequeris. Sophronius item Hierosolymitanus in Synodica episto-*

Quam graue sit, & quibus de causis testimonium Ennodij de firmitate fidei Petri ad successores transmissa.

Testimoniũ Ennodij & Synodi esse successorem Petri fundamentum ecclesiæ, in quo ædificium eius nititur.

Basilius.

Testimonia patrum antiquorum transire ad successores Petri firmitatem fidei Petri.

epistola, quam ad Honorium Pontificem tempore Heraclij Imperatoris, de qua supra memini, scripsit, tam apertè, & perspicuè testatur transisse ad successores Petri in Cathedra Romana firmitatem fidei Petri, vt planè cæcus sit, qui non videat; & valde obtusus, qui nõ intelligat. In ipsa enim epist. fidẽ suã exponit, quã ab eo approbari, ac confirmari petit, & rogat; in qua re Paulũ Apostolũ sequi se dicit, qui exemplũ faciendi, q̃ ipse fecit, posteris reliquisset, cũ ascẽdit, inquit, Hierosolymã Christi alioqui discipul⁹ cælestis, & antecessoribus suis diuinis discipulis se submisit; & Euangelicã doctrinã, quã prædicabat, ijs, qui antecellere videbantur, manifestauit. Propter Petrũ hoc dixit, q̃ statim magis declarat, cum subiungit, quorsum cũ illis contuliſſet, τὸ ἀσφαλὲς, inquit, μνηστεύομαι, id est, poscens interrogando, quod Latinè est stipulari, Græcè μνηστεύεσθαι, vt firmum sibi fieret, quod prædicabat, hoc est, quod Tertull. dixit, vt ante memini, veluti vim verbi huius Græci declarans, auctoritatem prædicationi suæ optasse. Cum dixit, vt firmum, ac tutum sibi efficeretur, quod prædicabat, clare Sophronius testatus est, firmitatem fidei Petri ad Honorium, pontificem Romanum Petri successorem transisse, si quidem ab eo requireret, quod Paulus à Petro pro auctoritate eius requisisset: illi enim dictum est in Euangelio, & tu aliquando conuersus στήριξον, id est, firma fratres tuos, quo etiam verbo vsus est hic Sophronius, cum paulò post roget pontificem στηρίξειν, quod interpres vetus vertit, confortare. Et in alio loco paulò antè extremam paginam, petit, vt robur tribuat confessioni suæ fidei. Post quã exemplum Pauli commemorauit, subiungit, huic nos consuetudini seruientes, ad vos θεοσόφους, id est, à deo doctos, qualis sit fides nostra, scribimus πρὸς δοκιμὴν, id est, vt probetur, ne terminos æternos, quos patres nostri posuerunt, transire videamur; scribimus, inquam ad vos, qui non solum nostis discernere ἀπὸ τῶν νόθων τὰ δόκιμα δόγματα, id est, probata dogmata ab adulterinis, sed etiam προσαναπληροῦν τὰ ἐλλείποντα, id est, supplere, quæ desunt, potestis. Honorium pontificem, ad quem scribit Sophronius patriarcha, θεόσοφον vocat, quia erat successor Petri; & ad successores Petri transit, quandiu en Cathedra eius sedent, fidei Petri reuelatio, quam pater cælestis

Sophronius Hierosolymitanus patriacha.

illi reuelauit, & quæ vt nunquam deficeret, rogatus est. vtrumque enim est in Euangelio. Postremo dicit se desiderare à Pontifice litteras, quibus recta fides ei illustretur, mores candorem accipiant, & scientia gubernandi tradatur, & ipse ad pascẽdos greges suos fidentior efficiatur, & quia Græcis, vt sæpe dixi, delectaris, describam ista Græce, ποθοῦμεν γράμματα πίστιν ἡμῖν τὴν ὀρθὴν ἐκφαιδρύνοντα, καὶ τὸ ἦθος τῆς ψυχῆς ἐκλευκαίνοντα, καὶ τὴν ποιμανικὴν ἡμᾶς ἐπιστήμην παιδεύοντα, καὶ θαῤῥαλαίους πρὸς τὸ ποιμαίνειν ποιούμενα ποίμνια. *Et ne dicere audeas iuris diuini imperitum fuisse, lege epistolã eius longam, quæ in actione xj Sextæ Synodi fertur, licet malè, & obscurè translata, quæ Græcè est elegantissima. Hanc epistolam eruditionis theologicæ plenissimam Photius inter libros celebres veterũ auctorum à se lectos in bibliotheca sua retulit, & ad Honorium Pontificem Romanum scriptam fuisse affirmat, quæ fertur nunc falso inscripta Sergio Patriarchæ Constantinopolitano. Sunt enim in hac ipsa epistola non pauca, quæ falsam inscriptionem necessariò coarguunt: cuiusmodi est, quòd se dicit Sophronius scribere ad antecessores suos exemplo Pauli, cùm ad antecessores suos ascendit Hier. vt conferret cum eis Euangelium, quod prædicabat, at Archiepiscopi Constantinopolitani non erant antecessores Archiepiscopi Hierosolymitani. Deinde nõ pertinebat ad Archiepiscopũ Constantinopolitanum, vt cõfirmaret, aut corrigeret Archiep. Hierosolymitanũ, eiq; dux esset; nec ei conueniunt, quæ prima pagina huius epistolæ idem Sophronius scribit, cùm ait petens, vt suam confessionem firmet, date ergo vos, inquit, mihi paternè simul atq; fraternè, quæ postulo, iusta quippe sunt; & ego vestram pedeductionem sequar, Græcè est* ποδηγίαν, *ita loquitur quasi Archiepiscopus Hier. infra Archiepiscopum Constantinopolitanum esset, at nunquã Archiepiscopi Constantinopolitani fuerunt* χειραγωγοὶ, *neque* ποδηγοὶ *Hierosolymitanorum. Episcopo Romano tribuit Sophronius esse* ποδηγὸν, *qui est successor Petri, cui Dominus dixit, tu me sequere, significans futuram esse cathedram eius* ποδηγίτριαν *alijs. Qui ergo epistolam Sophronij falso inscripsit Sergio Constantinopolitano; idem in extrema pagina, vt bonus* μηχανοράφος, *Byzantiorum antistitem pro Romanorum antistite supposuit. Sed prosequamur reliqua.*

CAPVT XI.

Responsio ad quæstionẽ Antonij, Quid interfit inter has duas propositiones, Christus ædificauit Ecclesiam suã super Petrum; & Petrus ædificauit ecclesiam super Christum. Et de duplici petra, siue duplici fundamento ecclesiæ & de loco Retractationũ Augustini, qui impudentiam Antonij redarguit. Item de loco epis. ad Ephe. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum &c. de quo fundamento sit intelligendũ, & quomodo scriptura Christum dicit ante incarnationẽ, & quomodo distinguatur doctrina Christi à doctrina Apostolorum, & doctrina Christi sit fundamẽtum Apostolorum, & Prophetarum. De interpretatione Antonij contra proprietatẽ verbi, & contra scripturam in illo loco, ipso summo angulari lapide &c. de loco epis. ad Ephes. qui est caput Christus, ex quo totum corpus &c. Item locus Apocalyp. obiectus ab Antonio de duodecim fundamentis vrbis, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum, & quæ fuerunt communia Apostolorum; & quando fuerunt Prophetæ fundamenta Ecclesiæ sicut Apostoli, & in quibus locis scripturæ dictum sit aliquid de Petro

κατ' ἐξοχήν.

VErumenimuerò, *inquit Antonius*, vt accuratius ista tua discutiatur interpretatio, quæro Turriane, quid nã intersit inter has duas propositiones, Christus ædificauit suam Ecclesiam super Petrum; & Petrus ædificauit Ecclesiam super Christum; alteram impudèter affirmas; alteram cum pudore negare non potes. Recurris scilicet ad Petri ministerium, cuius ratione dicatur ecclesiæ fundamentũ, q. & alij Pontificij vulgò faciunt. Ergo vel in ministerium Petri idem est, quod Petrus ipse, aut Petri fides, quod est falsissimum; aut ipse tibi non constas, quod est verissimum. *Statim fiet manifestum, vtrum ego aut mihi non constem, aut sit quod dico, falsissimum; an contra potius tu quod dicis, ignores; & sit merũ mendacium. Sed recitabo prius locum libri mei ex pagina 87. à te in libello tuo notata, recitabo propter eos, qui libros meos illos non habent ad manum; confutans igitur Illyricum, sic scripsi, sic igitur argumentatur bellissimus Sophista, Ecclesia est fundata super petrã Christum, ergo non est fundata super Petrum.*

Item Petrus ipse extructus est super petram Christum, ergo non est Ecclesia fundata super Petrum, vtrobiq; ex eo, quod ait, concludendo id, quod negat. Respondeat ergo tibi Magnus Leo, vel potius doceat te distinguere petram à petra; & fundamentum à fundamento, vt intelligas tandem, si tamen credere volueris, nisi enim credideritis, ait Propheta, non intelligetis. Leo igitur in ipso illo sermone paulò ante citato, & ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut meus pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita ego tibi notam facio excellentiam tuam; quia tu es Petrus; id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, quia facio vtraq; vnum; ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoq; petra es, quia mea virtute solidaris; vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. En Illyrice, duplex petra, vna per propriam virtutem solida; altera per participationem soliditatis prioris petræ; & super hanc petram (scilicet, quæ tu es, non per potestatem propriam solida, & fortis, sed per participationem petræ Christi) ædificabo, inquit, Ecclesiam meam: & super hanc fortitudinem, inquit Leo, (petræ scilicet, quæ per participationem virtutis petræ Christi solidata est, quæ est Petrus ipse) æternum extruam templum. Deinde subiungit, & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget: hanc confessionem fidei portæ inferi non tenebunt: mortis vincula nõ ligabunt. Hoc est, quod prius sermone secundo de anniuersario etiam die assumptionis dixerat; & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Deinde intuli, super firmitatem ergo fidei, quam Petrus de Christo confessus est, & confitetur in suo successore, pro qua Dominus, ne deficeret, rogauit, permanet ædificatio Ecclesiæ à Christo in Petro instituta. Hactenus, quæ illic scripsi contra Illyricum; quæ cum contra te etiam Antoni scripta essent, nõ debebas dissimulare; sed si cautè dissimulasti, certe incautè paginam, in qua scripta erant, indicasti. Ad illa igitur, quia respondere non potuisti, neq; quomodo testimonium magni Leonis refelleres, inuenisti, ad ineptias obtusas, & nugas ignorantiæ plenas cõfugisti, in quibus non sinam insipientiam tuam latere, quin academiæ

Quæ Antonius ex libro meo, cui respondet, dissimulauerit, quia cauillationes ad respõdendũ reperire vllas nõ potuit.

miæ tuæ patefiat, Quæris igitur à me, quid nam interſit inter has duas propoſitiones, Chriſtus ædificauit ſuam Eccleſiam ſuper petrã; & Petrus ædificauit Eccleſiam ſuper Chriſtũ. Reſponſum habuiſti in ijs, quæ modo recitaui ex illa pagina à te obſeruata, & notata; cur non refutabas reſponſionem, ſi tibi non probabatur? niſi quia non potuiſti. & ad aphoniam compulſus es. Audiſti duplicem eſſe petram Eccleſiæ, duplexq; fundamentum, vnum virtutis propriæ, quod eſt Chriſtus, ſuper hoc fundamentum αὐτοδύναμον, Petrus Eccleſiam ædificauit; alterum virtutis non propriæ, ſed ab illo vnico, & ſingulari fundamento, & petra viua communicatæ, ac per gratiam participatæ, quod eſt Petrus, ſuper hoc Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificauit: an non ſatis erat ad quæſtionem tuam reſponſum, cum quæris modo, quidnam interſit inter has duas propoſitiones? tam hebeti ingenio es, vt non intellexeris me illic affatim reſpondiſſe? aut ſi intellexiſti, tam amens eras, vt fallaciam tuam latere poſſe confideres? neq; metuebas, ne à me detegeretur? Quod verò ais, ex iſtis duabus propoſitionibus alteram me impudenter affirmare; id eſt, Chriſtum eccleſiam ſuam ſuper Petrum ædificaſſe; ſi impudens tibi videor, cũ hoc affirmo, mirer, niſi academiam tuam tantæ impudentiæ oris tui pudeat. Cum enim apud bonos iudices, vt Firmianus Lactantius in libro de vera ſapientia ſcripſit, ſatis firmitatis habeant vel teſtimonia ſine argumentis; vel argumenta ſine teſtimonijs; vtrunq; tu homo impudens contẽnis. Legiſti in libris meis aduerſus Centuriatores hæreſis tuæ conſortes, nubem teſtium, qui affirmant, ſuper Petrum ædificaſſe Eccleſiam ſuam Chriſtum; recitaui illic eorũ teſtimonia, & paulò ante, vt breuis eſſem, nomina teſtium tantum commemorauit: tu verò cum te tui puderet, ſi tam multorum tantorum ſanctorũ, & antiquorum patrum auctoritatem negares, callide, & doloſe diſſimulaſti: nihil enim, ad ea teſtimonia reſpondere auſus es, quod verecundiæ tribuendum eſt, quæ non videtur in te adhuc funditus extincta eſſe. Vt verò reliquias iſtas pudoris, & verecundiæ tuæ augeam, ſolum Auguſtinum cõmemorabo, qui libro Retractationũ primo, ex libro contra epiſtolam Donati hæretici, cap. 21. hæc recitat, in hoc, inquit, libro dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in

Antonius Sadeel ad aphoniam compulſus.

De duplici fundamento & duplici petra eccleſiæ.

Quare ad nubẽ teſtiũ antiquorũ magnæ auctoritatis de eccleſia ædificata ſuper Petrum nihil Antonius reſpondit.

De loco Retractationũ Augustini.

eo tãquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum, ore beatiss. Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait, hoc ipsa petra, Ecclesia canente, culpam diluit. Hoc Augustinus non retractat, neq; corrigit, sed ne videretur non sibi constare, quod tu mihi obijcis, quod aliàs aliter locum de Ecclesia super petram ædificata interpretatus esset, adiungit non tam retractandi, quam admonendi gratia, sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hanc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens, tu es Christus filius Dei viui; ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cælorum, non enim est dictum illi, tu es petra; sed tu es Petrus, petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus: deinde subiungit, harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. Hactenus Aug. priorem, vt dixi, sententiam non retractat, sed potius confirmat, cum veram esse ait, alioqui non esset probabilis, quare cum me impudenter eam affirmare dicis, Augustinum etiam impudentiæ accusas, viderit academia tua pudorem tuum. Altera sentẽtia probabilis etiã est, & vera, ædificatam esse Ecclesiam super Christum, quem Petrus confessus est, quid verò alterum fundamentum ab altero differat, dixi iam. Optionem dat Aug. vtram quis sequi malit, eligendi. Ego vtramq; eligo; & vtraque Augustino probata est. tu igitur impudentissimus es, qui Augustinum impudentiæ mecum arguis. Adiungis deinde, recurris scilicet ad Petri ministeriũ cuius ratione dicatur Ecclesiæ fundamẽtum, quod & alij pontificij vulgò faciunt. Hoc autem sic refellis, ergo vel ministeriũ Petri idem est, quod Petrus ipse; aut Petri fides, (quod est falsissimum) aut ipse tibi nõ constas, quod est verissimum. Academiam tuam hic appello, vt te ad discendas Aristotelis categorias releget. cùm enim ministeriũ ad aliquid sit, sicut tu argumentaris, si Petrus esset fundamentũ Ecclesiæ ratiõe ministerij, sequi, vt ministeriũ sit ipse Petrus, sic etiam ex arte tua licebit argumentari, si Ioannes est Dominus ratione habitudinis ad seruum, sequi similiter, vt habitudo ad

Quomodo Antonius Augustinũ impudentẽ vocat in alio, qui dicit, quod dicit Augst.

Quomodo cõuincitur Antonius de ignorantia categoriarum.

seruũ sit idem, quod ipse Ioannes. Quis te docuit sic argumentari? q̃ si hæc argumentatio absona, & perridicula est, est igitur & illa superior; vnius. n. formæ vtraq; est, & nulla penitus vtriusq; differentia. Disce igitur Antoni quid sit Petrũ esse fundamentũ ministeriale Ecclesiæ Christi, scilicet Petrũ ministrantem ædificationi Ecclesiæ; vel Christo in ædificatione Ecclesiæ, (idem. n. valet vtrumq;) esse fundamentum Ecclesiæ, qui autẽ ministrat, tanquã ex virtute, quã Deus administrat, inquit princeps apostolorũ Petrus in epist. priore, vt in omnib. honorificetur Deus. ministeriũ igitur, cũ administrantẽ referatur, sine eo esse nõ potest; nõ magis, quã pater, quatenus pater, sine filio. quare Petrus cum ministerio suo, siue Petrus ministrans ædificationi ecclesiæ ex virtute non propria, sed ex virtute, quã Deus administrat, sicut ait scriptura, i. ex charismate diuino, est fundamentũ ecclesiæ. Altera pars cõclusionis rationis tuæ falsa erat, aut Petri fides idẽ est quod ipse Petrus, quod est falsissimũ. Quis, nisi tu, ignorat, fidẽ Petri, i. fidem cũ Petro idem esse, quod Petrus habens fidẽ? sicut albedo cũ pariete idem est quod paries albus; & musica hominis idem, quod homo musicus. Etsi enim musicus & musica differunt, illud. n. & musicã & eum, qui musicam participat, significat; hoc verò ipsam scientiã musicæ tantũ, tamen musica hominis à musico homine nõ differt, quia vtrobiq; subiectum continetur, & significatur. Siue igitur dicamus ecclesiã super fidem Petri, siue super Petrũ fidẽ Christi confessũ, idẽ dicimus, & semper nobis constamus. tu tu es, qui huc, & illuc aberras; & nusquã consistis, vbiq; fluctuans, & vacillans. Vt est τὸ ψευδὲς ἄσατον, vt ait Dionysius, id est, mendacium inconstans. Sequitur in tuo libello mendaciorum fertilissimo, Iam si Petrus est fundamentum propter suum ministeriũ, idem quoq; de cæteris Apostolis dicendum erit; nullum enim aliud Petri ministerium, quàm Apostolatũ scriptura commemorat. *Demus hoc, nullũ aliud ministerium in Apostolis fuisse præter ministerium Apostolatus; at quomodo probas non fuisse in ministerio Apostolatus principatum, siue primatum Apostolici ministerij in vno tantum? Hoc te probare oportebat; quod nũquam probare poteris. Dici enim potest hic illud*

Quid sit Petrum esse fundamentum ministeriale Petri.

Quomodo ignorat Antonius, idẽ esse ministerium Petri quod Petrus ministrans.

Quomodo nunq̃ probat Antonius, quia non potest, in ministerio Apostolatus non fuisse principatum.

Apo-

Apostoli ad Timoth. fundamentum Dei firmum stat, habens hoc signaculum, & ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam; & quæ sequuntur; & illud, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et illud, demum post resurrectionem soli Petro ter dictũ, amas me, amas me, diligis me, pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas. Videamus deinceps de testimonio Pauli, quod vt tu tua intelligentia deprauasti, ita ego non mea, sed Pauli interpretatione à deprauatione tua vindicabo. Sic enim ais, Audiamus igitur Paulum de hac ipsa re, id est, de ædificatione Ecclesiæ & de ministerio Apostolico differentem Ephes. 2. Superstructi, inquit, super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, cuius imus angularis lapis est ipse Iesus Christus: hic dubium non est, quin nomine fundamenti doctrinam Apostolorum & Prophetarum intelligat, nisi quis plane velit Pauli contextum peruertere; atqui dixit Apostolos numero multitudinis; nõ autem aliquem inter Apostolos eximium, qui cæteris in hoc fundamento præponatur. Deinde illis omnibus Christum substrauit tanquam angularem lapidem, quo vno doctrina prophetica, & Apostolica nititur. *Expositi ego hũc locũ epist. ad Eph. libro priore aduersus capita disputatiõis Lypsicæ, pag. 4. q̃ mea expositio quia tuæ repugnat & mea expositio auctoritate ipsius Apost. Pauli cõfirmata est, nõ erat à te Andreæ Freyhubij cõmilitone & academiæ Lypsiensis hypaspiste dissimulãter prætereũda, si refellere poteras; sed quia non potuisti, astute dissimulasti, hoc est tuũ sapere, recitabo igitur pauca, q̃ illic obiter ad huius loci interpretationem pertinentia scripsi; post ascensum verò Christi in cælũ, aiebã, ibi est Ecclesia, vbi est et fundamentũ eius, quod est verbũ Dei, ab Apostolis, & Prophetis prædicatum; & ministri verbi Dei, Apostolorum, & Prophetarum successores. Super hoc enim fundamentum, quod sancti Apostoli, & Prophetæ per prædicationem suam secundum gratiam, quæ eis data est, tanquam sapientes architecti posuerunt, superædificati sumus, sicut Apostolus Paulus de se ad Corinth.*

Quomodo interpretationẽ loci epist. ad Eph. superædificati super fundamentum Apost. &c. scriptã libro priore contra capita Andreæ Freyhubij commilitonis Antonij ipse Antonius astute dissimulauit, quia refellere non potuit.

rinth. scripsit, tanquam sapiens architectus fundamentum posui; & ad Ephes. superædificati, inquit, super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Et paulo post; ergo super hoc fundamentũ id est, super fundamentum ab his positum, & super quod hi fundati fuerunt, quod est Christus Iesus, & verbum eius, tunc vos Protestãtes superædificari desciuistis, cum successores Apostolorum, & Prophetarum, id est, archiepiscopos, & episcopos sustuliſtis; ex quo tẽpore neq; doctrinam Apostolicam, nec Ecclesiam columnam & firmamẽtum veritatis habetis, & quæ sequuntur. Hic ego fundamentũ Apostolorum, & prophetarum, non doctrinam Apostolorum, & prophetarum, sed doctrinam Christi ab Apostolis prædicatã, & à prophetis prænunciatam interpretatus sum, auctoritate Pauli fretus, qui dixit, tanquam sapiens architectus fundamentum posui; quod nam autem fundamentum diceret, paulo post declarauit, cum dixit, fundamẽtum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus, hoc fundamentũ posuerunt Apostoli in prædicatione sua; hoc item prophetæ, sicut docet Dionysius Alexandrinus in epistola contra Paulum Samosatensem, cuius meminit beatus Hier. & quæ adhuc extat Græce, quia enim Paulus Samos. Christum dicebat esse hominem sanctum tantum, docet Dionysius esse dictum in scripturis Christum etiam ante incarnationem tanquam vnum, sic enim ait, οὕτω καὶ ὁ χριστὸς πρὸ τ̃ σαρκώσεως ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς ὡς εἷς ὠνόμασται. vt apud Hier. spiritus ante faciem nostram Christus dominus autem spiritus est, inquit Apost. Item idem Apostolus, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Et rursus de Moise dixit in epist. ad Heb. maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; & beatus Petrus in epist. sua priore, de qua salute, inquit, exquisierũt, atq; scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias. hactenus Dionysius Alexandrinus. Hoc itaq; est fundamentum, quod dicit Apostolus in epist. ad Eph. Christus scilicet, & doctrina Christi, cum ait, superædificati super fundamentum Apo-

Quod fundamentũ ita intelligendum sit in loco epist. ad Eph. superædificati super fundamentũ Apostolorum & prophetarum. &c. Quomodo in scripturis dictus est Christus ante incarnationẽ, quia erat vna persona diuina, qui sumpsit carnem, cũ venit plenitudo temporis.

 posto-

postolorum, & prophetarum. Sic etiam distinxit idem apost. in epistola ad Hebr. cap. 2. doctrinam Christi, quæ est διδαχις, *à doctrina Apostolorum, quæ est* μάθησις, *cum ait, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab ijs, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, &c. tametsi enim vna & eadem energia subiecto sint* διδαχις *Christi, &* μάθησις *Apostolorum, ratione tamen differunt; & quatenus doctrina à* CHRISTO *profecta est, fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, & totius Ecclesiæ est; non autem quatenus est ab Apostolis & Prophetis recepta ad prænunciandum, & prædicandum. Distinctio enim sola rationis facit, vt aliud de altero duorum, quæ sunt idem re, prædicetur, quod de altero non prædicatur, vt tuus Arist. libro tertio Physicorum docuit in motu mouentis, & motu mobilis, siue in actione, et passione,* οὐ γὰρ, φησὶ, τὰ αὐτὰ ὑπάρχει τοῖς ὀπωσοῦν τοῦτοις, ἀλλὰ μόνον οἷς τὸ εἶναι τὸ αὐτὸ, *id est, nõ eadem insunt ijs, quæ quomodocunq; sunt eadem; sed quibus esse est idem. Cùm ergo ais Antoni, hic dubium non est, quin nomine fundamenti doctrinam Apostolorũ, & Prophetarum intelligat, falleris. Non enim intelligit nomine fundamenti doctrinã Apostolorũ, quæ est* μάθησις, *nos dicamus disciplinam à discẽdo, sed doctrinã Christi, quæ est* διδαχις, *dicta à docendo. licet hæc, vt dixi & Arist. tradit, sic differãt, vt distantia duorum ad vnũ, & vnius ad duos; & via Thebis Athenas; & Athenis Thebas. An non decebat nomine fundamenti te potius intelligere doctrinã Christi, qui docuit, & non didicit; quàm eorum, qui doctrinam illius discendo perceperunt? sic igitur intelligere & interpretari fundamentum non est peruertere Pauli contextum, vt tu putas, & dicis; sed potius non sic intelligere, hominis est scripturas, & virtutem earum ignorantis, & nescientis distinguere doctrinam, vt à docente est; & vt à discente percipitur: alia enim ratio est, vt docentis, & alia vt discentis. alioqui qui docet, etiam disceret, vt Aristoteles tradit. Euanuit igitur illa tua obseruatio, cùm ais,* atqui dixit Apostolos numero multitudinis, non autem aliquem inter Apostolos eximium, qui cæteris in hoc fundamento prę-ponatur: *in hoc enim fundamento nullus proponitur, nisi Christus.*

Quomodo doctrina Christi, & doctrina Apostolorũ distinguantur.

Quomodo Antonius nescit distinguere doctrinam, vt à docẽte proficiscitur; & vt à discente percipitur.

adiungis

adiungis postea, Deinde illis Christum substrauit tanquam angularem lapidem, quo vno doctrina Prophetica & Apostolica nititur. *Sic enim interpretaris, quod statim subiunxit Apostolus, ipso summo angulari lapide Iesu Christo, quod non intellexisti, & pessimè è Græco vertisti. Verumq; mox patefiet; quod enim dixerat Apostolus, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarũ, statim perstans in metaphora declarauit Paulus, quodnam fundamentum Apostolorum diceret, eum scilicet, qui factus est summº angularis lapis Iesus Christus. Quod magis adhuc declarat subiungẽs, in quo omnis ædificatio cõstructa crescit in templũ sanctũ in Domino. In quo crescit, ait, i. in cuius virtute propria. Fundamentum enim, quod Christus est, dat incrementũ propria scilicet virtute, sicut idem Apost. in epistola ad Cor. scripsit, neq; qui plantat, est aliquid; neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et paulò post, Dei ædificatio estis. Secundũ gratiã Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentũ posui; non dixit, posui me fundamentũ, neq; positus sum fundamentũ, sed fundamentũ posui, illud s. fundamentũ, præter quod nemo aliud potest ponere, vt idẽ ait, q̃ est Christus Iesus. de hoc eodem igitur fundamẽto loquitur Paul. in epist. ad Ephe. quod vocauit fundamentũ Apostolorum, & Prophetarum, id est, quod Apostoli & Prophetæ posuerunt, sicut dixit Apostolus Paulus se posuisse hoc fundamentũ. redeo ad illud, quod dixi, pessimè te è Græco vertisse. Tu enim ἀκρογωνιαῖον imum angularem lapidem interpretatus es primũ contra proprietatem & naturam vocabuli Græci, deinde contra scripturam, quæ in Psal. 117. ait, lapidem, quem reprobauerũt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et ne LXX. hic, vt soles, cõtemnere audeas, habes beatum Petrum, qui eos secutus est in epistola sua priore: sic enim ait, lapis, quem reprobaueruut ædificantes, hic factus est in caput anguli. Attingamus naturam verbi; quis ignorat ima hominis pedes esse, vt summum hominis caput? ἄκρου enim, vt etymologici auctores tradunt, dicitur παρὰ τὸ ἄχρι οὗ τινος οὐκ ἔξω ἐπέκεινα, ἢ ἄχρον τι ὄν. Cur igitur, quod est capitis, id est, summum esse, & primum in corpore, hoc pedibus tribuisti? Cur monstra loqueris? Quis*

Quomodo idem Apostolus declarauit, quod fundamentum Apostolorum, & Prophetarũ diceret, cũ dixit, superædificati super fundamentũ, &c.

Quomodo peruerse cõtra scripturam, & contra proprietatem, vocabuli interpretatus est, è Græco verbo ἀκρογωνιαῖον Antonius Sadeel.

Quomodo Antonius monstra loquitur.

Quomodo Antonius summa in ima vertit, & quæ sunt sursum, vertit deorsũ.

Quomodo Antonium in architectura ædificij Ecclesiastici decepit consuetudo terreri ædificij

Loci Apocalypsis & Esaiæ de ædificio Ecclesiæ.

vnquam ἀκρογονιαῖον, & κεφαλὴν γονίας, imum lapidem angularem vertit? eadem enim vis est in vtroq; secundum scripturam, tu igitur summa in ima vertis, & quæ recte sunt sursum, deorsum bellus architectus collocas. Decepit te consuetudo terreni ædificij, omnis namque ædificatio, cuncta ædificia Ciuitatum, vel domorum, quæcunq; in hoc mundo sunt, lapidẽ fundamenti habent deorsum infimũ, & parietem sursum; hæc autem ædificatio, vel ciuitas quæ Ioanni in spiritu ostensa est apoc. 21. fundamentum habet sursum altissimum, vnde pendet omnis structura parietum, omnis spes, & amor populorum fidelium, tam Iudæorum, qui priores fuerunt, quam Gentiliũ, qui posterius ædificati sunt. hæc Rupertus Abbas auctor in scripturis sanctis eruditissimus in Comment. Apoc. c. 21. explanans illud, & sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, hunc interpretatur Christum, super quem, inquit, ædificata est Ecclesia, & ciuitas dei; & Esai. c. 28. ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem summum angularem, preciosum in fundamento fundatum. Summum dixit, sicut Apocalypsis altum, id intelligas Antoni fundamentum, quod est Christus, non esse imum instar terreni fundamenti, sed summum, & altum, non substratum alijs fundamentis; sed cui alia substernuntur. Sed cur non aspexisti in locum Pauli eiusdem epist. ad Ephes. c. 4. qui tuam falsam, & absurdã interpretationem redarguit? Sic enim ait, vt crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusq; membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Si Christus est caput, & quod ex eo compactũ, & connexũ est, corpus eius, q; est Ecclesia; corpus igitur visibile est Ecclesia: & si totum est, igitur & caput habet visibile; quomodo enim est totum corpus, & visibile corpus, si deest ei caput, & visibile caput? vidisti ne vnquã, an somniasti potius corpus totum, id est, integrum sine capite? in analogia illa corporis humani & mystici, quod est Ecclesia, quæ corpus Christi est, quid agit illa pars corporis, quæ caput est, si tota Ecclesia caput visibile non habet? an non est otiosa, & superuacua? aut potes dicere referri per

Quomodo locus Epist. ad Ephes. c. 4. falsã interpretationem Antonij redarguit, cum interpretatus est, lapidem imum augularem.

Quomodo totũ Corpus quod Paulus dicit connexum esse ex capite Christo, necesse ẽ esse visibile; & quia totũ, id est, integrum est, necesse itẽ est, vt caput habeat visibile.

ri per análogiam ad caput, quod eſt Chriſtus? at contra dicit tibi Apoſtolus. Vide enim quid dicat, non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua nõ indigeo; aut iterũ caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. Eſt ne tale caput Chriſtus, vt re aliqua indigeat? aut ſunt ne illi pedes noſtri neceſſarij? quo confugies Antoni. Non vides te vndiq; obſeſſum? & ex omni parte premi? tenta reſponſionem, vt magis ac magis te reſpondendo coarguas, & in nouas abſurditates te reuoluas; ac nouis monſtris implices. Sed redeo ad locum propoſitum, ſi totum corpus compactum & connexum eſt ex capite Chriſto, & totum corpus non eſt ſine capite, eſt igitur in toto corpore caput ſub illo capite Chriſto; caput igitur viſibile ſubſternitur, vt verbo tuo vtar, capiti Chriſto, tanquam inferius ſuperiori. Quid igitur monſtri dicis, cũ ais de illis omnibus, Chriſtũ ſubſtrauit? reſpondebis fortaſſis vt ſapiens architectus & bellus cæmentarius, non ſubſtrauiſſe Paulũ Chriſtũ caput, ſed Chriſtũ lapidẽ angularẽ? an aliud eſt, aut alio modo ſitus, Chriſtus caput, & Chriſtus ſummus lapis angularis, id eſt, caput anguli? minime; cur igitur ſi ſcriptura dicit factum eſſe Chriſtũ in ædificatione Eccleſiæ caput anguli, factus corrector ſcripturæ, dicis factum eſſe imũ lapidem angularẽ? an quod imum eſt, caput eſt? at Petrus non eſt ſecundum ſcripturam caput anguli in ædificio Eccleſiæ; ſed caput, ſuper quod tanquam ſuper petram virtute illius lapidis angularis, id eſt, capitis anguli ſurgit ædificium, & fabrica Eccleſiæ, quæ ſub eo eſt. Dic architectis caput anguli nõ eſſe ſummũ angulũ, ſed imum, & excitabis illis riſum. Deinde interpretationem ſuam exaggerans Antonius, Quis ergo, *inquit,* non miretur Turrianum in Eccleſiæ ædificatione cõſideranda fuiſſe ipſo Paulo perſpicaciorem? ecquos enim oculos habuit Paulus (ſi quidem vera eſt Turriani ſententia) qui Petrum, ſuper quẽ ædificata eſt Eccleſia, non perſpexerit? tantum lapidem atque inter reliquos adeo præeminentem non animaduerterit? deniq; Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, quod Turrianus toties inculcat, eſſe viſibile, non viderit? immo ne Petrum quidem nominauerit? *falleris Antoni, & alios fallis, Paulus enim Petrum, ſuper*

Quomodo caput quod Apoſtolus in illa ſua corporis humani analogia poſuit. 1. Cor. c. 12. non poteſt ad caput Chriſti referri vllo modo.

Antonius vndiq; obſeſſus, vt exitum reperire non poſſit.

Quale ſit, quod ait Antõius, Chriſtum ſubſtrauit illis omnibus.

Quomodo Antonius Chriſtũ, quẽ ſcriptura vocat Caput anguli, contra ſcripturã vocet imum angularem lapidẽ, faciẽs imum eſſe quod ſummum & caput eſt; & caput anguli ideſt, ſummum angulum mutans in infimum angulum.

“
“
“
“

Quomodo falſum ſit, quod Antonius ait, Pau

Iam nõ agnouisse aliquid singularis excellentiæ in Petro.

quẽ ædificata est ecclesia, nisi perspexisset, et tantũ lapidem atq; inter reliquos adeo prominentẽ, nisi animaduertisset, & deniq; nisi ecclesiæ catholicæ fundamentũ eũ agnouisset, non erat, cur diceret se ascẽdisse Hierosolymã, vt Petrũ tantũ viseret; & iure iurando affirmaret, neminẽ alium vidisse, & cũ eo dieb. xv. mansisse. Nolo repetere hic, q̃ antea de hac re, & de verbo ἱστορῆσαι, quo vsus est, dixi. Falsũ igitur est, q̃ ais, imo ne Petrũ quidem nominauit; imo nominauit & quidẽ eo verbo vsus, s. ἱστορῆσαι, quod insigne aliquid & singulare, atq; cæteros excellens significabat. Ad illud verò, quòd ais nos Iesuitas, omnesq; Pontificios humanis commentis ecclesiã quasi adhibita machina labefactare, nihil hic respõdendũ est, donec dicas, quibus commentis labefactamus, cũ dixeris, responsũ feres, vnde omnes intelligant, vtri labefactent ecclesiã, vos protestãtes Lutheri discipuli, an nos catholici, quorũ fides à nullo homine nomen accepit, vt vestra accepit à Luthero. Vnde Lutherani, protestãtes, confessionistæ vocamini. Pergis deinde, Proferamus etiam, quod ait » Ioannes Apoc. 22. vbi ędificatam ecclesiã describens pro» posita vrbis similitudine, murus, inqt, vrbis habebat fun» damenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina » apostolorũ agni. Hic etiã nihil κατ' ἐξοχὴν de Petro dictum » est; sed omnes Apostoli æquo iure censentur. Non te pudet argumentationis tuæ? credo certè pudere academiã tuam. Sic enim argumẽtaris; nihil dixit Ioannes hic de Petro κατ' ἐξοχὴν, i. secundũ excellentiã, ergo nihil excellens fuit in Petro. Sume prius, & proba, dixisse hic Ioannem non solùm, quod omniũ apostolorum cõmune fuit, sed τὸ καθ' ἕκαστον ἰδιάζον, id est, quod cuius q̃ propriũ: Et cum hoc probaueris nihil de proprijs cuius q̃ eorũ prætermittens, tunc concludes rationem tuam. Tu alios ex arte disputare doces, & ipse mendosè, & fallaciter semper disputas? nõ vides quemadmodum in quo alium iudicas, sicut Apost. de alijs dixit, te ipsum condemnas? disce igitur bone Antoni, cõmune fuisse omnium apostolorũ esse eos fundamẽta Ecclesiæ Christi, quatenus omnes in prædicatione verbi Christum posuerunt fundamentum, sicut Paulus dixit de se, tanquã sapiens architectus fundamentum posui; hoc enim ipsum in xij apo-

Qualis sit disputatio Antonij, semper ex falsis, & captiosis.

Quę fuerint communia omniũ apostolorum & quomodo.

stolos

stolos competit, sicut esse totidem portas ad audiendum, & credendum, & intrãdum in Ecclesiam per verbum eorũ, & totidem angulos ad coniungendum vna fide populos, sicut paulò ante dixit idem Ioannes, & habebat murum magnum & altum, habentem duodecim portas, & in portis angulos xij. communia, inquã, fuerunt hæc apostolorum per participationem illius veri & singularis fundamenti, præter quod nemo potest aliud ponere, & illius portæ, siue ostij, qui dixit, ego sum ostium ouiũ, & quæ sequuntur, & illius lapidis angularis, in quo crescit omnis ædificatio. Commune etiã eorum fuit, esse montes, sicut est in Psalm. Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Syon, de sanctis apostolis propheticè dictũ, commune item fuit esse apostolos, esse pastores, esse episcopos per participationem scilicet illius montis præparati secundum prophetiam Esaiæ, in vertice montium, & illius apostoli & pontificis confessionis nostræ Iesu, & episcopi animarum nostrarum, & principis pastorum. Quid autem prohibet, quin vnum ex istis fundamentis fuerit petra, super quam Christus Ecclesiam suam ædificauit, id est, Petrus? an necesse erat, vt hoc diceret Ioannes in Apocalypsi sua; vt si non dixerit, sequatur non esse? Disce bone Antoni ex magno Basilio, qui in commentarijs suis eruditissimis in Esa. cap. 2. explanans illum locum, quia erit in nouissimis diebus manifestus mons Domini, & domus Dei in summitatibus montium; sic enim est apud LXX. & domus Domini, inquit, in summis montium, Ecclesia est, vt dixit Apostolus, vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuentis, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis. Ædificata enim est super fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum. Deinde subiungit, ἐν τῷ ὀρέων ἦν καὶ πέτρος, ὃς καὶ πέτρα ὠνόμασται διὰ τὸ παγίως ἐνερριζῶσθαι τῇ πίστει, καὶ ἐρρῶς καὶ ἀνενδότως ἔχειν πρὸς τὰς ἐκ πειρασμῶν ἐπαγομένας πληγὰς, ἐφ' ἧς καὶ πέτρας ἐπηγγείλατο ὁ κύριος οἰκοδομῆσαι αὐτοῦ τὴν ἐκκλησίαν, *id est, vnus ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellauit propter firmitatem maximam fidei, propter infractum robur animi ad non cedendum inflictis plagis tentationum, super quam petram promisit ædificare Ecclesiam suam. Hactenus Magnus Basilius. similiter dicendum est de loco*

Loc. Esaiæ, erit in nouissimis diebus manifestus, mõs domini, &c.

Cur apostoli dicti mõtes, & quomodo ex his montib, vnus fuit petra super quam ędificata est Ecclesia, qui est Petrus, ex Basilio.

Apoca-

Apocalypsis, vnum ex his fundamentis fuit Petrus, quem dominus petram etiam vocauit, & super eam Ecclesiam suam ædificauit. Es ne tu magno Basilio magis in scripturis sanctis exercitatus, aut eruditus? li putas omnia, quæ de fundamentis istis dici poterant, dixisse hic Ioannem euãgelistam in Apocalypsi, exclude à numero fundamentorum sanctos prophetas, qui de futura in nobis gratia, sicut beatus Petrus ait, prophetauerunt: quia Ioannes hic de eis non meminit; at Paulus apostolus cum Apostolis eos coniunxit, cum in epist. ad Ephes. scripsit, superædificati super fundamentum Apostolorum, & prophetarum. Prophetæ enim cum sanctis Apostolis consonantes, Christum posuerunt fundamentum suæ prophetiæ, & ipsi per participationem eius facti sunt fundamenta Ecclesiæ; sicut Apostoli cum prophetis item consonãtes facti etiam sunt fundamenta. Quia vero quæris vbi aliquid in scripturis de Petro dictum sit κατ' ἐξοχὴν id est, secundum excellentiam, obseruemus nunc non omnes locos, id enim longum est, & non necessariũ, sed aliquos, qui magis in promptu sunt. In Euangelio Marci postquã surrexit dominus, dixit angelus mulieribus ingressis in monumentum, Iesum quæritis Nazarenũ crucifixũ: surrexit, non est hic; ecce locus, vbi posuerunt eum; sed ite dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Si noluit angelus aliquid κατ' ἐξοχὴν in Petro notare, quare eũ seperatim nominauit? non ignoro, quid hic cauillari possis, si cauillationem qualemcunque venaris. in epist. ad Corin. priore, tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas; & quia sepultus est; & quia resurrexit tertia die secũdũ scripturas; & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim. An non videtur tibi, si quid ingenij habes, scriptum esse hoc de Petro κατ' ἐξοχὴν, & non abscure etiam significatum à Paulo, cum hic eum vocat Cepham, id est Petrum, nomine à petra impositio, quod ipse esset, super quem Ecclesiam suam dominus, sicut promisit, ædificasset? immo ipse idem Paulus magis ad huc quod dico confirmat, cum enumeratis omnibus quibus apparuit dominus post resurrectionem, nouissimò autem omnium, inquit, tanquam abortiuo visus est & mihi, Ego enim sum minimus Apostolorum.

Secundum Antonij theologiam excludendi sunt à numero fundamẽtorum prophetæ, quia non annumerauit eos Ioannes in apocalypsi. Quòd prophetæ cum Apostolis consonãtes Christũ posuerunt fundamentum suæ prophetiæ.

Quibus in locis, quod Antonius quærit, scriptum sit aliquid κατ' ἐξοχὴν de Petro, id est dictũ secundum præstãtiam; & excellentiam Petri.

rũ. Si igitur apparuisse sibi nouissime omniũ, ita Paulus interpretatur, vt dicat tanquã abortiuo; cur non existimabimus, cũ scripsit apparuisse Dominum Cephæ prius, & postea vndecim, significasse, apparuisse illi prius κατ' ἐξοχὴν, id est, tanquam principi, & capiti Apostolorum? Deinde, si neges scriptum esse in epistola ad Galatas de Petro κατ' ἐξοχὴν illud, deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim, coarguet mendacium, & inscitiam tuam verbum Græcum ἱστορῆσαι. Sed de hoc loco dixi supra copiosius, inde petes reliqua. Et illud in actis Apost. quod antea quoque obseruatum est, an nõ scriptum de Petro κατ' ἐξοχὴν? viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere, fuisse Petrum os, & linguam omnium Apostolorum? dices tu, aut vllus sanæ mentis, non declarare ἐξοχὴν Petri? postremo, præcipere Petro, vt aliquando conuersus firmaret fratres suos, quis, nisi communi sensu careat, non videt declarare aliquid in Petro κατ' ἐξοχὴν? præsertim cum illud verbum στηρίζειν id est firmare, tam appositum sit ad petram illam, super quam promisit dominus ædificare Ecclesiam suam, id est, super Petrum, cui præcebit firmare fratres tanquam pastori eorum. Pastoris enim est quod infirmum in ouibus est, ἐνισχύειν, id est, roborare, vt est apud Ezech. c. 34. Postremo, quod spiritus S. Marco Euangelistæ discipulo Petri, & Lucæ discipulo Pauli reseruauit ad scribendum, non videtur tibi significare ἐξοχὴν id est, excellentiam, siue præstantiam in aliquo Apostolo futuram, id est, in Petro? illud dico, quod dominus dixit contendentibus Apostolis, quis eorum videretur esse maior, Reges gentium dominantur eorum, vos autem nõ sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; in eandem sententiam scripsit Marcus, quicunq; voluerit fieri maior, erit vester minister; & quicunq; voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Si nemo in Apostolis futur⁹ erat maior, neq; habiturus ἐξοχὴν, & id prohibere volebat, non debuit dominus sic dicere, sed potius prohibere, ne quis esset, aut haberetur maior, & primus. At non hoc prohibuit, sed modum in ἐξοχῇ tenendum docuit. An non videtur

Clarissima significatio ἐξοχῆς Petri, id est, præstantiæ eius ratione præfecturæ futuræ.

detur tibi minister esse omnium, qui omnium Ecclesiarum solicitudinem habet? sicut Apost. in epist. ad Rom. scripsit, qui præest, in solicitudine. Illa. n. Pauli, in epist. 2. ad Cor. solicitudo omnium Ecclesiarum tanquam Apostolo conueniebat illi, non tanquã primo & ἀρχὴν habenti, non inquã tanquam qui omnibus præesset: nõ enim super Paulum, sed super Petrum Ecclesiam suam ædificauit dominus. Hac autem solicitudine non fuit liberatus Petrus propter præfecturam Ecclesiæ, immo magis ea pressus. Illud etiam mirifice conuenit cum hoc præcepto domini, ne, qui maior esset in Apostolis, (sic enim scripsit Lucas) reges gentium & eorum dominatũ imitaretur, illud dico quod Petrus in Epist. sua priore præcepit omnibus episcopis, & pastoribus, non sic pascere, vt dominãtes in cleris, sed forma gregis factos ex animo. An fieri exemplũ & formam subditis ad obediendum in domino, non est veluti fieri ministrum subditorum? Sed hic vos Protestantes statim maleuolè, & inuidiosè tyrannidem Pontifici obijcitis, nec vlli vnquã parcitis, & illud exprobratis, quasi in Pontifices conueniat, reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Ecquæ maior tyrannis cogitari potest, quàm dominari fidei? quod crimen Apostolus à se depulit in epist. 2. ad Cor. c. 1. ille, ille fuit tyrannus, qui fidei vestræ dominatus est: qui à fide Catholica, & orthodoxa maiorum vestrorum vos abstraxit, Lutherum dico tyrannum & homicidam, Pontifex verò Romanus in ea fide retinet, & conseruat omnes Ecclesias Catholicorum, quam ab initio Ecclesiæ omnes audierunt.

Quomodo nulla maior tyrannis excogitari potest quã fidei, & quòd tyrãnus fidei fuit Lutherus qui fidei Protestantium dominatus est.

Sed prosequamur reliqua.

CAP.

CAPVT XII.

Explicatio', quid sit ædificatam esse Ecclesiam super Petrum, quod Antonius ignorat, & quomodo nos non super Petrum, sed super Christum ædificamus, & de comparatione regni temporalis cũ regno spirituali. Et de loco Pauli, ne super alienum fundamentum ædificaret, quid vocet alienum fundamentum. Quomodo cum Paulus dixit, vos ædificatio Dei estis, exposuit quod Christus dixit de ædificanda Ecclesia super Petrum, quod Antonius cõcedit, & se nesciens redarguit. Quomodo redarguitur Antonius in eo, quod dicit falsum esse, positum esse à Christo Petrum fundamentum ministeriale Ecclesiæ, & quæ Antonius miscat, & turbet, non intelligens quæ loquitur. Responsio ad id, quod Antonius obiecit ad negandũ successores Petri, nullam mentionem factam esse in loco Matthæi de successore, sed Petrum tantum nominatum esse in ædificatione Ecclesiæ. Et quid de tabulis, quas exhiberi postulat, responsum sit. Et de traditione Apostolica scripturarum interprete fideli. Item de successione ministr orum falsi nominis, quam Lutherani ponunt, quomodo conuincat, successionem pontificum concedendam esse.

QVid verò dices Paulo, cum sanctè gloriatur, se nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis; ac ne Petro quidem? Quid? quod testatur se plerisq; in locis ita prędicasse Euangelium, vt super alienum fundamentum nõ ædificaretur. de fundamẽto ministeriali, (quemadmodum dicere soletis) Apostolum loqui manifestũ est: qui fit ergo, vt obliuiscatur se super Petri ministeriale fundamentum ædificasse? rursus idem ait, Corinthios esse dei ædificationem, (atq; ita exponit quod ait Christus, se Ecclesiam ædificaturum) & nihilominus affirmat se fundamentum illius Ecclesiæ iecisse, ex quibus efficitur, Petrum non posse dici fundamentum ministeriale Ecclesiæ vniuersæ'. *Tu es vnus ex illis, quos Apostolus in Epist. ad Tim. scripsit conuersos esse in vaniloquium, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quib⁹ affirmant. Dixi iterũ & dicendum est sæpius, nõ intelligere te, quid sit ædificatã esse Ecclesiam super Petrum, alioqui non obijceres ista, quæ Petri, & successoris ei⁹ primatũ non lædunt, neq; attingũt. Nos. n. Antoni, nõ ædificamus*

Quomodo Antonius Sadeel non intelligit quid sit ædificatã esse Ecclesiam super Petrũ.

camus Ecclesiam super Petrum, nec Apostoli super Petrum Ecclesias ædificabant, sed super Christum nos & illi. Christus solus est, qui super Petrum Ecclesiam ædificauit, vt se ædificaturum promiserat, quod nihil aliud est, quàm fecisse, vt exordium vnitatis Ecclesiæ esset Petrus caput eius, & ipse cathedram teneret, in qua nemo sederet, qui non esset hæres fidei eius nunquam deficientis in cathedra, & successore, qui esset norma, & regula, ac firmamentum fidei orthodoxæ omnium fidelium, vt omnes, sicut Apost. ait, id ipsum dicerent, & non essent schismata in eis, sed essent perfecti eodẽ sensu, & eadẽ sententia. Nõ enim aliter poterat cõstitui spirituale regnũ Christi de semine Dauid, in quod fuit translatũ regnũ Dauid terrenũ, nisi esset monarchia cui vnus monarcha ab eodẽ Christo præficeretur, qui est Petrus, & successor eius; nec aliter poterat fieri, quod dominus dixit in Euangelio suo, erit vnum ouile, & vnus pastor. Pastor enim est fundamentum, & firmamentũ oulis. Quare vnius Ecclesiæ, quæ est vnũ ouile ouium rationalium, vnum fundamentum visibile & caput ac pastor, est sub fundamento, & capite, ac principe pastorum Christo. Itaq; vt lex humana regnum temporale super regem ædificauit, & ædificat; sic Lex Euangelica diuina, regnum spirituale, quod est Ecclesia Dei, Christi de semine Dauid hæreditas, illi à Deo patre promissa, super eum, qui ei præest, id est, super Petrum, & successorem eius ædificauit. Hoc interest inter regnum temporale, & spirtuale Ecclesiæ Catholicæ, quòd illud mutabile est, & fieri potest, & assolet, vt in αὐτονομίαμ, & ἀναρχίαμ commutetur; id est, vt sublato rege suis legibus viuant, sicut scriptum est de anarchia in extrema pagina libri Iudicum, in diebus illis, inquit, non erat rex in Israel, sed vnusquisq; quòd sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Spirituale verò regnum semper vsq; ad consummationẽ sæculi ædificatum erit super Petrum, & successorem eius, qui ei præsit, & sit exordium vnitatis fidei, et Ecclesiæ. Respondeamus igitur ad omnia,

Quid sit ædificatã esse Ecclesiam super Petrũ, & quare sit super eum ædificata.

De ædificatione regni terreni, siue temporalis, & regni spiritualis.

Quid inter regnum spirituale, & temporale interfit.

" *quæ obiecisti.* Quid verò dices Paulo, cùm sanctè gloria-
" tur, se nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis, ac ne
" Petro quidem? *Commentum est hoc tuum, Antoni. Non enim*

dicit

dicit in Epistola. 2. ad Cor. ca. XI. quod tu fingis, se nihilo inferiorẽ fuisse summis Apostolis, ac ne Petro quidem: hoc tu mendacium scripturæ sanctæ affingere voluisti, non metuens minas propositas ijs, qui scripturæ S. aliquid adiungunt, aut detrahunt. Vt igitur contra pseudoapostolos prædicationi suæ auctoritatem cõciliaret, existimo, inquit, nihil me minus feciisse à magnis Apostolis; nam & si imperitus sermone, sed non scientia. de scientia igitur Euangelij reuelati sibi à Christo & de veritate prædicationis loquitur, in qua nihil ei contulerunt apostoli, sicut in Epist. ad Gal. scripsit. in hac autem non fuisse inferiorem, sed æqualem, non tollit Petri ἐξοχὴν, quã tu quæris & nos ostendimus; nec ei repugnat, quod hic dicit, immo prorsus alienum est. *Quod verò ait Apost. in epist. ad Rom. sic prædicasse Euangelium, vbi non nominatus esset Christus, ne super alienum fundamentum ædificaret; alienũ fundamentum vocat doctrinam Apostolorum, (id est, doctrinam Christi ab apostolis perceptam, & prædicatam) non autem, vt tu dicis, fundamentum ministeriale: fundamentum enim Ecclesiæ ministeriale, fundamentum ministrans est, qui est Petrus caput Ecclesiæ, super quẽ ædificata est, & ædificatur à Christo Ecclesia; doctrina autem Apostolorum non est fundamentum Ecclesiæ ministeriale, de quo loquimur: doctrina enim Apostolorum nõ ministrat, sed ministratur. Ne autem meam interpretationem esse putes, cum dico fundamentum non significare hic fundamentum ministeriale, vt tu falsõ putas, sed doctrinam Apostolorum, quæ erat doctrina Christi ab apostolis percepta, audi Theophylactum; sic enim ait,* ἀλλότριον θεμέλιον τὴν διδασκαλίαν τῶν ἀποστόλων φησὶ, *id est, doctrinã Apostolorum alienum fundamentum vocat, nõ quia alieni essent, inquit; neq; quia prædicarent alia, sed quia alia ratio, & modus apostolis erat prædicandi Euangelium, alia Paulo, cuius merces erat, vt ipse in Epist. priore ad Cor. c. 9. ait, vt Euangelium prædicans sine sumptu poneret; quia hoc ei expediebat, quod alij apostoli non faciebant.* Qui fit ergo, *inquis,* vt obliuiscatur se super Petri ministeriale fundamentum ædificasse? *dixi antea, neq; Paulum, nec vllum Apostolum alium, neq; nos Ecclesiam*

Quomodo Antonius mendacium suum affingere voluit scripturæ sanctæ.

Quid vocetur alienum fundamentum in epist. ad Rom.

Quid sit ædificatã esse Ecclesiã super fundamentũ ministeriale Petri, & quorsum spectet huiusmodi ædificatio.

ædificare super Petrum, sed super Christum: super Petri autem ministeriale fundamentum ædificasse Christum Ecclesiam suam, quod nihil aliud est, quàm præfecisse corpori suo mystico, quod est Ecclesia, & regno suo spirituali Petrum, præfecisse, inquam, vnitati fidei, & Ecclesiæ vnũ caput, vt per omnes omniũ Ecclesiarũ episcopos Catholicos, ad vnam beati Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluere, & nihil vsquam à suo capite dissideret, sicut Iulius primus ad Orientales episcopos scripsit. Rursus, quod ais, Paulum, cum dixit Corinthios esse Dei ædificationẽ, exposuisse, quod dixit Christus se Ecclesiam ædificaturum, prophetasti non intelligens, quid diceres;

Quomodo prophetauit Antonius non intelligens quid diceret.

Christus enim dixit ædificaturum se Ecclesiam non super se, aut super fidem, & doctrinam, quam ipse tradebat; quis enim hoc dubitabat? omnes Apostoli erant iam certi de illo vnico, & singulari fundamento αὐτοδυνάμῳ, id est, virtutis propriæ diuinæ, quod ore Petri testati sunt; cum Petrus tanquã os omnium, qui erat futurus eorum caput secundum Christi promissionem, illam admirabilem fidei confessionem edidit. Quid igitur opus erat dicere illis, super me, qui omnia possum, qui filius Dei viui sum, ædificabo Ecclesiam meam? id est, ego ero Ecclesiæ meæ caput. an

De quo fundamento Ecclesiæ necesse erat vt Christus Apostolos doceret, de se, an de alio?

sine illo capite Ecclesia stare poterat? nõ hoc erat, quod illos docuit tũc; neq; de quo eos certos fecit, neq; quod illis promisit, quod nec opus erat, sed de eo Apostolo, qui post Christi in cælos ascensum futurus esset Ecclesiæ eorum caput, & vnitati illius fidei, quam confessi erant, præficiendus, vt id ipsum dicerent omnes, & non essent schismata, & hæreses. Hoc enim, inquit beatus Cyprianus sanctiss. simus, & eruditiss. in libro de vnitate Ecclesiæ, eò fit, fratres charissi. dum ad veritatis originẽ non reditur, neq; caput q̃ritur, neq; magistri cælestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo atq; argumẽtis opus nõ est. Probatio est ad fidẽ facilis cõpendio veritatis, loquitur dominus ad Petrũ, ego tibi dico, inquit, quia tu es Petr⁹, & super istã petrã ædificabo Ecclesiã meã, & tibi dabo claues regni cælorũ, & idẽ post resurrectionẽ suã dicit, pasce oues meas; & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionẽ suam parem potestatẽ tribuat, & dicat, sicut misit me pater,

Vnde ortus schismatũ & hæresum, auctore Cypriano.

& ego

& ego mitto vos, accipite spiritum S. si cui remiseritis peccata, remittuntur illi; si cui tenueritis, tenebuntur; tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna mõstretur. Hactenus Cyprianus, cuius spiritui qui in eo hæc locutus est, & scripsit hæc, omnes phalanges Protestantium resistere non possunt: hunc solum nunc tibi oppono, quia hunc vos non intelligentes, veritati opponere soletis; de quo plura loco suo, cum tibi de eo respondebimus. Nunc satis sit, vt intelligas, Protestantes, quorum confessionem defendis, non pertinere ad vnam Ecclesiam, quã diu ab vno disiuncti, & distracti estis, id est, à Petro, quẽ dominus auctoritate sua disposuit, vt exordiũ, et origo vnitatis Ecclesiæ ab eo inciperet. Vt igitur redeam ad id, quod dixisti, cũ ait Paulus, Corinthios esse dei ædificationẽ; exposuit quidẽ quod Christus dixit, ædificaturũ se, Ecclesiã scilicet, super vnũ, qui esset exordiũ, & origo vnitatis Ecclesiæ, alioqui Ecclesia nõ esset vna, vt iã qui super hoc exordiũ, & fundamentũ vnitatis à Christo sub se positum, non sint ædificati, non sint, nec esse possint ædificatio dei; donec redeãt, vnde auulsi, & abstracti sunt ab illo homicida & primogenito Satanæ Luthero. Ex quibus, *inquis*, omnib⁹ efficitur, Petrũ nõ posse dici fundamẽtũ ministeriale Ecclesiæ. *Illa ex quibus hoc effici dicis, docui iã partim falsa esse, partim vera, sed q̃ te conuincũt falsũ concludere. Refelle illa, si potes, & audes, quo magis insipientia tua omnib⁹ patefiat. Videamus q̃ sequuntur in libro tuo omniũ nugarũ euerticulo.* Sed cur diutius (*inquis*) de hac re disputo? expẽdamus ipsũ ministerij vocabulũ, & facile patebit τὸ ψεῦδος Turrianicę propositionis. *Puduit te mendaciũ latinè dicere, ne oẽs intelligerent, si ego rursus mendaciũ tuũ redarguerẽ. Turrianica propositio est, Petrũ esse positũ à Christo fundamentũ ministeriale ædificatiõis Ecclesiæ, hoc tu falsũ esse probas: qa natura, (inquis) nõ patitur, vt idẽ sit ministerę ædificationis, & fundamẽtũ; ne opus cũ opifice cõfundatur; at Petr⁹ fuit*

Quomodo dominus auctoritate sua disposuit, vt origo vnitatis ecclesiæ ab vno Petro inciperet, igitur originẽ vnitatis nõ tenent, qui ab eo recesserunt.

Qui sint ædificatio dei ij scilicet, qui super fundamentũ vnitatis Ecclesiæ, q̃ est Petrus, ædificati sunt secundum Euangelium, vt qui nõ sint sic ędificati, nec ædificatio dei sint, Paulo interprete, & auctore.

„ fuit vnus ex architectis Ecclesiæ catholicæ, non potest i-
„ gitur esse ipsius fundamẽtum ea ratione, qua fuit archi-
„ tectus, id est, minister: vnde consectarium est, ipsum nõ
„ posse dici ministeriale fundamentum Ecclesiæ vniuersę;
„ quia fundamentum, & fundator, opus, & artifex non
„ possunt de vno eodemque dici, nisi forte isti transsubstã-
„ tiatores noua quadam μεταμορφώσει architectum domus
„ in ipsius ædificij fundamentum conuertant. *Nec hic intelligis, quod loqueris, & de quo affirmas. Esse enim Petrum fundamentum ædificationis Ecclesiæ, & esse ministrum Christi, super cuius ministerium ædificat Christus Ecclesiam suam. Quid enim est (inquit) Apollo, quid Paulus? addamus nos, quid verò Petrus? ministri eius, cui credidistis, & vnicuiq; sicut Dominus dedit. Cum igitur Petrus secundum charisma ei datum sic sit minister Christi in ædificatione Ecclesiæ, vt super eum Ecclesiam ædificaue-*

Quomodo minister ædificationis Ecclesiæ, & fundamentum ministeriale ædificationis Ecclesiæ, idem sunt subiecto, & ratione.

rit, sit q; hac ratione eius fundamentum, sequitur, vt minister ædificationis, & fundamentum ministeriale ædificationis idem sint, sicut tunica, & vestimentum; quæ idem sunt subiecto, & ratione, vt tuus Aristot. libro 3. Physicorum tradit. Tu verò cum dicis, neq; enim natura patitur, vt idem sit minister ædificationis, & fundamentum, ne opus cum opifice confundatur; & fundamentum & fundator, opus & artifex non possunt
„ de vno eodemque dici, *putas à nobis coniungi, quæ sunt separanda; & separari, quæ sunt iungenda. Sed erras; fundator enim hic Christus est, non Petrus; vt tu falso putas, & huiusmodi fundamentum ministeriale Petrus est, non Christus. Hæc non possunt de vno eodemq; dici; neq; nos de vno, eodemq; dicimus. Christus enim est fundator Ecclesiæ suæ super Petrum fundamentum eius, hæc duo separanda sunt, fundator & fundamentum. Illa verò, minister ædificationis Ecclesiæ, & fundamentum ministeriale ædificationis Ecclesiæ, dixi iam idem esse re, & ratione, sicut indumentum & tunica: quæ non sunt separanda, sed iungenda in vnũ. Petrus autem fuit quidem vnus ex architectis Ecclesiæ, vt dicis, sed nõ architectabatur Ecclesias super se fundamentũ Ecclesiæ, sed*

super

super Christum. non enim se fundamentum prædicationis posuit. sed Christum, sicut Paulus de se ait. Ipsum verò Petrum non homo, sed Christus Iesus fundamentũ Ecclesiæ suæ posuit, vt sæpe explicatum est &c. Sed tu omnia confundis, omnia turbas, & misces, dũ nõ intelligis neq; quæ loqueris, neq; de quibus affirmas; quod sæpissimè mihi in te vsurpandũ est, quia frequẽtissime vnum ex illis, quos Apostolus his verbis notauit, te esse profiteris. Transis deinde ad alia, Sed iã, *inquis,* audiamus, quàm feliciter in hoc Matthæi loco Turrianus versetur: ædificabo, inquit, id est, perpetuo ædificabo secundum idioma scripturæ. Primum hoc erat apertius declarandũ. Nec enim perpetuò ædificanda est Ecclesia, cuius absolutissimum fastigium aliquando expectamus. Sed si hoc refert ad Ecclesiam peregrinantem in terris, (vti necesse est) sequetur profecto Ecclesiam non ædificari super Petrum tãquam ministeriale fundamentum, quia cum Petrus non potuerit esse perpetuo in terris, eius quoque ministerium non potuit esse perpetuum: at Christus dixit ædificabo, id est, exponente Turriano, semper ædificabo Ecclesiam super hanc Petram. Quo fit, vt hæc petra Petrus esse non possit. *Fiat ita, vt vis; videamus, quàm feliciter in hoc Matthæi loco Turrianus versetur; & quàm rursus infeliciter, & miserè Antonius Sadeel. Scripsi libro priore contra Capita lypsicæ disputationis Andreæ Freyhubij commilitonis tui p.* 13. *significare in hoc Matthæi loco verbum illud ædificabo perpetuitatem secundum idioma scripturæ sanctæ; semper enim & perpetuo (scilicet vsq; ad consummationem sæculi) Ecclesiam suam Deus super hoc fundamentum Apostolicæ petræ ædificabit; nam in Christo ipso summo angulari lapide per ministeriũ huius petræ omnis ædificatio cõstructa crescit, & augumentum corporis facit. Sic Dominus Iesus secundum humanitatẽ suam vsq; ad consummationem sæculi regnat in terris (scilicet regnum spirituale) in vicario suo, super quem Ecclesiam suã ædificaturũ esse promisit. Deinde dixi de hoc regno à Christo ex semine Dauid de cælo in terris per Põtificẽ regnando, & à terra*

Quomodo Antonius omnia confundit, & miscet, quia non intelligit, quæ loquiiur, vt plane demonstratur.

Quæ ex libro meo, cui Antonius respondet, dissimulauerit, & nihil respondet

in cælum in sempiternum transferendo, dixisse angelum virgini, & dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Si quidem de hoc ipso regno Dauid, quod Deus filio suo dedit in terris de cælo, scilicet in vicario suo super quem Ecclesiam suam ædificauit, regnandum, similiter dixit scriptura, & firmabo regnum eius, & stabiliam thronum eius vsq; in sempiternum; & rursus, domus serui tui Dauid erit stabilita coram domino. Deinde adiunxi, interrogemus ergo Andream doctorem Theologum, quodnam regnum Dauid firmauit Christus hactenus, & vsq; ad consummationem sæculi firmaturus est? aut quam domum Dauid, sicut promisit, in terra ædificauit? nihil tu hic pro Andrea respondisti; quid postea respondeas, loco suo videbimus, quod hic dixi de verbo futuri temporis ædificabo, cum illis firmabo, & stabiliam in promissione regni facta Dauid collato, quia non inueneristi quomodo aliter eludere, conatus es ridicule redarguere me, id est, ex ijs quæ sūpsi, me conuincere: & ad ἀντίφασιν compellere. Sed videamus de argumentatione tua, Sic enim ais, Sed si hoc (scilicet perpetuo ædificabo) ad Ecclesiam peregrinantem in terris refert, (vti necesse est) sequitur profecto Ecclesiā non ædificari super Petrum tanquam ministeriale fundamentum; quia cum Petrus non potuerit esse perpetuo in terris, eius quoque ministerium non potuit esse perpetuum: at Christus dixit, ædificabo id est, exponente Turriano, semper ædificabo Ecclesiam super hanc petram, ergo hæc petra Petr⁹ esse non potest. *Ad hoc argumentū quid respondeam, Antonius dicit, respondit, inquit, (me dicit) non per se quidem esse Petrum perpetuo in terris, sed in successore suo, videlicet Romano Pontifice. Gratulor tibi Antoni, quod non ignoras, successores, & eū, cui succedunt, vnum dici; vnum siquidem dicuntur, quorum ratio, quæ substātiam explicat, eadem est, vt tuus Arist. lib. 5. primæ Philosophiæ tradit, & idem paulo post, quæcunq; non differunt inter se, quatenus non differunt, vnum esse inter se docet. Pontifices autem nec vt homines, nec vt pontifices à Petro, nec inter se differunt:*

Quomodo Antonius videatur nō ignorare, successores, & eum cui succedunt, vnum esse secundum Philosophiam.

vna

vna enim & eadem ratio Charismatis Pontificalis est. esse enim maiorem, aut minorem sanctitate, non facit quin vnum sint, ipso etiã tuo Aristotele auctore, Sic enim inquit, & quod auctum est, & minuitur, vnum est, quia ratio est vna: vt in planis vna speciei ratio; sic enim triangulus maior, & minor, si sunt vnius speciei, vnũ dicuntur. hæc igitur cum non ignorares, vidisti necesse esse tibi, negare successores Petri. Sed videamus quam rationem ad negandũ attulisti, quia, inquis, de successore Petri ne verbum quidẽ in loco Matthæi. Idcirco, ais, non argumentari me ex loco Matthæi, vbi nulla de successore mentio. Sed rursus videamus, quomodo probas, ne verbum quidẽ hic de successore Petri, quia Christus, inquis, Petrum nominatim compellans, ego tibi dico, tu es Petrus & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meã. Sic probas nihil dictũ esse in loco Matthæi de ædificãda Ecclesia super successorem Petri, quia Petrus tantum nominatus est, cũ dixit dominus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam. Sumis ergo ad probandum nullos esse Petri successores in ædificatiõe Ecclesiæ promissa, quod Christus super Petrum tantum, sine vlla de successore mentione se ædificaturũ promiserit. Hoc ipsum testatur anacephalæosis in extrema pagina libelli tui; sic enim ais, Petrũ verò (scilicet demonstrauimus) nullum ius in reliquos Apostolos habuisse, nullumq; in Ecclesia Catholica principatũ. Deinde adiũgis, & si habuisset, ad successorem transmittere non potuisset. Vtrumq; igitur sumus ad argumentandum, & ædificatã esse Ecclesiam super Petrum tantũ; & Petrum habuisse principatum in Ecclesia. antea etiã sumpsisti Ecclesiã non esse super Petrũ ædificatam, neq; Petrum habuisse principatũ in Ecclesia. Itaq; sicut qui se exercẽt, quasi in vtrãque partem contradictionis disseris, non quod verum putes esse & non esse; sed tanquam alter Heraclitus, non putas, dicis tamen idem esse & non esse, sic enim Aristoteles illum excusat; non enim, inquit, necesse est, quæ quispiã dicit, ea ita esse eũ existimare. Vtinã istæ tuæ Antoni in vtramq; partẽ disputationes id agerẽt, q̃ de suis sũmus Orator libro 4. Academicarũ quæstionũ eò spectasse dixit, vt dicẽdo, & audiẽdo elicerẽt, & tanquã exprimerẽt aliquid q̃ verũ esset:

Qua ratiõe neget Antonius successores Petri.

Quomodo probet Antonius nihil dictũ esse in loco Matthæi de ædificanda Ecclesia super successorẽ Petri.

Quomodo Antonius more eorũ, qui se exercent, in vtramq; partem contradictionis disputet.

De vsu disputandi in vtramque partem.

illud enim quod sequitur, aut ad id quã proxime accedere, inter nos nõ habet locum, qui diuinas literas, & earum magistros sanctos Apostolos à Christo institutos, & eruditos, qui ipsam veritatem loquuntur, & tradunt, sequimur. Non enim quærimus probabilia, sed necessaria. Redeamus igitur ad id, quod dicis, ne verbum quidem esse in loco Matthæi proposito de successore, de quo sic Antonio respondemus: nihil referre, vtrum verbum successoris ibi sit, an aliud verbum, in quo vis successoris insit: non enim de verbo agitur, sed de re: nec Euangelium in verbis, sed in sensu consistit: vt recte Hier. contra Luciferianos scribens dixit. age ergo, si ædificatam esse Ecclesiam super Petrum, quod tu sumis ad disputãdum, à prouidentia diuina profectum est, quod ipse, ne impius et sine deo in hoc mundo habearis, & numereris, scio, non negabis, quomodo annis vitæ Petri, illius ædificationis prouidentia terminanda erat? an sæculo Petri tantum, & Ecclesiæ eius consultum esse docuisset? quod si hoc ab ipsa dei prouidentia, & bonitate alienum est, cur nostris sæculis, & Ecclesiæ Catholicæ inuides? cur hoc ei denegas? deinde, cum Ecclesiæ, quam super Petrum, quem nominatim appellauit, ædificaturum se promisit, quod tu à me, ad argumentandum contra successorem Petri sumpsisti, vna magna domus sit, Ecclesia enim est domus Dei, sicut Apostolus ait, si ad prouidentiam Christi pertinuit, vt Ecclesijs particularibus particulares pastores tanquã patres familias præesset, similis enim est gubernatio Ecclesiæ, domesticæ gubernationi, quod satis admonuit Apostol⁹, cum ad Tim. scripsit, vt, qui esset Ecclesiæ præficiendus, esset domui suæ bene præpositus, filios habẽs (nõ dixit generãs, vt beatus Hier. obseruauit) subditos cũ omni castitate. Deinde subiũgit, si quis aũt domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ dei diligentiã habebit? si hoc, inquã, in particularib⁹ dei domibus ad diuinam prouidentiã pertinuit, quis nõ intelligat, nisi mẽte funditus careat, pertinuisse etiam, immò magis, ad eandem prouidentiam, magnæ domui, quæ est Ecclesia Catholica, vnum magnum patrem familias præficere, qui esset fundamentum vniuersale ipsius magnæ domus, sicut est pater familias fundamentum, ac firmamentum quod-

Quid respõdeatur Antonio obijciẽti ne verbum quidẽ esse in loco Matthæi de successore Petri.

Quomodo alienũ sit à diuina prouidentia, & eã dedecẽs, vt super Petrum tantũ dum vixit, Ecclesiã ædificatam esse voluerit Christus.

quoddam domus suæ? quare cum promisit dominus, nominatim compellans Petrum, quod tu sumpsisti, ædificaturum se super hanc petram Ecclesiam, quæ est magna domus dei, simul promisit ædificare se Ecclesiam super successorem Petri primi patris familias in domo sua, quæ est Ecclesia. Præterea, si Ecclesia Catholica est illud regnum Dauid perpetuum, quod Christus promisit ei in terra, quod idem Christus respondit Pilato, non esse de hoc mundo, erat enim spirituale, ac proinde cæleste; optimum autem, & excellentissimum genus regni est, in quo regnũ, vt tuus Arist. ait, administrationis domesticæ ordinem æmulatur, quod quintum genus posuit, quod παμβασιλείαν vocat, id est, plenum regnum: cõsequens necessario est, vt Ecclesia id genus regni sit, cui vnus, tãquam pater familias domui suæ, sic Ecclesiæ, quæ est domus dei, præsit. Nam, vt domestica gubernatio, ait Arist. libro 3. de repub. regnum quoddam est; sic regnum est domesticæ ciuitatis, & gẽtis vnius, aut plurium administratio. Non igitur debuit Christus secundum rationem suæ prouidentiæ, super hanc petram, Petrum nominatim appellans, Ecclesiam suam ædificare, quin super successores ædificaret. Nõ enim aliter sine successione vicariæ ordinationis pontificum Romanorum prouidentia illa diuina domui eius necessaria, continuari poterat. Ex his efficitur, cum dixit Christus tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, in illa petra successores Petri cõprehendisse. vt iam non sit verbum successoris requirendum, vbi res eius est. Satis hactenus responsum sit ad eam rationem, quam dixisti, cur successores Petri non sunt; quia ne verbum quidem in loco Matthæi de successore Petri esset, satis inquam, non enim est tempus dicendi omnia. Altera ratio tua erat postulatio tabularum. Cùm enim, inquis, se gerant pro hærede, (si titulum spectes) cedo tabulas, quo quidem postulato nullum aliud æquius esse possit. Ecquid enim potius in vniuersa fidei doctrina planis, expressis, & dilucidis verbis explicãdum fuit, q̃ hoc dogma de Petri successore? non legisti bone Antoni, quod beatus Petrus de Epistolis Pauli, & de cæteris scripturis scripsit in Epist-

Quomodo cum promisit Christus ædificaturũ se Ecclesiã super Petrũ, simul ratione prouidẽtiæ suæ diuinæ promisit ædificaturũ se Ecclesiã suam super successorẽ Petri.

Quomodo sine successione vicariæ ordinationis pontificum loco Petri nõ poterat diuina illa Christi de domo sua prouidẽtia cõtinuari.

Quomodo in loco Matthæi non est requirendũ verbũ successoris, vbi res eius est.

sua posteriore in extrema pagina; sic enim ait, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Percontor à te, quare illa δυσνόητα, id est, difficilia intellectu, non fuerunt in epistolis Pauli, & alia item δυσνόητα in cæteris scripturis, ita planis, expressis & dilucidis verbis explicata, vt quiuis ea facile, & rectè intelligere posset: aut quæ alia via, & ratio est, facile, & recte intelligendi, quæ in scripturis de dogmatibus obscure scripta sunt, quàm traditio Ecclesiæ Catholicæ à sanctis Apostolis relicta? audi quid Irenæus libro 3. contra hæreses de recta intelligentia scripturarum scribat c. 4. non oportet, inquit, adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum apostoli quasi in depositorium diues plenissime ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, vti omnis quicunq; velit, sumat ex eo potum vitæ. hæc est enim vitæ introitus; omnes autē reliqui fures sunt, & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionē. Quid enim & si quæ de aliqua quæstione disceptatio esset? nōne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quib⁹ apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum, & liquidum est? Quid autem? si nec apostoli quidem scripturas reliquissent nobis? nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quē tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias? Ireneus dicit, si nullas scripturas apostoli reliquissent, in quæstionibus de dogmatibus ad traditionē apostolicæ prædicationis in Ecclesia Catholica conseruatam adeundum esse; & Antonius Sadeel doctor αὐθημερινὸς, vt Greg. Naz. vocat, postulat, vt hoc dogma de successore Petri nō obscure, sed planis, expressis, ac dilucidis verbis explicatum sit? Idem Irenæus ait capite proximo superiore huiusmodi traditionē de fide, & dogmatibus fidei ab ijs, qui ab apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & à successoribus eorū, petēdam esse. Deinde ait, sed quia valde longū est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarū enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo fun-

lo fundatæ, et cõstitutæ Ecclesiæ eã, quã habet ab Apostolis traditio nẽ & annunciatã hominibus fidẽ per successiones episcoporũ peruenientẽ vsq; ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiã præter quã oportet, colligũt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam; hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles, in qua semper ab ijs, qui sunt vndiq;, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Hactenꝰ Irenæus. Si igitur in dogmate de successore Petri verbum planũ, expressũ, & dilucidũ requiris, habes verbũ traditionis planæ, expressæ, & dilucidæ, tũ in Ecclesia Romana per prædicationẽ Petri & Pauli fundata, & instituta, tũ in omnibꝰ vbiq; gentiũ Ecclesijs Catholicis, quæ Romanæ Ecclesiæ propter hanc traditionẽ de successore Petri adhærent. Huiusmodi verbum traditionis quia est ἀῦλότερον τῆς γραφῆς, vt Dionys. Areop. in Ecclesiastica Hier. c. 1. ait, id est, minus materiale, quã scriptura, nõ potest corrũpi, & deprauari, vt quidẽ potest & solet scriptura ab ijs deprauari, qui traditionẽ Apostolicæ prædicationis obseruare, & tenere nolũt. Hanc verò traditionẽ non potes tu Antoni præterire, si Paulũ audire vis, cum ait in Epist. ad Thess. 2. state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostrã. State, inquit, & tenete traditiones: qui enim non stãt, id est, nõ permanẽt in ijs, quæ ab initio audierunt, sicut beatus Ioannes in Epist. 1. c. 2. ait, hi sunt qui non tenẽt traditiones; & quia eas non tenẽt, fit, vt scripturas deprauẽt tanquã indocti, & instabiles, ad suam ipsorũ perditionem. Sin autẽ verbũ scripturæ de hoc dogmate successoris Petri postulas, & traditioni tanquã indoctus, & instabilis non acquiescis, habes verbũ scriptũ, licet non ita planum, expressum, & dilucidũ, vt quæris: necessario tamẽ ita intelligendũ, vt si expressũ esset verbũ successoris. Hoc aũt verbũ est Petra, de qua Dominꝰ cũ dixisset, & ego dico tibi, quod tu es petrꝰ, subiungit statim & super hãc petrã ædificabo Ecclesiã meã. Cũ enim petra firmitudinẽ in hoc ædificio domꝰ Dei significet, & Petrus, qui erat hæc petra, morte permanere nõ

Vnde in dogmate de successore Petri verbũ planum, expressum, dilucidum, quod Antonius requirit, petendũ sit auctore Irenæo.

Quomodo traditio difficilius corrumpi & deprauari possit, quam scriptura.

Quod verbũ sit in scriptura de successore Petri etsi non expressum, & dilucidũ, ita tamen necessario intelligendũ, vt si expressum esset.

posset

posset; consequens erat, vt plures alij succederent, qui essent species hæc eadem petra, si domus dei sic ædificata, id est, super hanc petram, permansura erat. An expectabas, vt diceret, super hanc petram, & super omnes petras, quæ huic succedent? si hoc verbum petra difficile est tibi ad accipiendum de successore, habes testimonium Petri, multa esse inscriptutis difficilia ad intelligendum; audi testimonium omnium Ecclesiarum cuncti orbis, quæ sicut ab initio audierunt, sic verbum petræ hodie accipiunt, & ideo Pontifici Romano tanquam petræ Ecclesiæ adhæret, & ab ea in fide firmatur. Si Paulum audis, cum dicit de summo sacerdote veteris legis in epist. ad Hebræos, & alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere, cur non similiter dices, in nouo testamento plures alios præter Petrum factos esse summos sacerdotes, id est, petras Ecclesiæ, quia morte prohiberentur permanere? respondebis fortassis illud, quod sequitur, hic autem, eo quod manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium. At si hic satis est, nec opus est alio, quomodo putatis habere vos sacerdotes à Luthero ordinatos, & illum contenditis ordinare potuisse, quibus non opus sit? quod si illos ad ædificationem Ecclesiæ datos esse creditis, & non existimatis quicquam detrahere de illo sacerdote, qui manet in æternum, & sempiternum habet sacerdotium, quamuis verbum planum, expressum, & dilucidum proferre non potestis de eorum successione, vt alijs mortuis, alij ordinentur, qui succedant, alioqui sacerdotium in Ecclesia extingueretur, esset que populus Christianus sicut populus Iudæorum, aut Gentilium; nec enim magis nos, quam illi, Christū sacerdotem sempiternū haberemus, nisi sacerdotes in Ecclesia haberemus, per quos ad illū, qui accedentes per se ipsum ad deum in perpetuum saluare potest, accedimus. Si illorum, inquam, sacerdotum, quos vos existimatis habere, successionem necessariam esse creditis, quamuis verbum, quale à nobis requiritis, non possitis ostendere, quare idem non concedatis in successione eius, qui sacerdotij in Ecclesia exordium fuit? vt quamuis verbum planum, expressum, & dilucidum de successore eius non sit, tamē quasi expressum esset, sic accipiatur, quod dixit

Si cauillentur Antonij illud super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, difficile esse ad intelligendum de successore, quo modo illi occurrendū sit, & quo modo reuincatur.

Quomodo exemplo successionis ad ulterinæ suorum ministrorum conuincuntur protestantes.

dixit, & super hanc petram, id est, super hanc petram, & successores omnes Petri; quorum quia vna ratio est, vnum sunt cum Petro, vt antea dixi. Si à te quæram Antoni, vbi de sacerdotibus, & eorum in Ecclesia successione in scriptura noua scriptum sit, credo te responsurum esse in Epist. ad Cor. priore, cum ait, & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, &c. et in Epist. ad Eph. ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores, & doctores: at hic non dixit, posuit doctores, & successores eorum; doctores enim verbi sunt presbyteri. Cæterum, quia dixit, posuit in Ecclesia, & dedit Ecclesiæ, quã diu Ecclesia futura est, tandiu successionem ordinis presbyterorũ futuram esse vos nobiscum affirmatis: ad eundem modum cum dixit dominus nominato Petro tantum, ædificaturum se Ecclesiam super hanc petram, simul dixit, quandiu futura esset Ecclesia, tam diu super hanc petram, & super successores huius petræ ædificãdã esse. Postremo, vt cætera omittam, non enim omnia dicenda sunt, illud, quod dominus ad promissionẽ Ecclesiæ super hanc petram ædificandæ adiunxit, quòd portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, satis dilucide ijs, qui non sunt cæci, declarat, successores Petri in hac petra contineri, si quidem nulli imperatores Romani ex ijs, qui Ecclesiam persecuti sunt, & tam multos pontifices interfecerũt, nulli tyranni, nulli hæretici cathedram Petri in successoribus delere potuerunt. Sicut autem duodecim Apostoli dicti sunt in Apocalypsi Ioannis XII. *portæ, quia qui per verbum eorum credebant, in vitam, & salutem intrabant, sic hæresiarchæ portæ inferi sunt, qui nunquam hanc petram frangere potuerũt; & si id in primis conati sunt. Quis ignorat, quantos impetus in hanc petram Martinus Lutherus fecerit? quanta petulantia, & procacitate conuiciorum linguas multorum principum, & populorum nobilissimæ Germaniæ in pontificẽ in hac petra sedentẽ armauerit? quid autem profecerit, vos ipsi testes esse potestis. Quid, inquam, profecit*

stantes in causa successionis pontificũ loco Petri.

Quomodo sicut Protestantes concedunt perpetuitatem successionis doctorũ verbi Dei, quos Apostol. testatur in epist. ad Cor. & Eph posidos esse in Ecclesia in ædificationem corporis Christi, sic coguntur concedere perpetuitatẽ successionis pontificum loco Petri, quẽ Christus posuit petrã in Ecclesia.

Quomodo satisdilucidè ijs, qui nõ sunt oculis mẽtis capti, declarat, illud, quod in loco Matthæi adiunctum est, & portæ inferi non prævalebũ taduersus eã, contineri in illa petra, super quam ædificata est Ecclesia, successores Petri pontifices Romanos.

Quæ sint portæ inferi, quas hic Euangelium dicit, ex quibus fuit vna insignis porta inferi Lutherus, qui vtrum prævaluerit aduersus Ecclesiam Romanam, testes esse possunt ipsæ Protestantes.

Quàm multiplicium hæresum, & sectarũ seminarium extiterit Martinus Luther.

cit aliud, quàm quòd tot hæresum, & tam multiplicũ sectarum seminarium extitit, vt non sit facile eas enumerare, & distinguere, nisi ijs, qui antea ex Martini Schola fuerãt, vt Fredericus Staphylus, & Theobaldus Thamerus, qui post ea ad fidem Catholicam reuersi Lutheri Genealogiam, id est, successiones inter se pugnantes descripserunt. de Euangelio autem Lutheri nihil aliud modo dicendum est, nisi impleri quotidie, quod vnus ex disciplina Lutheri, Nicolaus Amsdorfius prophetauit in libro, quem inscripsit de publica confessione puræ doctrinæ Euangelij, & confutatione præsentium Suermerorum, vel factiosorum: sic enim ait, res nihilo fit melior, sed indies deterior, omnia nihil præ se ferunt aliud, quàm Euangelium apud nos pessum iturum, & loco Euangelij non nisi meros, eosdemque egregios errores, nos habituros, non quidem aliam ob causam, quàm quòd humanæ rationis prudentiæ, non autem ipsius veritatis studiosi sumus. Hactenus prophetia vestri Nicolai; et de verbo successoris, quod postulabas.

Prophetia Nocolai Amsdorfij de Euangelio Lutheri, & eius progressu.

CAP.

CAPVT XIII.

Quomodo quod dominus dixit tu es Petrus, & super hanc petrã &c. & illud, tibi dabo claues, &c. ad Petrum, & non ad alios Apost. pertinere Christus voluerit. quid Iulius Pont. de ordine Ecclesiasticæ gubernationis grauissimè scripserit. Quomodo potestas clauium cum omnibus Apostolis communicata fuerit, saluo principatu Petri. Et quomodo præstantia Petri colligitur supra cæteros Apostolos ex didrachmo illo, quod pro Christo, & pro se Petrus soluit, & quod genus tributi esset illud: item quomodo refellitur quod ait Antonius, quod dictum est Petro numero singulari, quodcunq; ligaueris, &c. repetitum esse postea numero multitudinis, cum ait, quæcunq; ligaueritis. Et quomodo Dionysius rationem dandi claues Petro à ratione dandi alijs Apostolis distinxerit. & de argumentatione Antonij, non dedisse dominum soli Petro claues regni cælorum, quia dedit cæteris Apostolis. item quomodo refellitur, quod dicit Antonius, eodem modo, ritu, & verbis consecratos fuisse Apostolos muneri apostolico in loco Ioannis, quorum remiseritis &c.

Sequitur, Hic verò vide, quàm sis iniquus rerum æstimator. Hæc enim verba, quæ sequũtur apud Matth. tibi dabo claues regni cælorum &c. quia non ad Petrum restringimus, sed affirmamus, hoc ipsum fuisse cum cæteris apostolis commune, soletis exclamare summam fieri Petro iniuriam, dum quod vni Petro dictum est, ad alios quoque Apostolos extenditur: ac tunc vrgetis hæc verba, tibi dabo: item, tu es Petrus: item, super hanc petram: vt nos ad vnum Petrum restringatis. At interim nõ veremini hæc ipsa verba ad omnes Romanos episcopos extendere. Obsecro, num Fabianum, Cornelium, & veteres illos Romanos Episcopos (pudet enim huius sæculi non iã episcopos, sed põtifices recensere) cũ Ioanne, Matthæo, Iacobo & reliquis Apostolis nõ tantũ comparare, sedetiã anteferre? cuius enim pudoris est, id negare Apostolis, ijsq; præsentibus, quod episcopis lõge post futuris tribuere nõ dubitatis? *facilè, inquit tu° Arist. oẽs errãt*

in ijs, quæ ignorant, si à te quæratur, quare dominus Petro tantum nominato, dixit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo &c. & tibi dabo claues regni cælorum? si hoc ipsum æque ad alios Apostolos pertinere volebat, & hanc potestatem ex æquo cum alijs Apostolis cõmunicaturus erat; quare sic locutus est? quare nõ dixit, vos estis Apostoli mei, super vos ædificabo Ecclesiam meã; vobis dabo claues regni cælorum? sicut postea dixit, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis? &c. Quis vnquam nisi domesticæ gubernationis penitus imperitus, vni domui multos patres familias præficiẽdos esse diceret? aut vni regno multos reges? an natura ipsa non docet, quàm hoc dedeceat, & periculosum sit? an nõ necesse esset diuisam esse domum, & regnum, vbi plura capita essent? Quis docuit Aristotelem tuum, esse παμβασιλείαν, quod verbũ regnum plenum interpretamur, vt alij ante nos interpretati sunt, optimum, & absolutissimum genus regni, in quo summa potestas cũ optimis legibus penes vnum sit, nisi ratio naturalis? quomodo vnitas Ecclesiæ esse, retineri, & conseruari potuisset, nisi vnus esset, vnde exordium vnitatis duceretur? ad cuius potestatem summam omnes aliorum episcoporum particulariũ Ecclesiarum potestas referretur? audi, quid Iulius Pont. antiquissimus, & sapiẽtissimus, in Epist. ad Orientis episcopos scribat. Nam sicut in vno corpore (inquit) multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnã sanitatem, vnam pulchritudinem facit; & hæc quidem connexio vnanimitatem requirit; sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas communis est, non tamen ordo generalis est, (sic enim est in vetustissimis exemplaribus manu scriptis) quoniam & inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cum omnium par esset electio, vni tamẽ datum est, vt cæteris præemineret: de qua forma, episcoporũ quædam orta est distinctio: & magna ordinatione prouisum est, ne omnia sibi omnes vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter patres haberetur prima sententia: & rursus quidam in ma-

Quomodo conuincitur falsum esse quod ait Antonius, quod Christus dixit vni Petro, & super hanc petrã ædificabo Eccles. &c. & illud, tibi dabo Claues &c. æque ad cæteros Apostolos pertinere voluisse.

De optimo genere gubernationis quod natura principẽ philosophorum docuit.

Iulius Pont. pulcherrime, & grauissime de ordine Ecclesiasticæ gubernationis differens.

in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem eius susciperẽt ampliorem, per quos ad vnam beati Petri Sedẽ vniuersalis Ecclesiæ cura confluueret: & nihil vnquam à suo capite dißideret. Hactenus Iulius. Agnoscis hic patres familias minores in minoribꝰ Ecclesijs, quæ sunt domus Dei minores? & maiores in maioribus: & maximum, & summum in tota Ecclesia Dei Catholica, quæ vna est? quid hoc ordine pulchrius dici potest? quid magis æconomicũ, & ad pacem, & concordiam, atq; vnitatem conseruandam, commodius, appositius, & valentius? hoc cum natura, cum scriptura, cum traditione Apostolica, cum antiquißimis decretis Põtificum, Apostolorum, & cum Ecclesiasticæ consuetudinis & gubernationis regula congruit. Quod verò dicis de æquali potestate omnium Apostolorum, sublato omni principatu Petri, profer vnum testimonium vetus ita esse, & quamuis Apostolica constitutio, & leges ciuiles vni non esse credendum præcipiant, sicut scriptum est, in ore duorum, vel triũ testium stabit omne verbũ, tamen credemus vni. Nunquã Lutherus, neq; qui ex eius schola prodierunt, vnum dun taxat ex antiquis patribus testem producere potuerunt, nec vllo vnquam tempore poterunt. Et beatus Cyprianus, quem obijcere soletis, vos solus condemnat. De quo postea, cum tibi de eo respondebimus. Redeamus nunc ad ea, quæ hic scripsisti non intelligens, quæ à nobis dicuntur, neque quæ ipse dicis. Non enim negamus nos, communicatam fuisse potestatem clauium regni cælorum cum cæteris Apostolis; omnes enim Apostoli aperiebant, & claudebant regnum cælorum, quibus aperiendum, & claudendũ in Spiritu Sancto videbatur, Sed quomodo communicata fuisset, hoc erat à te, & à tuis magistris discendum. Fuit enim cum cæteris Apostolis potestas clauium à Christo communicata per Petrum, tanquam per caput domus suæ, quam super eum ædificabat, caput, inquam, Apostolorum, & totius Ecclesiæ, vt vnus esset, qui vni toti domui dei, quæ est vna Ecclesia Catholica, præesset. Audi, quid magnus Leo Primus, vir sanctitate, sapientia, antiquitate illustris, & venerabilis in sermone iij. in anniuersario die assumptionis suæ scribat de beato Petro loquens, magnum & mirabile dilectißimi huic viro

Diuina, & absoluti ſſima Eccleſia ſticæ hierarchiæ ſpecies & forma.

Quòd nunquã Lutherus vnũ tantum veterẽ teſtem producere potuit de æqua li poteſtate Apoſtoloruſ ſublato omni principatu Petri.

Quomodo poteſtas Clauium cum omnibus Apoſtolis cõmunicata fuerit, qua, in quã, ratione, & ordine, nunquã à Lutheranis explicatum eſt, nec illis ſatisfum.

Leo Magnus de potestate Clauiũ cum Apostolis à Christo per Petrum tanquam per caput, & patrẽ familias domus suæ cõmunicata.

consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio. Et si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Et paulo post, propter quod dicit beatissimo Petro, tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Transiuit in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit; Sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Et paulo post, in Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christũ Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cõferatur. Quanta sit Leonis primi auctoritas, Synodus Chalced. sexcentorũ episcoporũ testimoniũ dicit.

Hactenus Leo, cuius auctoritas quanta, & quam grauis sit, det tibi testimonium Synodus Chalcedonensis sexcentorum patrum. Vides credo ita, Antoni, quemadmodum non negamus nos, vt tu falso putas, & dicis, quod vni Petro dictum est, ad alios quoq; Apostolos extendi. Sed vni Petro dictum est hoc, id est, Petro dictum est singulariter; quia vnus Petrus cæteris Apostolis præponitur, & præficitur. Quod autem singulariter dictum est Petro, tibi dabo claues regni cælorum, hoc ipsum singulariter vnicuiq; successori Petri dictum est. Petrus enim & successores eius, vnum sunt, vt antea dixi. Nulli autem cæterorum Apostolorum dictum est hoc singulariter, quia nullus eorum præpositus fuit toti Ecclesiæ, quæ cum vna sit, non habet nisi vnum patrem familias principalem: si enim vnicuiq; cæterorum Apostolorum hoc singulariter, sicut Petro, dictum esset, essent duodecim apostolorum, XII. *successores principales; id est totidem capita vnius corporis Christi, quod est Ecclesia; nunc autem cum vni Petro dictum sit, vnus est eius successor per vicariam ordinationem; cæterorum vero Apostolorum omnes Episcopi sunt successores. Quòd autem, postquam Fabiani, & Cornelij pontificum meminisli, pudere dicis huius sæculi non ita episcopos, sed pontifices recensere, si tu tam sanctus & tam pudens es, quomodo non pudet te tui, & tui magistri Martini Lutheri hæresiar-*

Quomodo si q̃d singulariter dictũ est Petro, tibi dabo claues regni cælorũ, vnicuique cæterorum Apostolorum sic dictum fuisset, totidem successores principales, id est, totidẽ capita Ecclesiæ vnius catholicæ, quot fuerũt Apostoli, essent.

resiarchæ, monachi apostatæ, sacrilegis, atq; incæstis nuptijs virginis Deo sacratæ, & Christi sponsæ ex monasterio Nimicensi raptæ polluti? cur nõ pudet, te nõ didicisse à Christo præceptore, propter cathedram Petri pontificibus, qui in ea sedent, honorem deferre aliquẽ, sicut Christ⁹ docuit turbas, & discipulos honorare Scribas, & Pharisæos propter cathedram Moisis, in qua sedebant? Sequitur in libello tuo, Cæterum ipsa te rei veritas coget, vt Apostolis omnibus claues regni cælorum datas esse fatearis: atque ita locum hunc Matthæi non minus ad reliquos Apostolos, quàm ad Petrum pertinere. *Dixi iam, id nos etiam fateri, datas esse claues regni cælorũ apostolis omnibus, sed quomodo datæ essent, & quid datas esse Petro, & datas esse cæteris apostolis, interesset, non sine ratione scriptura, & veterum testimonijs explicaui, atq; ita locum Matthæi ad Petrũ inter Apostolos singulariter pertinere. Quod autem hic adiunxisti ad probandũ, non minus ad reliquos apostolos quàm ad Petrũ hunc locum pertinere, apostolos à Christo interrogatos ore vnius Petri respondisse, hoc tu, si, quã vim hoc habeat, intellexisses, nunquã ad causã tuã adiunxisses: esse enim factũ os omnium Apostolorũ argumentũ plane & testimonium est, fuisse illum principem, & caput apostolorũ, in quo, tanquã in capite, illorum sententia continebatur. Deinde addis,* neq; proferam ea, quę sequũtur apud Matthęũ, quando Christus interdixit discipulis, vt nemini dicerẽt ipsum esse Iesum Christum. *nõ potui intelligere, quomodo hoc ad exæquandũ cæteros apostolos Petro pertineret. Neq; tu amplỽ addidisti, quia nec ipse quomodo huc pertineret, cogitasti, aut assequi potuisti: sed vt videretur aliquid dicere, quod eo grauius esse putaretur, quo minus intelligeretur. Sed qui ita diligens fuisti, vt tibi videris, in scrutãdo cap. isto Matthæi 16. ad venandam, si forte assequi posses, æquationẽ Petri & cæterorũ Apostolorũ, cur quod in proximo cap. 17. erat, ꝙ ad præstantiã Petri supra reliquos apostolos plane pertinet, dissimulasti, & nihil adid, quod tibi aliquãdo obijci poterat, respõdisti? nõ enim erat tibi prætereundũ, si causæ tuæ cõsidebas. Sic enim scriptũ est, Et cũ venissent Capharnaũ, acceſſe-*

Quomodo Antonius nõ intelligat, quam vim habeat quod dicit, & verum est, factum fuisse Petrũ os omnium Apostolorum.

Quid Antonius in cap. 17 Matthæi dissimulauerit, quod plane præstantiam, & illã ἐξουσίαν

quã quæri t Petri supra reliquos Apostolos, declarat.

accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magister vester non soluit didrachma? ait, etiam: & cũ intrasset in domum, præuenit eum Iesus dicens, quid tibi videtur Simõ? reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis: dixit illi Iesus; ergo liberi sunt filij; vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te. Dic tu Antoni, an hic ingenij tui sagacitate aliquid in Petro excellens olfacias? cum non esset tunc cum Iesu solus Petrus, cur qui tributum hoc exigebant, ad Petrum potius, quàm ad alios accesserunt? ad eum scilicet accesserunt, vt ipse, quem ab alijs Apostolis honorari iã videbant, Christum de tributo soluendo admoneret: quod quidem facturus erat ingressus domum, sed præuenit, inquit Euangelista, eũ Iesus, dicens, quid tibi videtur Simon? quia enim soluendum erat tributum pro patre familias & pro familia ipsa, opportunè Petrũ rogauit, quid ei videretur. Quia vt cæterorum Apostolorum caput, personam eorum sustinebat: & deinde cum dixit, quid faciendum esset, Petrum sibi annumerauit, inquiens, ne autẽ scandalizemus eos. Quasi & Christus scandalizaret, & Petrus item non soluendo didrachmon. Hoc autem magis adhuc declarat, cũ iubet Petro, vt illo statere qui duo didrachma valebat, in pisce reperto, pro Christo, & pro se soluat. Cum enim non appareat ratio, quare Petrus magis tributum deberet, quàm reliqui discipuli, & Apostoli domini; consequens est, vt Petrus tanquam caput aliorum Apostolorum & discipulorum solueret. Alioquin nunquam dominus dixisset, da eis pro me, & te. Tributum enim fuisse illud non ex lege vetere pro redemptione animæ, vt quidam auctores putauerunt, sed imperatum à rege gentium, id est, imperatore Romanorum, satis declarat Euangelium. sic etiam intellexit Origenes in Epistola ad Iulium Africanum, sic enim ait, καὶ γὰρ ῥωμαίων βασιλευόντων, τῷ ἰουδαίων τὸ δίδραχμον αὐτοῖς τελέντων. &c. erat fortasse tributum ex illa descriptione Iudeæ & cuncti orbis facta ex cuiusque censu, ita vt qui pauper esset, et capite census, vt Christum videbant

Locus Matthæi de didrachmo quod Petrus pro Christo, & pro se soluit.

debant nihil possidere, didrachmum pro se solueret, & alterũ tantum familia eius. Sed de hoc coniecta, vt voles; aut si mea coniectura de Petro soluente pro se & alijs Apostolis ex ratione ducta non tibi probatur, affer tu aliam probabiliorem, cum hanc cõfutaueris nõ futiliter, & nugatorie, vt soles. Deinde adiungis, hoc tamen „ satis superque esse debet, quod in Christi verbis nihil sit, „ quo cæteri Apostoli excludantur. *Redis ad genus argumen-* „ *tandi tibi familiare, ex negantibus, & id dicis satis superq; esse, ista bella & artificiosa argumentatione totum negocium vester Sadeel satis superq; confectum putat. Iudicet Academia tua de tua disputandi arte, quam iactas: sic enim concludis, in Christi verbis, illis scilicet, tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, nihil est, quo cæteri Apostoli excludantur, super cæteros igitur Apostolos ædificata est Ecclesia, vt iam Ecclesia Catholica, quæ vna est, duodecim capita habeat; & vna domus Dei duodecim patres familias, & vnum regnũ Christi duodecim monarchas spiritualis potestatis; habeat itẽ duodecim clauigeros regni cælestis, qui nullum inter se primum clauigerum agnoscant. At cum sic Christus Ecclesiam composuerit, vt compositio instituta vsq; ad consummationẽ sæculi conseruanda sit, & nunc Ecclesia Catholica per cunctum orbem diffusa vnum principem Clauigerum cæli agnoscat beati Petri successorem & in cathedra eius sedentem, restat, bone Antoni, vt nobis ostendas reliquos* XI. *clauigeros successoris in pari potestate reliquorum* XI. *sanctorum Apostolorum, si quidem super eorum petras ædificatam esse Ecclesiam dicis; & eis ex æquo omni principatu eorum interse sublato claues regni cælorum datas esse affirmas, hoc autem cum facere non poteris, necesse erit tibi, vt rursus destruas, quod prius ædificasti; ne prævaricatorẽ, te cõstituas. Necesse, inquam, erit, vt ne ges datas esse pari potestate claues regni cælorũ Apostolis omnib & Ecclesiã ædificatã esse super eos; quia præter quã successorẽ Petri reliquos Apostolicos successores vndecim nõ potes ostendere, aut relinquetur tibi, vt omnes presbyteros facias successores Apostolorum in pari potestate ligandi & soluendi, aperiendi & claudendi*

De argumẽtatione belliſſima Antonij Sadeelis ex arte disputãdi profecta, & quæ mõstra ex ea sequãtur.

Quæ restent ab Antonio ostendenda, vt negotium eius cõfectũ sit; aut si nõ ostenderit, quid ei restet secundum; aut quid tertium, aut quid quartũ.

regnum cælorum; vt tot Petros iam & Ioannes, & Iacobos, & reliquos habeat Ecclesia, quot habet presbyteros. Aut quartum erit reliquum, vt mortuis Apostolis, & sublata successione eorum, extinctum sit sacerdotium. Vide, quo te tua cæcitas, & amentia gradatim adduxerit. Sed pergamus vlterius.

» Immo potius *(inquis)* quod Petro dictum fuerat nu-
» mero singulari, quicquid ligaueris in terra &c. id postea
» repetitur numero multitudinis, c. 18. quæcunque, inquit,
» ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælo. Deinde (quod
» recte Lutherus obseruauit) Christus tibi dabo, dixit per
» futurum tempus, videamus igitur, quãdo dederit, nem-
» pe Ioannis 20. sicut misit me pater (inquit) & ego mitto
» vos: accipite spiritum Sanctum, quorum remiseritis pec-
» cata, remittuntur eis, quibus verbis exponitur figurata
» locutio ligandi & soluendi. Ecce igitur, vbi dantur cla-
» ues regni cælorũ nõ vni Petro, sed omnibus Apostolis si-
» mul. ex quo factũ est, vt Petrus nõ alijs apostolis impera-
» rit: sed æque cum alijs Ecclesiam administrarit, vt con-
» stat ex actis Apostolorum. *Erras Antoni, quod dictum fuerat Petro numero singulari, quodcunq; ligaueris super terram, non repetitur postea, vt tu dicis, numero multitudinis, c. 18. cum ait, quæcunq; ligaueritis &c. illud enim singulariter & nominatim dictum est Petro; hoc verò dictum est communiter non solum Apostolis, sed etiam multis discipulis, quos illi duo discipuli reuersi ex Imaus, cum ipsis Apostolis congregatos repererunt, vt ex Euangelio Lucæ c. 24. intelligi potest. vt intelligeremus, quod magnus Leo paulo ante dixit, nunquam nisi per Petrum dedisse, quicquid alijs, scilicet Apostolis, non negauit. Et rursus idem Leo, Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cũctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Vt igitur illud, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, nemini Apostolorum, nisi Petro dictum est, neq; ædificari Ecclesiam à Christo super hanc petram, quæ erat Petrus, commune fuit aliorum Apostolorum, sed Petri proprium; sic illud adiunctum, tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram & c. singulari modo conuenit Petro; ita vt*

Quomodo falsum sit, quod ait Antonius, quod dictũ fuit Petro numero singulari quæcũq; ligaueris super terram &c. repetitũ esse c. 18 numero multitudinis, quæcunq; ligaueritis.

po-

potestas clauium regni cælorum, ligandi atq; soluendi, per Petrũ ad alios Apostolos ita domino disponente, transierit, sicut idẽ Leo dixit; Immo transiuit etiam ad alios discipulos, quos Christus elegit, quorum successores sunt presbyteri, vt antiqui patres, & Ecclesiæ doctores testantur. Quod autem dicis, recte obseruasse Lutherum, dictum esse in futuro, tibi dabo, dedisse autem Ioannis 20. cum dixit, accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c. & intulisti, ecce igitur, vbi dantur claues cælorum non vni Petro, sed omnibus apostolis simul: Iam ad hoc non semel superius responsum est, datas quidem esse claues cæteris Apostolis communiter, à Christo, sed per eum, cui prius singulariter se daturum promisit; non .n. poterat aliter vnus gubernationi vnius domus Dei, quæ est Ecclesia, præesse, vt necessarium erat, & à Christo sapientissime, & commodissime prouisum. Præterea, & si quod dixit Christus tibi dabo in futuro, tunc dedit secundum obseruationem Magistri tui Lutheri, cum dixit Apostolis Ioan. 20. quorum remiseritis peccata &c. falso tamen inde cũ Magistro tuo argumentaris, æquales fuisse oẽs Apostolos, nullumq; in eis primatum habuisse Petrum, alioqui argumentare similiter, æquales fuisse apostolis LXX. *discipulos, quos dominus post duodecim electos Apostolos, designauit, sicut ait Euangelium, multi enim ex illis erant cum Apostolis congregati; vt Lucas testatur, cum omnibus Apostolis, & discipulis dixit dominꝰ, quod Ioannes scribit. nihil enim refert, si forte non aderant omnes* LXX. *sicut nõ refert, quod Thomas nõ erat tunc cũ reliquis apostolis. Vt aũt intelligas, aliam rationẽ fuisse dandi claues Petro, aliã reliquis Apostolis; Petro .n. dedit singulariter, sicut singulariter promiserat; dedit, inquã, vt primo, & summo; alijs vero in cõmune per Petrũ, vt summa potestas clauiũ in Petro esset, & per eũ alijs Apostolis claues regni cælorum à Christo darentur: vide, quemadmodum diuinus Dionysius, Pauli Apostoli discipulus, vtramq; dationẽ clauium distinxerit, & alterã ab altera separauerit, quod ex Euangelio, & ex interprete eius, & magistro suo Paulo didicit. Interpretatur enim in Eccl. Hier. c. De pie defunctis, dictum esse in Euãgelio, accipite spiritũ S. deinde, quorũ remiseritis peccata &c.*

Quomodo datæ sint claues regni cælorũ aliis Apostolis.

Quomodo sicut Antonius argumentatur æquales fuisse omnes Apostolos, quia omnibus dictum est, quorum remiseritis &c. similiter argumẽtari potest æquales fuisse duodecim apostolis Lxx discipulos: quod est absurdum, & falsum.

Quomodo dationẽ clauium cæteris apostolis

à datione clauium Petro Dionysius Areop. diuinè distinxerit.

quia episcopi potestatem remittendi, & retinendi peccata habent, non vt ad voluntatẽ suam ea potestate vtantur, sed vt ratio diuini iudicij poposcerit, non (inquit) vt Deus in remittendis, aut retinendis aliorum peccatis, iræ, aut cupiditati eorum, vt ita dicam, subseruiat; sed ipsi potius Spiritui sancto Sacramentorum præsidi, & domino. Deinde, quia alio modo, id est, singulariter data erat remittendi, & retinendi potestas Petro; separatim de ea meminit: subiungit enim, & ei, qui reuelationibus sanctissimi patris cælestis illuminatus fuit, scriptura dicit, quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum in cælis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum in cælis quia ille, & omnis episcopus, qui eum sequitur, secundum reuelationes sibi factas iustificationis patris cælestis, admittunt deo acceptos: aut excludunt alienos à Deo, denunciantes, & transfundentes in eos, aut remissionem Dei, aut retentionem. Illam enim theologiam nõ à se excitatus, neq; carne & sanguine, vt ait scriptura, reuelantibus, sed à Deo, qui eius mentem de diuinis erudiuit, effatus est. Hactenus Dionys. quare autem hanc dationem clauium Petro ab illa in Euangelio Ioannis distinxerit, declarauit hoc loco Dionys. cum dixit, ille, id est, Petrus, cui dictum est illud, quodcunq; ligaueris &c. & omnis episcopus, qui eum sequitur. An non satis apertè ducem episcoporũ vocat, cũ dicit, omnis episcopus qui eũ sequitur? Sunt autẽ oẽs episcopi successores Apostolorũ, fuit igitur Petrus testimonio etiam Dionysij discipuli Pauli, dux Apostolorum. Et quia tu Antoni Græce calles, lege Græcè, sic enim ait, ὡς ἐκεῖνος, ᾧ πάντες ἐπ' αὐτὸν ἱεράρχαι, vt enim οἱ κατ' ἀριστοτέλη, aut οἱ κατὰ πλάτωνα dicuntur Platonici, & Aristotelici, siue qui Platonẽ, & qui Aristotelem sequuntur, sic οἱ κατὰ πέτρον ἱεράρχαι dicuntur episcopi, vt ita dicam, Petræi; siue qui Petrum ducem sequuntur.

Quomodo Dionysius Petrum ducem episcoporum esse dixerit.

Petrus dux Apostolorũ & omnium Episcoporũ, qui sunt successores apostolorum.

„ *Pergit Antonius, & ait,* Ex quo etiã factũ est, vt Petrus
„ non alijs Apostolis imperarit, sed æquè cum alijs Eccleſi-
„ am administrauerit, vt constat ex actis Apostolicis. *Petrus non imperauit apostolis, nec alijs, si imperare significat, dominari, immo ipse præcepit episcopis non dominari in cleris. Ecclesiã autem*

autem cum alijs Apostolis tanquam adiutoribus non tanquam æquabilibus administrauit; ipse enim Petrus præerat illis. Sequitur, Itaque Turriane hoc vno ariete corruit illa tua turris Babylonica, quæ summam rerum diuinarum, & humanarum perturbationem inuexit, quod vt sentias, ita pauci s comprehendo, apud Matthæum Christus ait, tibi dabo; non autem tibi do; at apud Ioannem Christus omnes simul Apostolos compellat, omnibus afflat Spiritum S. & omnibus simul apostolis dat potestatem soluendi, & ligandi, id est, remittendi, aut retinendi peccata, nihilque hic Petro nominatim, sed vna omnibus, & æqua potestas tribuitur. Quamobrem Turriane tuo more peccas παρὰ τὸ ἐπόμδυον, cum hoc connexum proponis, Christus dixit Petro, dabo tibi claues regni cælorum, ergo soli Petro dedit, nam profero ἔνταστν ex apertissimo Ioannis loco. *Ista pauca, quibus te dicis vnum arietem tuum comprehendere, ego non paucis, sed multis proxime confutaui, & arietem tuum fregi, non opus est eadem repetere. Quod autem dicis, me hoc connexum proponere, Christus dixit Petro, dabo tibi claues regni cælorum, ergo soli Petro dedit; non est ita, nusquã in meis libris connexum hoc, quale à te fabricatum, & confictum est, reperies. Sed vt insipientia tua, & fallacia omnibus manifesta fiat, recitabo hic locũ libri mei prioris aduersus capita Lypsiensis disputationis, vnde tu istud cõnexum texuisti, vt omnes tui Academici videant, quæ ex illo loco dissimulasti, quia respondere non potuisti. Pagina ergo* 85. *sic cum Illyrico primatum Petri oppugnante disputans scripsi, sed respondeamus, inquam, deinceps de Aug. quem Illyricus his verbis in primatum obijcit, Augustini (inquit) memorabile dictum est, qui ait totam Ecclesiam super petram Christum, nõ super Petrum hominem fundatam esse, super quem & Petrus ipse extructus sit; ita enim inquit tractatu* 124. *in Ioannem, quando Petro dictum est, tibi dabo claues regni cælorum; & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis, vniuersam significabat Ec-*

Petrus cum alijs Apostolis tanquam adiutoribus administrauit Ecclesiã.

Detegitur fallacia Antonij, & recitantur, quæ dissimulauit, quia respondere ad ea nõ potuit.

cleſiam, quæ in hoc ſæculo diuerſis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempeſtatibus que quatitur, & non cadit; quoniam fundata eſt ſuper Petrum, vnde et Petrus nomen accepit, non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra. Hactenus teſtimonium Auguſtini ab Illyrico recitatum. Sed recitemus nos integrum teſtimonium, vt ſicut in Cypriano fecimus, hic quoque ore teſtis ſui Illyricum redarguamus. ſic enim ſcribit in eodem loco Auguſtinus, Cuius Eccleſiæ Petrus apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Interrogemus Illyricum, cur prætermiſit hanc particulam teſtimonij Auguſtini? aut cur non timuit, ne à nobis callida iſta teſtimonij decurtatio fallaciæ, & malitiæ index deprehenderetur? Sequitur in Auguſt. quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus, idemque primus apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt, tibi dabo claues regni cælorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, vniuerſam ſignificabat Eccleſiam. Quare autem vniuerſam ſignificaret Eccleſiã, ſiue vniuerſæ Eccleſiæ perſonã gereret, proximè cauſam dixerat, nempe propter primatũ apoſtolatus. Ergo qđ ei dictum eſt, tibi dabo claues regni cælorũ, & quæ ſequuntur, etſi ad totã Eccleſiam pertinet, cuius perſonã gerebat, ad ipſum tamen Petrum in primis propter primatũ pertinet; ſiquidem propter primatum, vniuerſæ Eccleſiæ perſonã gerebat; conſequenter igitur propter primatũ poteſtatis eius, poteſtas ligandi & ſoluendi in alios deriuata eſt. Quis eſt ratiocinandi nõ penitus ignarus, qui cõſequentis, ac connexi rationẽ hic non videat? hæc ego illic cõtra Illyricũ, quibus ita te oppreſſum, & conuictũ ſenſiſti, vt ea diſſimulare ſilentio coactus ſis. Quod eſt te ad aphoniã, id eſt, ad obmutescẽ dũ cõpulſum eſſe. Cũ dixi, Quis eſt ratiocinandi nõ penitus ignarus, qui cõſequentis, ac connexi rationẽ hic non videat? neminẽ putaui eſſe; ſed fefellit me opinio. tu.n. repertus es, qui non vidiſti connexi rationẽ, quæ, ſi cõceſſeris ſuperius, cogit inferius cõcedere. Si enim dictũ eſt Petro, tibi dabo claues regni cælorũ, quia vniuerſæ Eccleſiæ

Antonius ad obmutescendum cõpulſus.

Eccleſiæ

cleſiæ perſonam gerebat, ſiue totã Eccleſiam ſignificabat, gerebat autem vniuerſæ Eccleſiæ perſonam, ſiue totam Eccleſiam ſignificabat propter primatum apoſtolatus, vt pater Aug. Euangelium ſecutus affirmat; igitur propter primatum apoſtolatus dictum eſt ei, tibi dabo claues regni cælorum. Soli igitur Petro dedit tanquã primo, quia primatus non poterat eſſe niſi in vno tantum. Hoc connexum fuit à me illic propoſitũ, quo ita irretitus teneris, vt te inde explicare, & expedire nequeas. tua vero ἔνστασις ex c. 20. Ioannis captioſa, & ſophiſtica eſt, quia enim datæ ſunt claues regni cælorũ apoſtolis ad remittendum, & retinendum peccata, vis concludere, non eſſe ſoli Petro datas. ἐμποιεῖ φαντασίαν ἡ ὁμωνυμία, vt Ariſtotelis tui verbis vtar, id eſt, facit apparẽtiam, vt ita dicam, æquiuocatio. dare enim claues, διττὸν, id eſt, duplex eſt, ſic dare, vt in ea poteſtate primatũ habeat, qui accipit; qui eſt Petrus ſolus, & dare nõ ſic, vt primatũ habeat in ea poteſtate, qui accipit, ſic ſunt datæ alijs apoſtolis, & diſcipulis. Aut ſic, duplex eſt dare claues; dare, vt is, cui dãtur, ſit cauſa dandi alijs, ſic ſunt Petro datæ; aut ſic dare, vt per eũ dentur, cui primũ, & principaliter datæ ſunt. Sic dixit, vt ſæpius repetã, Leo magnus, loquens de poteſtate ligandi, & ſoluẽdi, & ſi quid, inquit, cum eo, (id eſt, Petro, de eo.n. loquitur) cõmune voluit eſſe principibus Eccleſiæ, non niſi per Petrum dedit, quicquid alijs nõ negauit. igitur niſi dominus Petro poteſtatẽ ligãdi & ſoluendi dediſſet, cũ alijs apoſtolis eã non communicaſſet. Ex quo fit, vt poteſtas ligandi & ſoluendi præ cæteris Petro cõueniat; ſi quidẽ dediſſe ei hanc poteſtatẽ clauiũ cauſa fuit dandi eam alijs. quod .n. cauſa eſt, vt alijs ſecundũ eandẽ rationem ſpeciei aliquid conueniat, ipſi illi, q̃ cauſa eſt, maxime conuenit. vt ignis (inquit tuus Ariſt. lib. 2. metaph. calidiſſimus eſt, qui cæteris eſt cauſa caloris; & veriſſimũ etiã eſt id, quod poſterioribus, vt vera ſint, cauſa eſt. Similiter ſit in genere poteſtatis ſpiritualis; habẽt .n. ſpiritualia naturas ſuas, & proprietates. quare cuius Epiſcopi poteſtas ſpiritualis clauium cauſa eſt alijs epiſcopis poteſtatis ſpiritualis clauium, quia per illum talis poteſtas cum alijs à domino communicatur, illius eſt ampliſſima, et ſumma poteſtas ſpiritualis clauiũ; id eſt,

Connexum ab Antonio diſſimulatũ quo ita irretitus teneatur, vt ſe inde expedire nequeat.

Quomodo dare claues ſit homonymum, ſiue æquiuocũ.

Quomodo paralogizet Antonius & quæ sit fallacia consequentis, nõ intellexerit.

id est, illi primatus huius potestatis conuenit: tu igitur in tuo paralogismo peccas παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν, cum argumentaris non dedisse dominum claues regni cælorum soli Petro, quia dedit cæteris Apostolis; non enim vno modo dedit, sed Petro singulariter, & primum, tu inquam peccas παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν, non ego παρὰ τὸ ἐπόμενον, vt dixisti; quod quidem nunquam dixisses, si quid esset peccare παρὰ τὸ ἐπόμενον intellexisses, fit enim elenchus sophisticus παρὰ τὸ ἐπόμενον id est, propter consequẽs vt tuus Arist. tradit διὰ τὸ οἴεσθαι ἀντιστρέφειν τὴν ἀκολούθησιν, id est, quia existimamus consequentiam vicissim retro commeare, vt si putemus; cũ terra madida est, pluisse, quia accidit, cum pluit, vt terram adeat. Et si enim si pluit, sequitur, vt terra madida sit; non tamen retro commeat, vt si madida est, pluit. tu igitur es, qui propter consequens peccas, qui existimas ἀντιστρέφειν, id est, remeare, vt quia promittendo singulariter claues regni cælorum Petro, eidem dedit singulariter secundum illam promissionem potestatem remittendi, & retinendi peccata, sequatur similiter, vt cum dedit cæteris Apostolis communiter potestatem remittendi, & retinendi peccata, tunc dederit & Petro communiter cum illis eandem potestatem: simile est, vt si propter similitudinem flaui coloris mel & fel idem esse putares. hoc enim exemplo in hoc genere elenchi sophistici vtitur Arist. tu igitur παρὰ τὴν λέξιν, ἢ ἔξω τῆς λέξεως, id est, extra dictionem, & in dictione paralogizas. Persequamur reliqua tua, sic enim ais, Atque vt ad fundamentum
" ministeriale redeamus, cum hoc loco Ioannis Christus
" nõ vnum Petrum, sed alios etiam Apostolos ministerio
" apostolico plene consecrarit, omnesque fuerint Spiritu
" S. afflati, atque eodem modo & ritu, eisdem deniq; ver-
" bis sanctissimo illi ministerio consecrati; efficitur nihil
" esse causæ, quamobrem Petrum potius, quàm alios Apo-
" stolos dicamus fuisse ministeriale totius Ecclesiæ fundamentum. *Dic bone disputator, quis tibi dedit ista, quæ sumpsisti ad concludendum nihil esse causæ, quamobrem Petrum potius, quã alios Apostolos dicamus fuisse ministeriale totius Ecclesiæ fundamen-*

mentum? aut vbi probasti, vel quomodo, in isto loco Ioannis non vnum Petrum, sed alios Apostolos ministerio apostolico plene consecrasse? nisi forte idem putas esse, dicere & probare. tu enim dicis tantum, & non probas. Immo cum ista dicis, plane Euangelio contradicis. Euangelium enim separauit rationem dandi claues regni cælorum Petro à ratione dandi cæteris Apostolis, tu verò vtramq; commisces, & confundis in vnum contra Euangelium. Petro enim promisit tanquam petræ, super quam ædificaturus esset Ecclesiam suam, & sicut promisit, ita dedit, qui fidelis est, & mẽtiri non potest; nemini autem aliorum apostolorum dixit quod Petro nominatim, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: nec cæteris dixit, super vos ædificabo Ecclesiam meam, & quorũ remiseritis peccata, remittentur eis: Immo neq; dixit, quorum remiseritis, sicut obseruasti, non dixisse dominum Petro, & tibi do, sed dabo, sed dixit, quorum remiseritis, quod futuri temporis erat, non præsentis: ne amplius dicas illud, dabo Petro, dictum, in loco Ioannis ex toto impletum esse; nec enim ibi est illud, Do præsentis temporis, quod requiris. Rursus, cum dicis non vnum Petrum, sed alios etiam Apostolos ministerio apostolico plene consecrasse, tollis primatũ apostolatus, et negas Augustini auctoritatem, qua vti soletis contra nos, & si perperam, vt, quoties occurrit, demonstramus, & conuincimus. Si in primatu apostolatus, quem paulo ante dixit Aug. Euangelium secutus, datũ esse Petro, est plenitudo Apostolici ministerij, primatus autem in pluribus, quã in vno esse non potest, quia primatus, vnius capitis primatus est in reliquo corpore mystico, quomodo igitur plene consecrari reliqui Apostoli apostolico ministerio potuerũt? item quod dicis eodem modo & ritu, eisdem deniq; verbis sanctissimo illi ministerio consecratos fuisse, falsum est, & ab Euangelio penitus alienum: illud enim, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, in quo primatus Petri continetur, coniunctum est cum illo, quod sequitur, & tibi dabo claues regni cælorum &c. non licet igitur disiungere, quod tu contra Euangelium facis. Quod si disiungere non licet illa, quæ Christus coniunxit in loco Matthæi, restat vt

Quomodo Euangeliũ rationem dãdi claues regni cælorum Petro, à ratione dãdi alijs Apostolis separauit, Antonius verò vtramq; rationem in vnũ cõfundit contra Euangeliũ.

Quomodo conuincitur falsum esse, & contra Euangeliũ, quod Antonius dicit alios Apostolos cum Petro plenè consecratos esse ministerio apostolico, eodem modo, ritu, & verbis in loco Euangelij Ioannis.

ostendas illa in loco Ioannis, si eisdem verbis illi ministerio cõsecrati sunt apostoli: aut si ostendere nõ potes, restat, vt fatearis non eisdem verbis consecratos fuisse illi ministerio remittendi, & retinẽdi peccata; aut si hoc nolueris, reliquum erit, vt probes, illud, Super hãc petrã ædificabo Ecclesiam, nihil pertinere ad illud, quod adiũctum est eidem Petro dictum, & tibi dabo claues regni cælorum. Cum autem horum trium nullum facere poteris, effectum erit, quæ sumpsisti, omnia falsa esse, & ἀσυμπέρασα. aggrediamur aliud caput. Sequitur:

CAPVT XIIII.

Quomodo quod Christus Petro dixit, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, non possit intelligi de Ecclesia inuisibili, vt Antonius contra scripturam, & naturam vult. & Quomodo conferatur Petrus origo vnitatis Ecclesiæ cum Abraam origine populi Israelitici, & de promissione facta in vetere testamento de sacerdotio Leuitico non delendo vsq; ad aduẽtum Christi. respondetur postea Antonio exprobranti Iesuitis nouitatem Ordinis, & confutatur, quod tradit, nullos esse Apostolorum successores, & demõstratur auctoritate scripturę sanctæ, episcopos esse apostolorũ successores, & de prouidentia in uetere populo comparata cum nouo, vnde successio apostolorum demonstratur, & de loco euãgelij, Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, & de verbo successoris apostolorum in Dionysio Areop. Quomodo refellitur quod ait Antonius pertinere ad naturã apostolatus prædicare vbique, & ordinari immediate à Christo, et quomodo pontifex Ecclesiæ Romanæ, & omnibus mundi Ecclesijs præsit.

„ QVoniam autem, vt veritas est simplex, & perpetuò sibi cõstans, ita mendacia sese mutuo collidunt, videamus aliam quoque repugnãtiam Turrianicæ disputationis. Quid enim si rogem, de quanam Ecclesia Christus loquatur? nempe respondebit de ea, quam portæ inferorum „ non superabunt, quemadmodum hic affirmat Christus „ at vero non posse superari ab inferorum portis, est elec-

ctorũ proprium; (Ecclesias enim visibiles posse deficere, „ tristissimis exẽplis nimis est manifestũ) tu vero Turriane „ fateris, electos nobis esse inuisibiles, & electorũ Ecclesiã „ esse inuisibilem. Rursus centies affirmas, Petrum, & eius „ successorem esse & caput, & fundamentum visibile Ec- „ clesiæ visibilis; quare ex tuis præmissis colligo, neq; Pe- „ trum, nec eius successorem, quicunque tandem sit, vel „ esse, vel fuisse, vel esse posse fundamentum eius Ecclesiæ, „ de qua Christus apud Matthæũ locutus est. *Verissimum est* „ *quod ais bone Antoni, veritatem esse simplicem, & perpetuo sibi constantem:* τῆς δὲ πλάνης, *vt ait Dionysius,* παντοδαπὸς ποικιλία, *id est, erroris verò multiplex varietas, qualis est in sectis vestris, licet negetis. Sed manibus tenetur; lege, vt alios nunc omittã, librũ Frederici Staphyli prius Lutherani, & postea catholici, quẽ de cõcordia Lutheranorũ inscripsit, et respondeat illi, si potes; aut defende Iacobum Smidelinum cõfessionistam, aut refelle Nicolaũ Amsdorffium Lutheranum. Sed omittamus ista, quorum fieri non potest, quin vos ipsos pudeat, licet per obstinationẽ dissimuletis. Veniamus ad rem, cũ vocabulum Ecclesiæ explicares in prima ferè pagina libelli tui, dixisti primum significare congregationẽ electorum dei, vt 1. Tim. 3. Ecclesia est domus dei, columna & firmamẽtũ veritatis. Eph. 5. Ecclesiã non habentẽ maculam, neq; rugam: & paulo post, mysteriũ hoc magnũ est de Christo & Ecclesia; & 1. c. Ecclesia est corpus Christi cõplementum eius, & si qui sunt loci cõsimiles. Hæc tu illic. hoc locos apostoli à te obseruatos de Ecclesia electorũ inuisibili, docui, & vt arbitror, satis demõstraui, nõ posse intelligi de Ecclesia ista tua inuisibili, & gratulatus sum tibi, q hũc locum Matt. 16. de ædificatione Ecclesiæ super petram, de Ecclesia electorum inuisibili accipiendum esse non putauisses, si quidem non eum inter alios notaueras; Sed fefellisti opinionem meam, reuocanda est gratulatio, & demonstrandum, non posse accipi, vt tu nunc ais contra scripturam, & naturam. cum enim Christus dixit, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. plane (inquit Isidorus Peluſiota in epist. ad Serinum) Ecclesiã oppugnandã esse significauit. Interrogabo igitur te Antoni, estne hactenus, vt domi*

Fredericus Staphylus de concordia Lutheranorum.

Quomodò quod Christus dixit, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam

meã,& portæ inferi&c. non possit intelligi de Ecclesia inuisibili, vt Antonius insanè vult.

nus prædixit hoc loco, Ecclesia oppugnata visibiliter, an inuisibiliter? non credo negabis visibiliter oppugnatam tum à tyrannis, & persecutoribus, tum ab hæreticis, ne historias rerum gestarum, & memorias temporum superiorum insanè delendas esse putes. Fuit igitur Ecclesia Catholica, q̃ oppugnata est, & superauit visibilis. quod. n. videri non potest, nec oppugnatio eius videri potest. Nihil enim refert, quòd quædam Ecclesiæ visibiles, vt ais, defecerũt.

Quomodo ruina & interitus Ecclesiarũ particularium visibiliũ nõ euacuauit fidem Dei, qui de Ecclesia catholica visibili dixit, & portæ inferi nõ præualebũt aduersus eã, non magis quam incredulitas Iudæorum fidem Dei euacuauit.

Dicam enim quod Apostolus de incredulitate Iudæorum, nunquid ruina & interitus illorum, fidem Dei euacuauit? absit. Possunt quidem portæ inferi præualere aduersus particulares Ecclesias visibiles, sed non aduersus totam Ecclesiam, quæ vna est, & necessario visibilis, ex suis partibus visibilibus constans; quia verax est, qui dixit, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. An Philosophia, quæ est venatio quædam naturæ, non docuit te, partes terræ singulas corrumpi posse, totam terram propter ordinẽ vniuersi non posse? vt igitur nihil natura in totam terram præualere potest, sic in totam Ecclesiam cogita. Quod verò ais, proprium esse Ecclesiæ electorum, non posse à portis inferi superari, & fateri me Ecclesiam electorum inuisibilem esse, est quidem inuisibilis secundum electionem æternam, quam solus Deus videt, & cui voluerit reuelare, visibilis tamen est secundum communionem Sacramentorum, in qua necesse est permanere, & secundum eam cum malis etiam misceri. Quæro Antoni, Ecclesia Apostolorum, & illorum fere centũ viginti, super quos descendit spiritus S. specie ignis, qui sedit supra singulos eorũ, & baptizati sũt spiritu S. & igni, erat ne Ecclesia electorum? erat, dices. Erat visibilis an inuisibilis? visibilis inquies, quia ignis, qui sedit supra singulos eorum, visibilem fecit. Ecclesia igitur Catholica, quæ nunc est, & quæ illi successit, quæ ex aqua & spiritu S. regenerata est, visibilis est. Ad

Quomodo Ecclesia electorũ necessario secundũ scripturam visibilis sit.

hæc cum Apostolus Petrus in Epist. 2. ait, quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, nonne satis clare docet, Ecclesiam electorum visibilem esse? de operibus enim bonis, quibus Ecclesia electorum ornari debet, ait in euangelio dominus, sic luceat lux vestra coram homi-

hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Restat igitur, vt Ecclesia electorum visibilis sit, quia opera eius, quibus studere debet, visibilia sunt. Nisi putas sic operari Ecclesiam electorum, sicut operatur Deus, quem non videmus, opera tamen eius videmus. Præterea, quod hic Christus promisit Petro, quem propter excellentiam fidei elegit, vt esset exordium noui populi per lauacrum regenerationis creandi, non esse portas inferi prævalituras aduersus Ecclesiam, quam super eum ædificaturus erat, idem promisit, licet alijs verbis, Abraæ, quẽ etiam propter excellentiam fidei elegit, vt esset origo veteris populi: possidebit, inquit, semen tuũ portas inimicorum tuorum. Paulus verò ait, non omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, ij sunt Israelitæ; neq; qui semen sunt Abraæ, oẽs filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen; id est, non qui filij carnis, ij filij Dei: sed qui filij sunt promissionis. Interrogemus Antonium, si semen hoc Abraæ sunt filij Dei, quos promisit non esse vincendos ab inimicis, sed potius victores eorum futuros, quomodo fiant filij Dei? an non respondebit fieri per Sacramentum visibile baptismi ex aqua & spiritu S. Ecclesia, igitur electorũ, quæ ex istis nunquã vincendis constat, necesse omnino est, vt sit visibilis. Et si enim electi extra carnem militent, & arma eorum non sint carnalia, vt de se in secunda epist. ad Cor. scripsit Apost. in carne tamen ambulant: in carne autem ambulantes non possunt non esse visibiles. Illud etiam dicendũ est, cum Christus promisit in loco Matthæi non esse prævalituras portas inferi aduersus Ecclesiam suam, quam super hanc petram ædificaturus erat, id est, nunquam esse expugnandam, licet à Satana, id est, ab hostibus, visibilibus, & inuisibilibus oppugnaretur, simul promisisse, nunquam hanc petram mouendam esse, id est, caput huius Ecclesiæ, Petrum dico, quem Ecclesiæ, id est, domui suæ tanquã patrem familias præficiebat, & in ea, vt esset exordiũ Sacerdotij, in quo primatũ haberet, collocabat. Hoc ipsum promisit in sacerdotio Leuitico tanquam in typo Sacerdotij Euangelici, quod sacerdotium Leuiticum nunquam ab aduersarijs, & hostibus tolli potuit vsq; ad aduentum domini in carne, qui erat expe-

De Petro origine vnitatis Ecclesiæ comparatio cum Abraã origine populi Israelitici & depromissione facta Petro de Ecclesia ædificata super eum nunquã superanda, cõparata cum semine Abraæ nunquam vincendo.

Quòd electi & si extra carnẽ militent, tamen in carne ambulant, & ideo Ecclesia eorũ necesse est, vt sit visibilis.

Quomodo cũ promisit Christus portas inferi nõ prævalituras aduersus Ecclesiam super Petrũ ædificatã, simul promisit, nunquam hoc fundamentum, quod erat Petrus, conuellendum esse.

Quomodo quod dominus Iesus promisit de sacerdotio euangelico nunquam tollendo ab aduersarijs, idē promisit de sacerdotio Leuitico nunquam tollēdo ab hostibus vsq; ad aduentum Christi.

Quomodo quod in sacerdotio Leuitico vmbra sacerdotij euangelici precatus est Moises, inquiēs percute dorsa inimicorum eius, impletū sit in sacerdotio noui testamenti ab inimicis, & hostibus oppugnato.

Fallacia Antonij commutantis quod dicitur secundū aliquid, in id, quod dicitur simpliciter.

Quomodo non posse à portis inferi superari, non sit propriū electorū, sed commune Ecclesiæ ex bonis & malis mixtæ.

Et atio gentium, quando sacerdotium, & lex transferenda erant. Sic igitur dixit Moises in Deut. c. 33. de sacerdotio Leuitico, precans illi conseruationem, & incolumitatē, Benedic, inquit, Domine fortitudini eius, & opera manuum illius suscipe; percute dorsa inimicorū eius; & qui oderunt eum, non consurgant. Quomodo autē hoc, quod de vmbra Euangelici Sacerdotij scriptū est, in imagine ipsius rei, id est, in summo sacerdote noui testamēti, qui est imago Christi, euenerit, vt percussa fuerint dorsa inimicorum Sacerdotij Petri, et qui oderunt eū, non cōsurrexerint, ipsa Germania nobilissima testis esse potest. Sed de his parcius dicendum est, ne victis, & conatu suo frustratis insultare videamur. Respōdeamus iā ad formā argumentationis tuæ. Quare, inquis, ex tuis præmissis colligo, neq; Petrum, nec eius successorem, quicūq; tandem sit, vel esse, vel fuisse, vel esse posse fundamētum eius Ecclesiæ, de qua Christus apud Matthæum locutus est. Semper sumis falsa, & ἀσυλλόγιστα ad argumentandum dicis, fateri me, esse electos nobis inuisibiles, & electorum Ecclesiam esse nobis inuisibilem; verùm secundum electionem, nō autē simpliciter: semper enim addere soleo, esse Ecclesiam electorum nobis inuisibilem, quia nouit dominus, qui sunt sui, vt Paul. ad Tim. scripsit; quod perinde est, vt si dicam, inuisibilem esse secundum electionem: tu verò vt fallas, τὸ κατὰ τι λεγόμενον commutas εἰς ἁπλῶς, id est, quod dicitur secundū quid, in dictum simpliciter transuertis. Deinde, quod dicis, proprium esse electorū, non posse à portis inferorum superari, immò etiam cōmune est Ecclesiæ permixtæ, vt Augustinus vocat cùm aliàs, tū lib. 3. de doctrina Christiana: semper enim vsq; ad consummationē sæculi erit Ecclesia secūdum euangelium tanquā sagena missa in mare, quæ ex omni genere piscium congregat; & tanquā area in qua necesse est, esse paleas, & triticū, quousq; veniat, cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum; paleas autē comburet igni inextinguibili. Videamus, quæ sequuntur. Cæterum ad tædiū vsque Bonifacium inculcas, Germaniæ, vt loqueris, Apostolum, eo quòd Germanicas Ecclesias super fundamētum Petri ædificauerit, easque Romanis Pontificibus addi-

xerit

xerit; nunc autem Protestantium Ecclesias fidenter, & temerè pronuncias nullas esse, postquam à pontifice Romano desciuerunt. Si ita est, consequitur Christum non fuisse locutum de Ecclesia super Romanum põtificem ædificanda, cum loquatur de Ecclesia, quæ nunquã possit à suo fundamento diuelli. *Neq; mirum, si ad tædium vsq; Bonifacium Germaniæ Apostolum inculco; quod ne semel quidẽ audire velles. Sed cur tu ingratus es? si enim Bonifaciũ Germania non habuisset apostolũ, tu nõ esses factus Christianus. Quod autem Ecclesias Germanicas super fundamentum Petri Bonifacius ædificauerit, tu hoc dicis, nõ nos. Non enim ædificauit Ecclesias Germaniæ super Petrũ, sed super Christũ, super quem ipsi etiã Apostoli ædificabant, quia aliud fundamentum nullus homo potest ponere. Christus verò Deus noster, solus super fundamentum Petri & Ecclesiã suam virtute sua diuina ædificare potuit, & ædificauit: sed tu, vt sæpe dixi, non intelligens, quod loqueris, neq; de quo affirmas, omnia miſces, & in vnum confundis, nihil dicernês. Sicut neq; totũ hic à singulis partibus distinguis, cum ais, ex eo, quod dico, Ecclesias Protestantium ædificatas primùm à Christo super Petrũ, ministerio Bonifacij Apostoli Germanici, nullas iam esse, postquam à pontifice Romano desciuerũt, si ita est, cõsequitur, inquis, Christũ nõ fuisse locutũ de Ecclesia super Romanũ pontificẽ ædificãda, quæ nunquã possit à suo fundamẽto diuelli. Ecclesia Catholica, quæ est quoddã totum, id est, oẽs partes suæ. totum.n. & partes eius omnes, nõ sunt plura, sed vnũ: hæc inquã, Ecclesia, tota ædificata est super Petrũ, quæ ab eo nunquã diuelli potuit, nec vnquã poterit; quia fidelis est, & mẽtiri nõ potest, qui dixit, & portæ inferi nõ præualebũt aduersus eã. Ecclesia verò particularis hæc aut illa, illæ, vel aliæ particulares, Germanicæ, Africanæ, aut Anglicanæ, nõ sunt tota Ecclesia, neq; tota Ecclesia est idẽ simpliciter huic, aut illi parti aut illis, vel alijs partibus: licet sit idem secundũ quid. Si.n. tota Ecclesia esset idẽ simpliciter huic Ecclesiæ particulari: eadẽ ratione esset idẽ simpliciter illi alteri: ita fieret, vt hæc & illa, quia sunt vnũ cũ toto, essent inter se idẽ. Ex quo rursus sequeretur nõ esse totã Ecclesiam*

Nisi Germania Bonifacium habuisset Apostolum, non esset hodie Christiana.

Quomodo Bonifacium Apostolum Germaniæ, Ecclesias Germanicas super Petrũ ædificasse, non nos, sed Antonius dicit non intelligens quid loquatur.

Quomodo Antonius totũ à partibus singulis non distinguat.

Paralogismus Antonij extra dictionē, quasi dictum sit simpliciter, quod dicitur in parte.

Ecclesiam ex diuersis Ecclesijs compactam, & constitutam. Tu igitur hic peccas παρὰ τὸ ἐν μέρει λεγόμενον ὡς ἁπλῶς εἰρημένον. *hæc enim est vis tui paralogismi, Ecclesiæ particulares Germanicæ ædificatæ super fundamentum Petri, desciuerunt à Petro: ergo tota Ecclesia ædificata super Petrum, potest ab eo desciscere. Sic infert hoc Antonius, quasi totum esset idem parti simpliciter, quod est falsum. Christus igitur non est loquutus de Ecclesia super Petrum ædificanda, cū loquatur de Ecclesia nunquā à suo fundamēto diuellenda. Iam vides bone disputator, quomodo hoc sequatur; ex verisne, an ex falsis. Pergit Antonius*: ex ijs, *inquit*, quę
» ante disputata sunt, efficitur, Petri ministerium idē pla-
» ne fuisse cum aliorum Apostolorum ministerio: & fal-
» sissimum esse, quod Turrianus post alios Romani ponti-
» ficis ὑπεραπιστὰς proponit de catholica Ecclesia super v-
» num Petrum, & eius successorem ædificanda. *Sic Antonius totū negotium confectū putabat, antequam refelleretur. Ipse*
» *viderit, quid deinceps responsurus sit, ne se magis reuincat.* Nunc
» ipsum *(inquit)* successoris vocabulum discutiendum est.
» Primum igitur hoc in quæstionē voco, potuerint ne A-
» postoli in munere Apostolatus habere successores? po-
» tuisse affirmat Turrianus (quid ni autem, cum hac vna
» basi Rom. Sedes, vel potius regnum pontificium fulcia-
» tur?) remque ita nobis explicat, vt Petro quidem Rom.
» pontifex: cæteris autem Apostolis Episcopi: LXX. vero
» discipulis presbyteri successerint. Hic tibi parco Turria-
» ne, neque te meo iure cogo, vt ex his tuis verbis conclu-
» das, non modo te tuosque gregales Iesuitas nudius ter-
» tius exortos, sed alios etiam monachos longe vobis na-
» tu maiores omni carere successione, cum neminem ve-
» strum reperiam in hoc ipso catalogo successionis, quem
» ipse recensuisti: nondum, inquam, te verbis, quibus di-
» gnus es, refuto, quem nulla successione fretum non ta-
» men puduit pastorum nostrorum successionem exagi-
» tare, qua de re fortassis aliàs. *hoc est veluti proœmium quæstionis positæ, in quo quia aliud Ordini nostro obijcere non potuit Antonius,*

Antonius, nouitatem exprobrat. Certe si nouitatem fidei exprobrasset, magno probro, & crimini nobis esset, vt est Cõfessionistis, & Protestantibus, qui confessionẽ fidei à Martino Luthero conceptã & Augustæ anno M. quingent. trigesi. æditam profitentur. ipsi enim auctores, fidei vestræ annum ascripserunt, vt testatur Philippus vester Mel. in epist. ad lectorem ante confessionem Ecclesiarum Saxonicarum. Institutum vitæ monasticæ, & religiosorum, quod Ordo societatis nostræ profitetur, non esse nouum, sed cum Ecclesia Apostolica ortum, demonstraui nuper ex scripturis aduersus Boquinum Viturigum accusatorem nominis Societatis Iesu; respondi etiam ei de nouitate nostri Ordinis, & de genere occupationum eius. Quod verò dicis, te non reperire nos, nec alios monachos in catalogo successionis Apostolorum, & discipulorum Christi, satis declaras, ignorare te quid sit proprium monachi, siue religiosi. dixi antea. tuo Arist. auctore, facile omnes errare in ijs, quæ ignorant. Esse monachum, siue religiosum, non facit presbyterum esse, aut episcopum, nisi per ordinationem fiat, vt quidem potest fieri presbyter, aut etiam episcopus; cum igitur erit factus presbyter, aut episcopus, tunc reperies in catalogo. Non possum satis mirari, te hæc aut nescire distinguere, aut dissimulare scire. Accedamus igitur ad quæstionem tuam, Nunc *(inquis)* ad id quod affirmas de Apostolorum successoribus, vbi te peccantẽ deprehendo παρὰ τὸ ἁπλῶς τὸ κατά τι λεγόμενον. Nam ordinarij Ecclesiæ pastores, qui purè docent Euangelium, & fideles ipsi, qui doctrinam Apostolicam retinẽt, dici quidem possunt Apostolorum successores; nos autem de apostolatus natura disputamus, quem alio loco habendũ esse, quam ordinarium Ecclesiæ ministerium, docet Paulus Eph. 4. & 1. Cor. 12. Itaq; ipsis Apostolis in Apostolatus munere successum non fuisse ita colligamus. Constat ex scriptura duo potissimum in apostolatu spectanda esse; vnum, Apostolos non vni genti, vrbi, prouinciæ, vel regno fuisse alligatos, nec eorum munus alijs quam vniuersi terrarum orbis finibus circumscriptum, sic Matth. 26. profecti docete omnes gentes, &c. alterũ,

Quid obijciat, & ex probret ordini Societatis Iesu Antonius, quia aliud non potuit.

Quod nullũ maius crimen obijci potest quã nouitas fidei, quæ Protestantibus obijcitur: & ipsi auctores Cõfessionis Augustanæ nouã fidem esse apposito anno cõfessi sunt.

Quomodo Antonius Sadeel quid sit proprium monachi ignoret.

„ Apostolos nō ordinario modo, neq; per hominum mi-
„ nisterium, sed ἀμέσως ab ipso domino electos fuisse, Gal.
„ 1. non ab hominibus (inquit) neque per hominem, &c. si
„ in his duobus non fuit successum apostolis, dico nullos
„ esse apostolorum successores in apostolatus ministerio,
„ atq; vt de priori agamus, Apostoli, quorum fuit omnes
„ gentes docere, ordinarios Ecclesiæ ministros, id est, Epi-
„ scopos, vel presbyteros constituerūt, & cōstituendos cu-
„ rarunt, idq; κατ' ἐκκλησίαν, inquit Lucas act. 14. & κατὰ πόλιν
„ inquit Paulus Tit. 1. non igitur, vt Episcopi, & presbyteri
„ omnes gentes docerent, sed eum tantū gregem, cui præ-
„ ficiebantur; adeo vt Episcopatus longo interuallo disse-
„ rat ab apostolatu. Quamobrem cum hodie nulli sint, ad
„ quos spectet hoc mandatum, profecti, docete omnes gē-
„ tes, sequitur, apostolatus ministerium non fuisse ad nos
„ vsque, successione propagatum. At enim Turrianus pro-
„ fert Rom. Pontificem, qui Petro, & Episcopos, qui cæte-
„ ris Apostolis successerint. Quantū ad Episcopos attinet,
„ confecimus ex verbo dei, eorum vnumquemq; esse non
„ omnium Ecclesiarum, & gentium, sed certæ alicuius Ec-
„ clesiæ pastorem. & nemo sane, nisi planè sit ἀθεόλογος, a-
„ postolatum cū Episcopatu confuderit. Romanus autem
„ pontifex quo tandem iure Apostolatum sibi vendicat?
„ quia, inquis, est Romanæ sedis Episcopus, at ea ratione
„ vni tantum Ecclesiæ prefectus est, alioqui non est episco
„ pus: hæc autem repugnant, vni tantum Ecclesiæ, & om-
„ nibus simul Ecclesijs præfectum esse; ex quibus efficitur,
„ Romanum pontificem falsò sibi apostolatum vendica-
„ re, eò, quòd sit Rom. Episcopus. Quid? si dicat, quia Petri
„ successor est? at ne Petri quidem successionē alia ratio-
„ ne sibi tribuit, quàm propter Ecclesiam Romanam: nul-
„ la igitur ratione pontifex Rom. apostolatus officium si-
„ bi arrogat. *Ad concludendū, non habere nos successores Apostolorū, & quod te magis premit, non habere Petri principis Apostolorum successorem, vt video, nihil curas, an, quæ sumis, sint falsa,*

& nul-

& nullam formam syllogisticam habeant. Age verò Antoni, cum dominus Iesus post resurrectionem suam dixit Apostolis, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus S. docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationẽ sæculi, quomodo vsq; ad consummationẽ sæculi cum Apostolis, qui morte prohibebãtur permanere, sicut Apostolus de sacerdotibus veteris testamẽti ait, permanere poterat, & permanet, sicut promisit, qui fidelis est, si in locũ eorũ nulli succedunt? quomodo in hac vita vsq; ad cõsummationẽ sæculi cũ Apostolis est, si Apostoli nullo modo sunt? si nulli, inquã, sunt, in quibus adhuc viuunt? quomodo verũ est, quod dominus ait, ego vobiscum sum? q istud genus manendi erat cum Apostolis vsq; ad consummationẽ sæculi, quod, ne errarẽt, attendi voluit, cũ dixit, ecce? in carne. n. cum eis mansurus nõ erat vsq; ad cõsummationẽ sæculi; nec ipsi Apostoli permanere poterant propter mortem. Quid igitur superest, nisi vt in successoribus victuros esse significaret? age nunc Antoni, an minus necessaria est cathedra Petri in Euãgelio, quã fuit Moisis cathedra in lege? Quis nõ laudat, & admiratur illã dei summã sapientiam, & admirabilis œconomiæ prouidentiã, quæ in Deut. scripta est, Si difficile, & ambiguũ apud te iudiciũ esse prospexeris inter sanguinẽ & sanguinẽ, causã, & causam, leprã, & non lepram, & iudicũ inter portas tuas videris verba variari surge, et ascẽde ad locũ, quẽ elegerit dominus deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, et ad iudicẽ, qui fuerit illo tẽpore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatẽ, & facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quẽ elegerit dominus, & docuerint te iuxta legẽ eius, sequerisq; sententiam eorũ; neq; declinabis ad dexterã, nec ad sinistrã. Qui autẽ superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tẽpore ministrat domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malũ de Israel; cunctusq; populus audiẽs timebit; vt nullus deinceps intumescat superbia. An minus ambigua, & difficilia iudicia, & q̃stiones de dogmatibus fidei in tẽpus euangelij incidere solent, quam in tẽpus legis veteris de varijs reb⁹ ad legẽ pertinẽtibus incidebãt?

Quomodo hic locus Euangelij, ecce ego vobiscum sum &c necessario successionem apostolorum contineat.

Cõparatio diuinæ prouidentiæ in vetere testamento de vno iudice, cum diuina prouidẽtia in nouo de vno item iudice.

quod ergo tunc erant illi sacerdotes Leuitici generis, quos hic Lex dicit, & ille iudex, de quo dicit, qui fuerit eo tempore, & rursus, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, sunt nunc episcopi, & pontifex, qui eis, & vniuersæ Ecclesiæ præest, quem Cyprianus vnum ad tempus iudicem vocare solet, qui quia non agnoscitur, idcirco hæreses, & schismata oriri, dicit. hic est Petri successor, sicut erat in lege successor Aaronis iudex ille, qui erat eo tempore; nisi quod illic erat successio ex genere; hic est successio ex vicaria ordinatione, vt idem Cyprianus loquitur. Pontifex igitur cum concilio episcoporum, cum necessitas quæstionum, & difficultas iudiciorum variorum postulat, iudicij veritatem, sicut lex dicit, iudicat; sicut contra Martinum Lutherum, & sectatores eius Protestantes & Cõfessionistas, & reliquas sectas ab eo ortas, quæ sunt multiplices, iam iudicauit; & sicut illic, qui superbierit, inquit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, sic Martinus Lutherus, & qui eũ per malitiam, & obstinationem sectantur, facti sunt anathema, id est, interfecti gladio spirituali, quem Apostolica doctrina in libro 2. Clementis Romani gladium ignis vocat. Si illam, quam dixi sapientiam diuinam, & admirabilem prouidẽtiam de ambiguis, & difficilibus iudicijs, ac quæstionibus probas, & laudas, cur hãc, quam in Ecclesia vides, & omnes tui maiores, & patres Protestãtium ab initio viderunt, Ecclesiæ inuides? cur eam tollis, nisi quia odisti? odisti autem, quia vos cum parente vestræ fidei damnauit. Si videtur tibi laudabilis, & vtilis, ac necessaria prouidentia, vt haberet vniuersus populus Israeliticus vnum Iudicem, qui adhibitis alijs sacerdotibus Leuiticæ tribus, de arduis, & ambiguis iudicaret, cũ opus esset: cur non vultis, vt habeat populus Christianus vnum Cepham, id est, Pontificem, ac Iudicem vnum, ad quem adeat, vt cum opus fuerit, iudicet iudicij veritatem adhibito collegio sacerdotum, (sic enim vocat Cyprianus Collegium Cardinalium) aut adhibito concilio Episcoporum, vt assolet, sicut Paulus ad Cepham ascendit Hieros. vt cum eo adhibitis Ioanne & Iacobo, Euangelium, quod prædicabat, conferret; ne in vacuum, inquit, curreret.

De Iudicio pontificis cũ Concilio Episcoporũ, cum necessitas quæstionum, & difficultas, ac varietas iudiciorum postulat.

Quomodo admirabilẽ Dei prouidẽtiam Ecclesiæ inuidẽt, qui Cathedram Petri ex ea tollũt.

Quare Protestantes cathedram Petri oderunt.

curreret, aut cucurrisset. Premam adhuc diuinam prouidentiam, illam veteris populi cum hac noui conferens; si non potes non laudare, & admirari illã etiam prouidẽtiam, cũ dixit dominus ad Moisen, sicut scriptum est in libro Num. c. XI. congrega mihi LXX. viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd seues populi sunt, ac magistri; & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq; ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi; & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris; dicam iterum, cur similem prouidentiam, immò admirabiliorem populo Christiano inuides? cur non pateris, vt acceperit, & habuerit vnum Moisem Euangelicum, qui sustẽtaret onus Ecclesiæ super eum ædificatæ, & cum eo sustentarent, ne ipse solus grauaretur, alij Apostoli, & discipuli, & ij, quos ipsi Apostoli in diebus suis ordinarunt; cui Moisi Euangelico, id est, Petro successerit, qui idem onus sustentet, & ne solus grauetur, alij etiam sustentent successores Apostolorum, qui sunt Episcopi, & successores LXX. discipulorum, qui sunt presbyteri ministri verbi Dei; sicut in cathedra Moisis succedebat summus pontifex, cum quo successores illorum LXX. quibus dominus de spiritu dato Moisi impertiuit, idem onus sustentabant, hi autem erant Scribæ, & Pharisæi, quos Euangelium dicit; qui quamdiu, sicut à Moise à principio instituti fuerant, docebant, & non secundum suas traditiones, tamdiu de cathedra Moisis docebant; hoc enim significabat sedere super cathedram Moisis, sicut cum episcopi, & presbyteri recte tractant, sicut Apostolus ait, verbum veritatis, de cathedra Petri docent. Confirmat hæc, quæ dico, S. Ephrem Syrus, cuius quanta sit auctoritas ex historia Theodoreti intelligi potest. is igitur in sermone de Transfiguratione, sicut Moises (inquit) societatis illius, & coniunctionis Hebræorum iussu Dei princeps fuit, ita Petrus Ecclesiæ Christianorum; atq; vt ille veteris, ita hic noui testamenti princeps. Sed respondeamus iam ad singula, quæ obijcis factus παῤῥησὸς & euerriculum omnium amentiarum, quas hactenus Lutherani contra successionem Petri obiecerunt, quasi sperarent se non esse iudicandos à Deo, &

Vrgetur adhuc prouidentia diuina in vetere populo, collata cũ prouidentia diuina in nouo.

Antonius Sadeel euerriculũ omnium calũniarũ & cauillationũ in successionem Petri.

Quid Protestantes, se consequi sperent sublato iudicio Petri in successoribus.

in cælum ingressuros, si iudicem, quem Christus Ecclesiæ Catholicæ præfecit, & cui claues regni cælorum dedit, semel tollerent. O amentiam summã, & deplorandam cæcitatem non sentientium, quã durum sit contra stimulum calcitrare. Primum igitur dicis, cum affirmo de successoribus Apostolorum, peccare me παρὰ τὸ ἁπλῶς τὸ κατά τι λεγόμενον. nam ordinarij, *(inquis)* pastores, qui purè

Quomodo Antonius Apostolorũ successores faciat cum ordinarijs pastoribus ipsos etiam laicos, expediat ipse suę Academiæ. Pastores Protestantium meros laicos esse.

» docent Euangelium, & fideles ipsi, qui doctrinam Apostolicam retinent, dici quidem possunt Apostolorũ successores, *non intelligo, quomodo Apostolorũ successores facias cũ ordinarijs pastoribus, etiã laicos, quos vocas fideles ipsos, qui Apostolicam doctrinam retinent: vos enim, non credo, dicitis, habere laicos sacerdotiũ ex ordinatione, siue impositione manuum, sicut ordinarios pastores; quomodo igitur vtriq; sunt successores apostolorum? sed de hoc tu videris, quomodo tuis Academicis hoc expedias. Ego.n. semper hoc contendo, vestros, quos appellatis pastores, meros Laicos esse, neq; magis esse Sacerdotes ex ordinatione, quam de* » *Capitolio Sacerdotes, vt de quibusdam dixit Cyprianus.* Nos au- » tem, *inquis*, de Apostolatus natura disputamus, quem in » alio loco habendum esse quàm ordinarium Ecclesiæ mi- » nisterium docet Paul. Eph. 4. 1. Cor. 12. *non explicasti, quomodo doceat, quod dicis, Apostolos credo docere hoc putas, quia dicit in Epist. ad Cor. posuit Deus in Ecclesia Apostolos, & in Epist. ad Eph. ipse dedit quosdam quidem Apostolos, sed si nunc non sunt in Ecclesia successores Apostolorũ? Quia Apostolos deus sine ministerio hominis posuit in Ecclesia: igitur neq; vos pastores vllos habetis, quos Deus Ecclesiæ dedit; quia quos ipse dedit, vel sine ministerio hominis dedit, vel per ministerium Apostolorũ, quorum successores vos negatis, dedit; vnde igitur eos habetis, quos habere putatis? quis eos vobis dedit? homo, an Deus? si enim homo dedit, & nõ Deus, vnde illis potestas ligandi, & soluendi? nonne hæc potestas è cælo est? igitur tu dabis nobis hac ratione successores Apostolorũ episcopos; aut ipse adimes tibi pastores, & presbyteros, quos te habere credis, & defendis.* Itaq; ipsis Apostolis *(inquis)* in Apostolatus munere non fuisse successum, ita colligamus:

Quomodo cogatur Antonius cum suis Protestantibus, aut dare nobis successores Apostolorũ: aut adimere sibi pastores & doctores verbi, quos se habere putant.

con-

constat ex scriptura, duo potissimum in Apostolatu spectanda esse, vnum, Apostolos non vni genti, vrbi, prouinciæ, vel regno fuisse alligatos; nec eorum munus alijs quàm vniuersi terrarum orbis finibus fuisse circumscriptum. *Ideo Antoni effici dicis, nullos esse Apostolorum successores, quia nulli sunt, ad quos pertineat illud Apostolis præceptum, ite, docete omnes gentes &c. mirum est, esse te tam obtusum, vt non intelligas, aliud opus postulasse illud tempus, cum nondũ erant Ecclesiæ constitutæ; aliud, cum iam erant. Missi quidem sunt Apostoli in vniuersum orbẽ, ad ædificandas Ecclesias, quæ non erant; postquam verò vbiq; constitutæ sunt; & in omnem terram exiuit sonus eorum, Ecclesijs ædificatis pastores præficiuntur, sicut ipsi illi sancti Apostoli Ecclesijs ædificatis pastores præficiebant, vt Titum Paulus Cretensi Ecclesiæ præfecit; & Timotheum Ecclesiæ Ephesi. Tu etiam hoc concedis; sed negas ministerium Titi, aut Timothei, & similium, ministerium Apostolatus fuisse: mentitus est igitur Apostolus, cum Epaphroditum Philippensium Apostolum vocauit. Fuit enim eorum Episcopus, vt testatur eruditissimus auctor Theodoretus in commentarijs epist. ad Philipp. explanans enim inscriptionem epist. Paulus, & Timoth. serui Iesu Christi sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconibus; cum Episcopis, inquit, id est, cum presbyteris: vtroque enim nomine vocabantur tunc, vt ex historia Apostolorũ perspici potest, cum vocatis presbyteris Ephesijs Miletum, dixit Apostolus, attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus episcopos &c. Et ad Titum, propterea reliqui te Cretæ, vt constituas presbyteros; & paulo post, docens, quales esse deberent, quos erat constituturus episcopos, oportet, inquit, episcopum &c. Quod & hoc in loco perspicuũ est: coniunxit enim diaconos cũ episcopis, non facturus mentionem aliã presbyterorum. Adde, quod multi episcopi nõ possũt vni Ciuitati præesse, atq; Epaphroditũ quidẽ in hac eadẽ Epistola Apostolũ Philippensiũ appellauit. Quæ appellatio satis declarat fuisse illũ Episcopũ eorũ. Hactenus Theodoretus, et vbi probabilius videtur, nõ fuisse Episcopum Philippensiũ, quia non nu-*

Quomodo ministeriũ episcopi ministerium Apostolatus sit.

Epaphroditus Philippensium Apostolus.

non numeratur à Clemente Rom. libro VII. *de Const. apost. inter episcopos, quos apostoli, dum viuerent, ordinarunt in ciuitatibus eis assignatis, sed fuisse eorum magistrum, idque significare Paulum, cum eum vocat apostolum Philipp. Sic Chry. & eum secutus Theophyl. siue igitur Paulus Epaphroditum vnius magnæ ciuitatis episcopum, ad quem non pertinebat præceptum eundi in vniuersum mundum, & docendi omnes gentes, sed vt Ecclesiam suam, cui præpositus erat, doceret, & gubernaret, apostolum vocat, cur tu contra verbum apostoli ministerium episcopi in præsidendo Ecclesiæ suæ, in qua eum spiritus S. posuit, ministerium apostolatus esse negas? siue magis placet, vt apostolum Philippensium vocet, quia doceret eos verbum dei, cur contra auctoritatem Apostoli episcopos, quibus inprimis conuenit in Ecclesijs sibi assignatis docere verbum dei, & non proficisci ad alias gentes, dici apostolos potestate docendi verbum, negas? & potestate ligandi & soluendi apostolorum esse successores? Vt enim apostoli vtramque potestatem episcopis, quos ordinarunt, dederunt: sic episcopi episcopis, quos ordinant, dant. Dicendum est de te, quod S. Epiphanius de Aerio hæretico, qui dicebat, episcopos & presbyteros æquales esse, ἠπάτησεν αὐτὸν ἡ ἐρχελία καὶ ὁ ζῆλος: id est, nugacio, & liuor eum decepit, sic te etiam inuidia, liuor, & maleuolentia, & nugandi studium, ad negandos nobis Apostolorum successores adduxerunt, ne si non negares, necesse esset, dare pontificem Rom. successorem Petri, & Bonifacium Germaniæ Apostolum. sic enim multi veteres auctores vocant, qui te cum Protestantibus, velis, nolis miser, in die iudicij iudicabit. Audi quid apostolica doctrina in libro vij. Clementis Rom. in extrema fere pagina dicat, postquam descripsit Clemens Catalogum eorum Episcoporum, quos sancti Apostoli, dũ viuerent, ordinarunt, & ciuitatibus præfecerunt, subiunxit statim Clemens in persona Apostolorum,* αὐτοί εἰ ὑφ' ἡμῶν ἐμπιστευθέντες τὰς ἐν κυρίῳ παροικίας, ὧν τῆς διδασκαλίας μνημονεύοντες παραφυλάσσεσθε τοὺς ἡμετέρους λόγους, καὶ ἔσῃ ὁ κύριος μεθ' ὑμῶν νῦν τε καὶ εἰς τοὺς ἀτελευτήτους χρόνους, ὡς αὐτὸς εἴρηκεν ἡμῖν μέλλων ἀναλαμβάνεσθαι πρὸς τὸν ἑαυτοῦ θρόνον καὶ πατέρα. ἰδοὺ γάρ, φησίν, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, ἀμήν. *Hi, inquit, sunt, quos para-*

Quomodo contra verbũ Apostoli negetur, ministeriũ episcopi ministerium apostolatus esse.

Quæ Antoniũ, & Protestãtes inducant ad negandum nobis Apostolorũ successores.

Quòd Bonifacius Germaniæ Apostolus Protestãtes & Antoniũ Sadeelem cum eis in die iudicij iudicabit.

præcijs in domino præfecimus; quorũ doctrinæ semper memores seruate sermones nostros; & sit dominus vobiscũ nunc, & in infinita sæcula; vt ipse nobis dixit, cum esset ad Deum suum, eundemq; patrem ascensurus, ecce ego vobiscũ sum vsq; ad consummationem sæculi, amen. Interpretatus est Clemens in persona apostolorum, qua ratione sit Christus cũ Apostolis in hac vita vsq; ad consummationem sæculi, sicut promisit ascensurus in cælum, ratione scilicet successionis episcoporum, quos apostoli, dum viuerent, ordinarunt, quibus doctrinam suam tradiderunt, & illi item alios ordinarunt, in quibus quia tamquam in successoribus censentur esse primi illi ordinatores, & magistri apostoli, quandiu Christus est cum successione ista episcoporum ab illa prima ordinatione episcoporum ab Apostolis facta proficiscentiũ, tandiu est, & erit vsq; ad consummationem sæculi cum Apostolis in Ecclesia. nunquam enim deficiet successio ista vicariæ ordinationis episcoporum. Itaque cum hoc, quod Apostolica doctrina hic præcipit, memores scilicet esse doctrinæ illorum episcoporum, quos ipsi Apostoli ordinarunt, & docuerunt, sic enim fieri, vt doctrina ipsorum apostolorum seruetur, nobis etiam, qui nunc sumus, præcipiat; consequens est, vt per successionem episcoporum illa ipsa doctrina, quam apostoli illis episcopis à se ordinatis tradiderunt, & illi alijs à se item ordinatis, ad nos vsque perducta sit, alioqui non hoc ad nos pertineret, quod apostolica doctrina nunc monet, & iubet, vt memores doctrinæ illorum episcoporum, seruemus doctrinam Apostolorũ. Confirmat hoc sanctus Irenæus libro 3. contra hæreses c. 3. sic enim ait, Traditionem itaq; apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus annunciare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesijs, & successorum eorum vsq; ad nos, qui nihil tale docuerunt neq; cognouerunt, quale ab istis deliratur. Protestantes igitur, qui successionem episcoporum ab ipsis illis sanctis Apostolis ordinatorum non habent, non possunt meminisse doctrinæ à sanctis apostolis Ecclesiæ Dei per successionem Episcoporum, quos ipsi primum ordinarunt, traditæ neq; cum pastoribus eorum dominus est, quia non sunt successores

Apostolica doctrina à Clemente Romano scripta.

Quomodo ratione successionis episcoporũ in locum Apostolorũ, sit dominus cũ Apostolis in hac vita vsq; ad consũmationẽ sæculi, sicut ipse promisit.

Quomodo per successionem episcoporum factum sit, & fiat, vt doctrina Apostolorum quã episcopis, quos ordinarunt, tradiderũt, vsq; ad nos perducta sit.

Quomodo Protestãtes testimonio Apostolicæ doctrinæ nõ possunt meminisse doctrinæ Apostolorũ, quia succes-

sionem Episcoporũ ab illa radice apostolica per vicariã ordinationem proficiscentiũ non habẽt; nec Dominum pastoribus eorum quos vocãt, potest esse.

illorum episcoporum, quos Apostoli ordinarunt; ac proinde neque doctrina Apostolorum in eis est, ex quo tempore traditionem Apostolicæ doctrinæ cũ Episcopis respuerunt duce ac magistro Martino Luthero monacho apostata. Immo verbum dei expressum reiecit Lutherus, cum Episcopos sustulit. dominus enim loquens cum Apostolis expresse dixit, ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi, quod alia ratione verum esse non potest, nisi quia in Episcopis, quos Apostoli constituerunt, dum viuerent, & constituendos postea curarunt, vt tu etiam fateris, Apostolos habemus.

Quomodo verbum dei expressum reiecit Lutherus, cum Episcoporũ successione sustulit in Germania.

Et si verba successoris Apostolorum in aliquo auctore antiquo & apostolico audire desideras, audi Dionysium in Epist ad Demophilum monachum, αὐτὸς μὲν οὖν ἐπιθυμίᾳ καὶ θυμῷ καὶ λόγῳ κατ' ἀξίαν ἀφόριζε, σοὶ δὲ οἱ θεῖοι λειτουργοὶ, καὶ τούτοις οἱ ἱερεῖς, ἱεράρχαι δὲ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τοῖς ἱεράρχαις οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ τῶν ἀποστόλων διάδοχοι. Quia Demophilus monachus tantum erat, qui sæculum reliquerat, nullius autem ministerij Ecclesiastici ordinationem acceperat, tu, inquit, præscribe cupiditati, iræ, & rationi, quæ conueniunt; tibi autem diaconi, siue ministri Ecclesiæ; ministris siue diaconis præscribant sacerdotes; sacerdotibus, siue presbyteris Episcopi; Episcopis Apostoli, & Apostolorum successores. Et si vnus ordo est Episcoporum, & Archiepiscoporum, & vtrique sunt Apostolorum successores, tamen quia archiepiscoporum est ordinare, & mittere per prouincias suas prouinciales Episcopos, et eis præesse; honore & dignitate ac potestate propinquiores, & similiores sunt Apostolis, qui Episcopos mittebant, & ordinabant, quàm Episcopi, qui non mittunt episcopos, sed presbyteros, quibus præsunt: idcirco archiepiscopos tanquam maiores Episcopis ab Episcopis seiunxit, & successores Apostolorum, vocauit, tametsi vt dixi, vtrique sunt successores Apostolorum, quia idem et vnus est eorum ordo. En Antoni habes Apostolici auctoris, & Pauli discipuli testimonium, esse in Ecclesia successores Apostolorum, habes de ista successione traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, vt verbis Irenæi vtar, quam in Ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire. Quam qui pertinaciter

Quomodo Dionysius archiepiscopos ab Episcopis separet, & quare, cum sit alioqui vnus et idem ordo.

Qui sint propinquiores successores Apostolorũ

De successoribus Apostolorum

Episcopis Apostolorũ traditio per

apud

apud nos negaret, in omnibus cuncti orbis Ecclesijs siue Orientis, siue Occidentis, siue ad meridiem, siue ad septentrionē, hæreticus haberetur, & quidem periculo capitis; sicut scriptum est, tollite malum de medio vestri. Habes denique, quod premere soletis, verbum Dei expressum. Quid enim clarius dicere poterat, qui dixit sanctis Apostolis ascensurus in cælum, ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. hoc enim non poterat aliter præstari, nisi loco Apostolorum, qui morte prohibebantur permanere, alios dominus in Ecclesia posuisset, & quotidie poneret; hi autem sunt Episcopi, quos ipsi apostoli ordinarunt, & qui illis deinceps successerunt, & vsque ad consummationem sæculi, quandiu Ecclesia durabit, successuri sunt. Te autem, quia quæ vera sunt, non vis in Ecclesia audire, sicut Irenæus dixit, dicam iterum ἐρεσχελία decipit, vt Sanctus Epiphanius de Cerio scripsit, id est, contentio, quæ in labijs est secundum etymologiam verbi huius, quasi dictum sit παρὰ τὸ ἔριν ἐν τοῖς χείλεσιν ἔχειν. Quia enim contentiosus es, & labia tua contentione natant, omnes nugas, quæcunque in buccam veniunt, ad contendendum per inconsiderationem, vel potius amentiam arripis. Vt illud, non esse successum Apostolis, quia dominus præcepit illis, vt irent, & docerent omnes gentes, scilicet alij alias, non enim poterat vnus Apostolus ad omnes gentes proficisci, & omnes gentes docere, immo Matthæus, & Iacobus Alphæus, vt Hippolitus martyr auctor est, Hierosolymis tantum prædicarunt. Nega igitur Apostolos fuisse, quia non sunt profecti ad omnes gentes. Et naturam apostolatus fuisse ab eis adulteratā. O diuinum παραθεολόγον, qui eum vocas ἀθεολόγον qui apostolatum, cum episcopatu confuderit, id est, qui episcopum vocet apostolum. ἀθεολόγος igitur fuit Paulus, qui, vt paulò ante dixi, Epaphroditum vocauit apostolum Philippensium, quòd ministerium Episcopatus, aut docendi verbum Dei ministerium apostolatus esset: & apostoli episcopos ordinarunt, vt eorum loco succederent, vt traditio Apostolorū in vniuersis Ecclesijs cuncti orbis prædicata testatur. Sed qui tā mira sagacitate venatus es naturā

omnes cuncti orbis Ecclesias.

Quomodo auctore Antonio Sadeele Matthæus, & Iacobus Alphæus, non fuerūt Apostoli.

Quomodo sententia Antonij ἀθεολόγος fuit Paulus.

Quomodo Antonium sagacem venatorem naturæ Apostolatus, fugit operatio miraculorũ apostolica, ministerio apostolatus necessaria.

apostolatus, quomodo solertiam tuam fugit operatio miraculorum qua voluit dominus, vt Apostoli sui doctrinam, quam omnibus gentibus prædicaturi erant, confirmarent, sicut Paulus in Epist. ad Hebr. c. 2. ait, loquens de salute, quam affert Euangelium, quæ inquit, cum initium accepisset enarrari per dominum, ab eis, qui audierunt, (hi sunt apostoli) in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. An videbatur tibi minus ad ministerium apostolatus necessarium, facere miracula, quàm proficisci ad omnes gentes infidelium, vt prædicarent Euangelium, cum apostolus dicat, signa fieri propter infideles? quid diceres, si hodie vtrumque horum cerneres in aliquo episcopo, ire scilicet ad prædicandum infidelibus, & cum opus esset, fieri ab eo miracula secundum voluntatem Dei? concederes ne esse successorem apostolorum? Dubitabam mecum, quid responsurus esses, quia penè oblitus eram alterum, quod requiris, & ad naturam apostolatus pertinere dicis, ordinari scilicet ἀμέσως, id est immediate à Christo. Age ergo Antoni, putas ne minus episcopum fuisse Iacobũ fratrem domini, quem Petrus, Iacobus, & Ioannes episcopum Hierosolymæ ordinarunt, quàm fuerunt ipsi ordinatores, qui à Christo in die Pentecostes per aduentum spiritus sancti cum reliquis apostolis ordinati sunt episcopi? hoc enim Dionys. Areop. in Ecclesiæ Hier. testatur, & Hieron. in dialogo cõtra Luciferianos, & multi alij, ne omnes enumerem. Non legisti, quod Paulus de ordinatis pastoribus non ἀμέσως à Christo, sed per ministerium Pauli dixit Mileti, attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quid igitur amplius requiris, si is, qui ministerio hominis ordinatus est, non minus à spiritu S. ordinatus est, quàm qui ἀμέσως ab eodem spiritu S. ordinatur? an maior erat auctoritas verbi Dei, cum à Christo ipso prædicabatur, quàm cum à ministris eius legitimis nunc prædicatur? minime. Similiter dicendum est de ordinatione episcopi, siue à Deo fiat ἀμέσως, vt in Apostolis facta est, siue à Deo fiat μεσιτευτως, id est, mediate à Deo, per ministe-

Negat Antonius Episcopos esse successores apostolorũ, qa Apostoli immediate sunt ordinati à Christo, quasi minus episcopi sint, qui mediate ordinantur.

Quomodo eiusdem auctoritatis est episcopus siue à Deo immediate ordinatus, siue per ministeriũ hominis; sicut eadem est auctoritas.

rium,

rium, inquam, hominis, eiusdem auctoritatis est. Denique si per ministerium hominis, id est, Moisis, Deus Aaronem summum sacerdotem, & pontificem consecrauit, vnxit, & pontificali ornatu induit, cur non pateris similiter per ministerium hominis Pontificê Petri successorem, & episcopos Apostolorum successores consecrari, & ordinari? aut si ad concedendum nobis successores apostolorum tã insane requiris illud ἀμέσως, id est, immediate, restat, vt Matthiam neges numerum vndecim impleuisse, aut ei aliquid putes de natura apostolatus defecisse, quia non est ita ἀμέσως electus à Christo, sicut cæteri apostoli. Elegisse enim duos ex omnibus, qui cum Apostolis congregati erant, & statuisse illos, id est, præsentasse, vt nũc loquuntur, & orasse dominũ, vt ostenderet, vtrũ illorum elegisset, aliquid ministerij intermedij fuit. Dominus autem signo mirabili super Matthiam ostenso, siue splendoris, siue ignis, vt in die Pentecostes, quod signum, siue donũ diuinum, vt Dionysius vocat, scriptura vocauit sortem, vt idem Dionys. in Eccl. Hier. c. de sacris ordinationibus interpretatur, illo inquã signo ostenso declarauit dominus Apostolis, se Matthiam elegisse, & ordinasse. simul etiam docuit, vt idem Dionys. ait, non debere episcopum sacras ministrorum ordinationes facere αὐτοκινήτως, ἀλλ' ὑπὸ θεῷ κινουμένη, id est, non suam voluntatem, sed Dei in ordinationibus faciendis sequi oportere. Ac sane quidem licet hic mirabilem Dei prouidentiam contemplari. Quia enim eò processurus erat hæreticorum furor, & insania, & odium in summum hierarcham, & in reliquos episcopos, vt, quia episcopi non ordinantur in Ecclesia ἀμέσως, id est, immediate, negarent esse apostolorum successores, idque quò maiore licentia traditionem apostolorum per episcopos eorum successores Ecclesijs transmissam negare possent; prouidit dominus vt in electione vnus ex choro 12. apostolorũ, aliquid ministerio apostolorum fieret, ne omnino ἀμέσως ordinatus esse diceretur, & esset. Non enim dicturus est Antonius Sadeel, nihil fecisse Apostolos, cum ex centum viginti, qui cum apostolis congregati erant, duos elegerunt, & in medio statuerunt, & orarunt, reseruantes Deo alterius illorum electionem ratam, quam dominus

verbi Dei, cum à ministro legitimo prædicatur, sicut erat, cum ab ipso Christo prædicabatur.

Quomodo, si ad naturã apostolatus omnino requiratur ordinari sine medio, sequitur, aliquid de natura apostolatus defuisse Matthiæ.

De electiõe Matthiæ, & de sorte, quæ cecidit super eum, quid sit.

Quorsum spectauerit diuina prouidentia, vt in electiõe, & ordinatione Matthiæ aliquid ministerio Apostolorũ fieret.

Quomodo aliquid simile fiat in ordinatiõe episcoporũ vsfactũ est in ordinatiõe Matthiæ.

signo diuinitus dato ostenderet, sicut fecit. Aliquid non dissimile fit in ordinationibus episcoporum in Ecclesia; cum clerus eligit assentiente populo, (non enim inuito, & renuente populo episcopus Ecclesiæ præficitur secundum Canonem Apostolorum) & dominus per signum sensibile impositionis manuum episcoporum à sanctis Apostolis, sicut à Christo acceperunt, traditum, dat diuinitus potestatem ligandi, & soluendi, quam sanctis Apostolis dedit. Sed videamus, quæ de pontifice Rom. nominatim disputas; sic enim ais;

„ Romanus autẽ Pont. quo tandẽ iure sibi apostolatũ vendicat? quia, *inquis*, est Romanæ Sedis episcopus. *sic facis me respondentẽ, vt tuo more falsum sumas ad argumentandũ. Ego. n.*

Cõmentum Antonij Sadeelis, & nobis affingit de suo.

non hoc dico, quod tu fingis à me dici, Pontificem Romanũ sibi Apostolatũ, id est, pontificatum vendicare, quia sit Romanæ Sedis Episcopus; sed quia est successor Petri, super quẽ Christus Ecclesiam suã ædificauit. Petrus enim caput Ecclesiæ erat, cũ sedit Antiochis, antequã ad Romanam Sedẽ veniret. Et si pontifex hodie in aliã ciuitatem sedẽ transferret, nõ minus pontifex esset quã hodie in Romana sede est. Diuinasti aũt hanc meã responsionẽ, sed eã

„ *rursus refellis hoc modo;* Quid, *inquis*, si dicat, quia Petri succes-

„ sor est? at ne Petri quidem successorem alia ratione si-

„ bi tribuit, quã propter Ecclesiã Romanã; nulla igitur rationе pontifex Romanus apostolatus officiũ sibi arrogat.

Cõmentum Antonij, dici à nobis episcopũ Romanũ vni Ecclesiæ Romanæ tantũ & omnibus simul Ecclesijs præesse.

Semper sumis falsum ad concludendũ, vt sit ratio tua semper ἀσυλλόγιστος. non enim successor Petri est propter Ecclesiam Romanã, vt tu fatue dicis, & putas, sed quia Pontifex Rom. successor Petri principis apostolorum, & totius Ecclesiæ est, idcirco in principe & matrice omniũ Ecclesiarum Ecclesia Romana sedet. Neq; repugnat, vni Ecclesiæ Romanæ & omnibus simul Ecclesijs præfectũ esse, non vt tu finxisti à nobis dici, vni Ecclesiæ Romanæ tantũ, & omnibus simul Ecclesijs. Ecclesia itaq; Romana, & omnes aliæ cũcti orbis Ecclesiæ vnã Ecclesiã Catholicã efficiunt; & vna Ecclesiæ Romanæ diœcesis & cæteræ omniũ aliarũ Ecclesiarũ diœceses vna diœcesis sunt, cui summus pontifex præfectus est. Si mihi nõ credis, crede Antoni celeberrimæ Synodo Chalcedonensi, lege Canonem

Quod Ecclesia Romana & omnes aliæ Ecclesiæ catholicæ cuncti orbis vnã Ecclesiã catholicam efficiũt; cui præest successor Petri.

eius

eius XVII. *si clericus (inquit) habet causam aduersus episcopũ proprium, vel aduersus alterum, apud Synodum prouinciæ iudicetur. Quod si aduersus eiusdẽ prouinciæ metropolitanum Episcopus, vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos; aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ. Hunc canonem interpretatus est Nicolaus primus sanctis. Et eruditissimus pontifex in epist. ad Michaelem imperatorem ante annos prope octingentos, in quo, inquit, hic tenor obseruandus est, vt si videlicet clericus, aut episcopus aduersus metropolitanũ habet querelam, & tanta vrgetur necessitate, vel si hoc graue non ferat, vbicunq; sit positus, primatẽ diœceseos petat. Quod si iuxta Constantinopolitanam vrbem quisquã eorum constitutus, & solius præsulis iudicio velit esse contẽtus, petat eandem regiam vrbem. Cum enim dixisset, petat primatem diœceseos, præceptum posuit eadẽ sancta Synodus, regulamq; cõstituit: cũ verò disiunctiua coniunctione addidisset, aut sedẽ regiæ vrbis Constantinopolitanæ, liquet profectò, quia hoc secundum permissionem indulsit. Ergo saltem nunc nõ videtis ad maiora semper esse properandum? & quanto magis ad potioris auctoritatis iudiciũ tenditur querimonia, tanto adhuc maius culmen petendum est, quousq; gradatim perueniatur ad eam sedẽ, cuius causa aut à se meritis exigentibus in melius commutatur; aut solius Dei sine quæstione reseruatur arbitrio. Deinde subiungit, quem autem primatem diœceseos sancta Synodus dixerit, præter Apostoli primi vicarium nullus penitus intelligitur; ipse enim est primas, qui & primus habetur, & summus. Ne vero moueat, quia singulari numero diœceseos dictum est, sciendum est, quia tantundem valet, dixisse primatem diœceseos, quantum si perhibuisset diœceseon. Plenæ enim sunt scripturæ tali forma loquutionis. Deniq; scriptum est, fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ. Qui enim non ait, vnus fons ascendebat è terra, sed ait, fons autem ascendebat è terra, pro numero plurali posuit singularẽ, vt sic intelligamus fontes multos per vniuersam terram, loca, vel regiones proprias irrigantes &c. Hactenus Nicolaus Pontifex pergamus ad reliqua. sequitur enim:*

Testimoniũ Synodi Chalcedonensis, diœcesim Ecclesiæ Romanæ & diœceses omniũ aliarum cuncti orbis Ecclesiarũ vnam diœcesim facere, cui præest episcopus Romanus.

CAP.

CAPVT XV.

Quomodo Pontifex Petro succedat, & quomodo reliqui episcopi Apostolis, & quæ Gennadius scholarius scripserit in eos, qui successores Apostolorum negabant, sicut Antonius. Et quomodo Pont. omnes gentes doceat, & de studio & solicitudine eius in hac parte, & de potestate ligandi & soluendi data cæteris Apostolis à Christo per Petrum, quia primò & singulariter summa potestas data est Petro, & de tabulis diuini iuris, quas exhiberi postulat Antonius in successoribus Petri, & de auctoritate traditionis Apostolicæ sine scripto.

IAm de posteriori agendum est, nempe de
» modo electionis; dico igitur ἀμέσως eligi, &
» vocari à Deo ad prędicandam Euangelium
» esse ἐυσιῶδες ministerio apostolatus. Hoc e-
» nim argumento firmissimo probat Paulus,
» se esse Apostolum cap. 1. ad Galatas: Pontifex autem ab
» hominibus eligitur, (at quibus modis? qua via? quibus
» artibus?) neque quidem ad Euangelium omnibus genti-
» bus prædicandum; non est igitur Apostolus, & proinde
» non est successor Petri in apostolatu. sic enim Christus,
» profecti docete omnes gentes: Romanus autem ponti-
» fex sedet in sublimi solio, nullamque docet gentem, ne-
» dum omnes. Quibus igitur rationibus nobis persuade-
» bis Turriane, aut, vt loqui soles, conuinces, illum esse
» Petri successorem? *si tu scripturas didicisses, non ignorares, sanctos Apostolos primitias spiritus accepisse, sicut Apostolus Paulus ait in Epist. ad Rom. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis nostri. Primitias spiritus vocat Apostolus secundum consuetudinem scripturæ, illa copiosiora & excellentiora charismata spiritualia sanctis Apostolis data. sic Christus dictus est primitiæ dormientium, quia primus perfectissimè sua scilicet virtute resurrexit, non amplius moriturus: & aliàs primogenitus ex mortuis, quòd eum tãquam primitias*

De primitijs spiritus, quas sancti Apostoli acceperunt.

sequi

sequi debeat τὸ φύραμα, id est, conspersio, siue massa. Quæ est Ecclesia primogenitorum, qui conscripti sunt in cælo. Sic in lege ex fructibus arborum tribus primis annis non offerebantur primitiæ, quia arbores erant infirmæ, & fructus tenuis, quarto anno offerebantur primitiæ propter copiam; & maturitatem perfectam. Itaq; ratio primitiarum consistebat in perfectione fructus; sic ratio primitiarum spiritus in Apostolis consistebat in excellentia & copia charismatum, quæ illis donata fuerunt, quia primi erant Euangelium omnibus gentibus annunciaturi; & per verbum eorum primũ gentes vbiq; creditura; illorum fuit proprium eligi ἀμέσως, tametsi in Matthiæ Apostoli electione aliquid ministerij hominum, vt antea dixi, adhibitum est. Nos verò Antoni non dicimus, pontificem Romanum esse successorem Petri nec episcopos Apostolorum esse successores in illis primitijs spiritus, quas habuerunt; sed in potestate ligandi, & soluendi, quam dedit Christus beato Petro, succedit episcopus, qui in locum eius ordinatur: & in potestate ligandi, & soluendi, quam dedit cæteris Apostolis per Petrum, succedunt cæteri episcopi, qui per episcopum Petri successorem potestatem ligandi, & soluendi accipiunt. Non enim aliter fieri poterat vt sæpius dictum est, vt vnum esset regnum Christi spirituale in terra, & vna Ecclesia Catholica tanquam vna domus Dei magna, nisi esset vnus princeps Ecclesiæ, & vnus pater familias, & vnus summus sacerdos; qui esset, vt beatus Cyprianus ait, exordium vnitatis, & sacerdotij. Quod cum negas, non solum cum scriptura, cum auctoritate apostolicæ traditionis, quæ in omnibus mundi Ecclesijs prædicatur, & cum omnium doctorum, & veterum patrum testimonijs, sed cum natura ipsa pugnas. Si tu non vis esse ex illis, qui dicunt tantum, & non probant, confuta nostram scripturam scriptura; nostra testimonia testimonijs veterũ; naturam natura; traditionẽ traditione. Tenta hoc genus disputandi, si causæ tuæ cõfidis. Hæc omnia nos facimus contra vos disputantes, neque tamen persuademus, conuincimus tamen, licet neges: nisi enim pertinaciter negares, hæreticus non esses. sic scripsit beatus Hier. magnus auctor, vt scis, & acerrimus, & grauissimus disputator aduersus Lu-

De ratione primitiarũ in offerẽdis fructibus arborum in veteri lege, & de ratiõe primitiarũ spiritus.

Q omodo propriũ fuit Apostolorum & quare, eligi sine medio à Christo.

In qua potestate succedat Petro, qui in locũ eius ordinatur, & in qua, & quomodo succedant reliqui Episcopi reliquis Apostolis.

Qui negat successorem Petri in Ecclesia, cum quibus pugnet.

ciferianos disserens, conuincere quidem hæreticos possumus, suadere eis non possumus. Cum igitur à me percontaris inquiens, quibus igitur rationibus nobis persuadebis Turriane, aut, vt loqui soles, conuinces, illum esse Petri successorem? *responsum habeto, quibus te hactenus conuici, licet non persuaserim: aut si plura vis, addam etiam, quæ Gennadius Scholarius patriarcha Constantinopolitanus, qui Synodo Florentinæ ex Græcis, & Latinis coactæ interfuit, in eos scripsit, qui, sicut tu, successorem Petri, & successores aliorum Apostolorum tollebant. Postquam in oratione quinta de principatu pontificis, testimonium Damasceni, vt cætera omittam, ex sermone eius de transfiguratione recitauit, in quo Petrum vocat* πρόεδρον καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας δεχόμενον τὰ πηδάλια, *subiungit idē Gennadius,* ὁρᾷς ὡς προέδρῳ τῷ πέτρῳ, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας ἔχοντι τὴν ἀρχὴν, προὐχειρίσατο τὰ πηδάλια; οὕτως ἀσπίδι κωφῇ, καὶ βυούσῃ τὰ ὦτα παρόμοιοί εἰσιν οἱ μὴ ἀκούειν καὶ βλέπειν ἐθέλοντες. ναί φασιν, ἀλλὰ τῷ πέτρῳ μόνῳ ἐδόθη τοῦτο, οὐ μὴν δὲ καὶ τοῖς διαδόχοις αὐτοῦ. τοῦτο δέ ὡς μωρῶν ἀνθρώπων ἀπόθεγμα, καὶ μηδαμῶς ἄιθησιν ἐχόντων ὑπάρχον. ἔδει μὲν ἡμᾶς ἐᾶσαι ἀναπολόγητον, ὅτι κατὰ δίκαιον λόγον οὐ χρήζει τὸ παράπαν ἀπολογίας τινός. διὰ δὲ τοὺς βουλομένους γενναίως ἐκείνους ἀμύνασθαι, ἐλέγξωμεν αὐτὸ ὡς ἀπαιδευσίας ἀνάπλεων. εἰ τῷ πέτρῳ μόνῳ καὶ τοῖς ἀποστόλοις ἐδόθη, οὐ μὴν καὶ τοῖς διαδόχοις αὐτῶν, ὦ μωρίας φανερωτάτης, ὦ διανοίας διεστραμμένης, πῶς αἱ σύνοδοι ἐγένοντο συναιστῶσαι τὴν ἐκκλησίαν; πῶς κανόνες συνοδικοὶ γεγόνασιν, εἰ ἐξουσάιν οὐκ εἶχον; πῶς κωσταντίνος ὁ μέγας τῷ σιλβέστρῳ τὴν ὑποταγὴν δέδωκε ὡς τῷ πέτρῳ, καὶ οὐκ ἔλαττον; *& paulo post.* πῶς οὖν οὐκ αἰσχύνεσθε λέγειν τοιαῦτα; πως αἱρετικοὶ ἀπεσκορακίσθησαν παρὰ τοῦ ἄκρου ἀρχιερέως καὶ τῶν ἱερῶν συνόδων, εἰ μέχρι τῶν ἀποστόλων ἡ ἐκκλησία ἐδύνατο, μετὰ δὲ ταῦτα οὔ; πῶς δὲ οὐκ εἶπον τοῦτο οἱ κατὰ καιροὺς ἐχθροὶ καὶ πολέμιοι τῆς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας οἱ αἱρετικοὶ δηλονότι: ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἐλαυνόμενοι καὶ διωκόμενοι παρὰ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας, τολμῆσαι εἰπεῖν τοῦτο οὐκ εἶχον· ὑμεῖς δὲ νῦν λέγοντες τοῦτο, φαίνεσθε ὑπεραπολογούμενοι ἐκείνων. δεῖ οὖν Αρειον μακεδόνιον, καὶ Ευνόμιον, Νεστόριον, Διόσκορον, σεβῆρον, καὶ τὴν λοιπὴν ἐκείνην τῶν αἱρετικῶν δυσσεβῆ χορείαν ἀναστῆναι, καὶ χάριτας ὁμολογῆσαι καὶ ἀποδοῦναι ὑμῖν, ὅτι ἅπερ ἐκεῖνοι οὐδ' εἰς νοῦν ἐπεμνήσθησαν εἰπεῖν, ὑμεῖς ἐκείνων ὑπερασπιζόμενοι λέγετε. ἀλλ' ὅτι πολλὰ καὶ ἄπειρα ἀπὸ τούτου ἀναφανήσονται ἄτοπα, καὶ τυφλοῖς δῆλον. διὰ τοῦτο ἅλις μὲν περὶ τούτων. *reddamus latinè: Vides quēadmodū Petro præsidi, & cūctæ Ecclesiæ principatū habenti:*

Quę Gennadius Scholarius contra eos scripsit, qui negabāt successores Apostolorū, ex quibus est Antonius Sadeel.

benti gubernacula commisit? sic sunt aspidi surdæ, & aures obturanti similes, qui audire, & videre nolunt. fatemur, inquiunt; verum Petro solum datum est hoc, non autem successoribus eius. Oportebat nos ad hoc dictum hominum fatuorum, & sensu carẽtium nihil respondere, quoniam meritò nulla penitus responsione indiget, sed propter, eos qui istos volunt fortiter repellere, redarguamus eorum dictum tanquam insipientia plenum. si Petro tantum datum est, (scilicet vt præesset toti Ecclesiæ, & eius principatum haberet, quod isti concedebant, & non successori eius, nec alij Apostoli successores reliquerunt) ô stultitiam omnibus manifestam, ô mẽtem peruersam, quomodo habitæ sunt Synodi ad fulciendam Ecclesiam? quomodo facti sunt Canones, si potestatem non habebãt? Quomodo magnus Constantinus misit se sub potestatem Siluestri tanquã Petri? quomodo non pudet hæc dicere? Quomodo hæretici à pontifice, & à sanctis Synodis electi sunt, si Ecclesia, quandiu fuerunt Apostoli, potestatem habebat, postea verò non? quia scilicet non remanserunt successores? Quomodo hæretici, inimici & hostes Ecclesiæ non hoc suo tempore dixerunt? illi enim, cum alioqui ab vniuersa Ecclesia exagitarentur, non tamen hoc dicere audebant, vos verò cum nũc hoc dicitis, illos defendere videmini. oportet igitur, vt Arius, Macedonius, Eunomius, Nestorius, Dioscorus, Seberus, & reliqui hæretici excitati à mortuis, vobis gratias agant, quòd quæ illis ne in mentem quidem venerunt, vt dicerent, vos facti illorũ defensores dicitis. Sed quòd infinita alia absurda hinc sequantur, vel cæcis est manifestum. Idcirco de his satis. Hactenus Gennadius. Quod autem dicis, ne quid præteream, Romanus pontifex sedet in sublimi solio, nullamq; docet gentem, nedum omnes; hoc quoq; falsum est, ex contentione, & liuore tuo, atq; odio pontificis scaturiens. An videtur tibi in sublimi solio requiescere, qui est de omnibus Ecclesijs solicitus? aut non esse genus quoddam docendi omnes gentes, prouidere, vt omnes mundi Ecclesiæ catholicos episcopos habeant, qui sanam doctrinam de cathedra Petri, in qua sedet, proficiscentem populos eis commissos doceant? vt id ipsum dicant omnes Ecclesiæ, & non sint schismata? an non

Quomodo pontifex omnes mũdi gentes doceat.

an non pascebat Petrus, cum absens scribebat ad Episcopos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè, nec vt dominantes in cleris, sed forma gregis facti? dices fortasse non hoc facere pontificem: si te rogem, quomodo scis? aut quis tibi hoc dixit? nullos testes nisi de domo tua produces. Ego verò, ne mihi idem obiectes, si aut ego testimonium dicam, aut alios testes citem; tabulas profero non diuini iuris, quæ hic locum non habent; registra dico, sic vulgo vocant volumina literarum, quas de causis Ecclesiasticis, & spiritualibus ad Ecclesias, & earum episcopos, ad reges, ad principes, ad populos, & ciuitates, ad varias nationes, gentes, ac regna perpetuo scribunt. Neq; si velint pontifices, aliud facere possunt. Ipsæ literæ testes tibi erunt, pontificem Romanum non requiescere in sublimi solio, neque cessare in docendo, & prouidendo ouibus cuncti orbis sibi commissis ab eo, qui Petro dixit, pasce oues meas. Testis item est frequens & assiduus senatus, quem vocant consistorium Cardinalium, quos fecit sibi, oculos, aures, manus & pedes, vt tuus Aristot. in 3. de rep. libro, de principibus & regibus dicit. Quomodo igitur potest cessare immo respirare, qui ad prouidendum tam multa tot oculis videt? tot auribus audit? tot manibus agit? tot pedibus perambulat? aut si nec his testibus credis, sit tibi testis locupletissimus breuitas ipsius vitæ, quam fere degunt tot curis, & negotijs, ac solicitudinibus vniuersæ Ecclesiæ confecti. Si bini oculi & binæ aures multas occupationes, curas, negotia, solicitudines vni patri familias in vna parua domo afferre solent, quid multi oculi, multæ aures, multæ manus, ac multi pedes vni pontifici in vniuersa Ecclesia, quæ est ingens quædam domus Dei, efficient? Dic Antoni, cum Apostolus reliquit Cretæ, quæ multas habet ciuitates non paruas, Titum, vt constitueret presbyteros per ciuitates, & ea, quæ deessent, corrigeret, putas reliquisse illi locum, vt in solio sedens requiesceret? non credo, sic putabis. At si tu catholicus esses, quanto minus otij existimares relictum esse pontifici ad sedendum in sublimi solio, vt dicis,

Quæ sint testimonia, non cessare pontificem vllo tempore, in prouidendo ouibus cuncti orbis sibi commissis.

Quos sibi fecerit Pontifex oculos, aures, pedes manus, vnde solicitudo maior ad pontificē redundat quia plura videt pluribus oculis: plura audit pluribus auribus; plura loca perambulat pluribus pedibus.

cui do

cui dominus in Petro iußit pascere oues suas, id est, quæcunq; essent in vniuerso mundo oues Christi; id enim significat, vt antea probatum est, ius sermonis Græci in illo loco Ioannis: in pascendo autem omnes Christi oues commissas, in primis continebatur constituere episcopos per vniuersas mũdi Ecclesias: & corrigere ea, quæ vbiq; deessent. Vt enim Paulus non omnia, quæ deerant Cretæ, correxit: sic neq; Petrus, neq; Paulus, neq; cæteri apostoli omnia, quæ tunc deerant, aut processu temporis deesse poterant, correxerunt. Permulta enim successoribus constituenda, corrigenda, & disponenda, vt necesse erat, reliquerunt. Vide enim quid tuus Arist. duce sola ratione naturali libro 2. de rep. scripserit, sunt autẽ, inquit, hoc quoq; tẽpore magistratus, qui de rebus quibusdã arbitratu suo iudicãt; vt iudex de ijs, quæ lege definiri nequeũt: vt lex non optime imperare, ac iudicare posse videatur. nam quæ constituere lex potest, de his ambigit nemo. Sed quoniã res quasdam, leges cõplecti possunt, quasdam non possunt, hinc controuersia, & dubitatio nascitur, vtrũ optimarum legũ, an optimi viri imperio ciuitatẽ administrari præstet. Nam de quibus rebus deliberatur, hæ sunt, de quibus leges ferri non possunt; non est igitur dubiũ, quin hominem esse necesse sit, qui de rebus huiusmodi iudiciũ ferat. Hactenus ille. Sed fortaßis inquies, quomodo vnus ista, quæ dico, in omnibus mũdi Ecclesijs prouidere poßit? Audi Antoni, vnde non est facile venire ad pontificem ad accipiendas episcoporum ordinationes propter longinquitatem, habet illic pontifex, cui auctoritatem det confirmandi electiones, & ordinationes episcoporũ, vt apud Indos: sicut Leo magnus habebat Thessalonicæ, qui ordinatiões episcoporũ totius Orientis confirmaret. Regula aũt iuris Canonici est, qui facit per aliũ, est perinde, ac si faciat per se ipsum, immo etiã regula iuris ciuilis, quo me dicis delectari: sic enim ait Vlpianus, deiecisse autẽ is videtur, qui mãdauit, vel iußit, vt aliquis deijceretur; parui enim referre visum est, suis manibus quis deijciat, an per aliũ. Quæ aũt desunt in Ecclesijs, pleraq; corrigũtur per Synodos prouinciales, quæ certis & statis tẽporibus habẽtur & auctoritate pontificis cõfirmantur, ita fit, vt omnia, quæ desunt in vniuersa Ecclesia,

Quod permulta sancti Apostoli reliquerũt successoribus constituẽda & corrigenda in Ecclesia & ita necesse fuisse, ratio naturæ insita docet, vt ex ijs, quę Aris. in politicis scripsit, intelligi potest.

Quomodo vnus pontifex in omnibus mũdi Ecclesijs prouidere potest, quæ ad ordinationes omnium episcoporũ approbãdas, & ad corrigenda, quę in Ecclesijs desunt, pertinent.

Regula Iuris Canonici, & ciuilis.

Quomodo omnia, quæ in Ecclesia desunt, pontifex corrigit, sicut Paulus Tito præcepit vt q̃ in Ecclesia Cretẽsi centum vrbium deessent, corrigeret.

Quomodo ad pontificẽ Petri principis Apostolorum successorem tanquã principem omnium patriarcharum pertineat confirmare omnium archiepiscoporum, & patriarcharum ordinationes, quas faciunt, & considerare quę per prouincias agũt, & quæ desunt eis, corrigere.

Quid ab episcopo requirat Apostolus, cũ ab eo requirit, vt sit doctor.

Vnde perspici queat facile, quanto studio docẽdi pontifex Romanus hodie teneatur.

ordine, & consecio, atq; auctore pontifice emendentur, & suppleantur. Si enim ad Titum pertinebat constituere Episcopos in centum vrbibus magnis, quas Creta, vt antiqui auctores prodiderunt, habebat, idq; quia erat archiepiscopus, qui episcopis prouincialibus præest, qui sunt, sicut est in canone Niceno 39. sicut fratres minores, qui archiepiscopo tanquam fratri maiori obedire debent; & si ad patriarcham Alexandrinum pertinet, vt per prouincias Ægypti & Pentapolis archiepiscopos, & episcopos constituat, sicut Antiochenus patriarcha per prouincias sibi subiectas; & ad patriarcham pertinet, vt quæ faciunt archiepiscopi, & episcopi ei subiecti, consideret, & quæ videantur, corrigat, quia ipse tanquam pater eorum, & illi tanquam filij, vt est in eodem canone: consequens est, vt pertineat ad episcopum Romanum, qui est, vt est in eodem canone Niceno, princeps omnium patriarcharum, quia ipsi, inquit canon, data est potestas sicut Petro tanquã vicario Christi in omnes principes Christianos, & omnes populos eorum, & in vniuersam Ecclesiam Christianam, pertineat dico confirmare, quos episcopos per ciuitates, archiepiscopi, vel quos per prouincias patriarchæ constituerunt; & quæ omnes faciunt in suis prouincijs, & diœcesibus, considerare; & quæ in illis desunt, corrigere, vt si tandẽ omnia ad vnũ referantur tanquam ad vnum caput, & vnũ patrem patrum, & vnitas Ecclesiæ Catholicæ seruetur, si exordiũ vnitatis agnoscatur. An qui hæc facit, videtur tibi Antoni sedere in Cathedra vacuus à docẽdi munere, quod tu irridens vocas sedere in sublimi solio? cum iubet Apost. in epist. ad Tim. vt sit episcopus doctor, non iubet vt omnino prædicet, & concionetur. Quid enim, si non possit docere concionando? an nullum aliud docendi genus relictum erit? & quia tu me seruatorem vocabulorum vocas, ab episcopo requirit Apostolus, vt sit διδακτικὸς, quod verbum significat, teneri studio, & cupiditate docendi. Quanto autem studio docendi cum alios, qui indigent, tum gentem Germanorum pontifex, qui hodie in cathedra Petri sedet, teneatur, testatur collegium Germanicum florentissimum ab eo institutum, & ampliss ime dotatum, in quo tam multi iuuenes huc à Deo vocati; & plerig eorum nobi-

lissimi

lissimi doctrinam catholicam à Martino Luthero Germanico hæresiarcha Germanis ereptam, diligenter, & accurate discũt, vt eã postea concionando, docendo, disputando, scribendo, conuersando restituant; & quæ ille primogenitus satanæ Lutherus ædificauit, destruant. Hoc ipsum, quod dixi, testatur etiam Collegium adolescentium nationis Græcorum, vt cum probe eruditi fuerint, Græcos, quorum est hodie mira insciti a, & per solam ignorantiam ab Ecclesia Romana dissident, doceant: quod vt facilius, & expeditius faciant, & quæ in Cõcilio Florentino Græcorum & Latinorum vno consensu concluſa, & decreta fuerunt, non ignorent, vt hactenus ignorarunt, concilium ipsum Græcè cum orationibus, & disputationibus Gennadij Scholarij Patriarchæ Cõstantinopolitani, illius tẽporis contra errores Græcorum, iam est Græcè æditum. Idem testatur collegium neophytorum, in quo neophyti litteras hebraicas, & latinas discunt, vt postea bene eruditi, Christum Iudæis ex lege, & ex prophetis demonstrent; vbi alij quoque linguam Arabicam discunt, vt apti sint ad docendum veritatẽ euangelij Turcas, & Sarracenos. Postremo hoc studium docendi omnes, quo pontifex, vt dixi, incensus est, declarat collegium Angelicum, quod Duaci instituit eodem proposito, & consilio, quo Germanicum Romæ. Sed persequamur quæ in libello tuo sequuntur: Iam, *inquis*, attende mecum, quorsum euadat præclara illa tua successionis descriptio, non ignoras, successorem, quatenus successor est, non plus habere iuris, quam habuerit is, in cuius locum successit. hoc enim discere potuisti à iuris consultis, quibus citandis video te valde delectari. Atque si tibi credimus, Romanus Pontifex Petro, & Episcopi apostolis successerunt. Hoc si ita est, non potest igitur Rom. Pontifex plus habere iuris in Episcopos, quàm Petrus habuerit in Apostolos: nam eo te adigit ipsius connexi necessitas. quare dicendum est, ex hoc tuo argumento in creandis Episcopis auctoritatem Romani pontificis nõ esse requirendam; Episcopos à Romano pontifice nõ vocandos, non instituendos, non confirmandos esse, quia Petrus neque vocauit, nec instituit, neque confirmauit Apo-

Apostolos in munere apostolico. *Ita est, vt dicis; Petrus neq; vocauit, nec instituit, neque confirmauit Apostolos in munere apostolico; sed Christus est, qui ἀμέσως, vt tu dicis, hæc tria fecit, qui eis primitias spiritus dedit, in quibus, vt paulo ante dixi, non succedunt neque pontifex Petro; nec Episcopi apostolis. Non enim habent parem, & æqualem illis apostolatum, illas primitias spiritus, quas Paulus dixit, habentem. Sed de ea potestate agitur, quæ dicitur, & est potestas clauium, quæ data est sanctis Apostolis à Christo per Petrum, à quo sacerdotalis ordo cœpit, sicut S. Anacletus in epist. 3. ait; de hac enim potestate dixit, vt antea non semel memini, Leo primus, non nisi per Petrum dedit, quicquid alijs non negauit. Cum enim hæc potestas ad pascendum, & gubernandum populum dei, & oues Christi omnes Petro commissas propriè & necessarie pertineat, nisi per vnum caput cæteris apostolis data esset, nõ potuisset gubernatio Ecclesiæ catholicæ similis esse gubernationi domesticæ, in qua vnus tantũ pater familias est caput. In hac summa potestate ligãdi, & soluẽdi reliquit Petrus successorẽ, sicut dominus instituit; & cæteri Apostoli, sicut à domino acceperunt, sub eodem capite & patre patrum Petro in potestate clauiũ successores suos reliquerunt eos, quos in Ecclesijs eis assignatis Episcopos ordinarunt, dum viuerent, quos, vt antea dixi, Clemens recenset. Sicut ergo, vt tu secundum tuos iurisconsultos dicis, successor non potest habere plus iuris, quam is, in cuius locum succedit; sic neq; minus iuris secundum eosdum iurisconsultos habere debet; at Petro datum est hoc singulariter, vt super eum ædificata fuerit Ecclesia Christi, & eidem primo, & singulariter data potestas ligandi, & soluendi, ita vt per eũ ad alios Apostolos, trãsierit vis huius potestatis; ergo in hoc iure singulari succedit successor eius, Episcopus Romanus; ita vt per eum potestas clauium regni cælorum ad alios episcopos successores Apostolorum transeat. Ad eum igitur spectat confirmatio ordinationis episcoporum, per quem à Christo eiusmodi potestas Clauium eis datur. Pergis* »» *deinde*, Miror autem, cur pontificij tantoperè de Petri suc »» cessore contendant; quasi verò si Petro successum fuerit, nec esse

Quòd nisi potestas ligandi & soluendi per Petrum cæteris Apostolis data esset tanquã per caput domus dei, quæ est Ecclesia, sicut Apost. ait, non potuisset gubernatio Ecclesiæ esse similis gubernationi domestic æ, quæ est optima omniũ, vt etiã dnæ ratione naturali cognouit philosophus.

necesse sit episcopum Romanum esse Petri successorem, qua in parte semper tua Turriane, & commilitonum tuorum argumentatio claudicauit. Etenim si titulus facit possessorem bonæ fidei, vt ad familiares tuos iurisc5sultos redeam, exhibe tabulas istius successionis. *In vtramque partem vacillas Antoni, & quia non esse Petri successorem sustinere non potes, & conscientia conuictus exitum non reperisti, reuoluis te in alteram partem, quasi verò, inquis, si successum fuerit Petro, necesse sit episcopum Romanum esse Petri successorem. Si credis nõ esse successum Petro, & tibi videris satis hoc probasse. tu enim hactenus negasti, vllos esse in Ecclesia successores Apostolorum, Quorsum ais nunc, quasi vero, si successum fuerit Petro, necesse sit episcopũ Romanum esse Petri successorem? & quasi concedas iam, velut in vtramq; partem disputans, Petro successum esse, negas tamen sequi esse episcopum Romanum successorem Petri, quia hic frenum mordes. Hic dicis semper argumentationem nostram claudicare. Sed videamus quomodo probas claudicare, id est, non sequi, vt si Petro successum sit, Episcopus Romanus sit Petri successor.* Exhibe, *inquis*, tabulas istius successionis, Petrus, *inquis*, Romæ docuit. *cur fingis nos sic argumẽtari, Petrus Romæ docuit, episcopus igitur Romanus successor Petri est? ostende vbi in libris meis aut vllius Catholici hanc argumentationem legeris; vt, si non ostenderis, sciat Academia tua commentum esse tuum impudentißimum. nec enim nos, quia Romæ Petrus docuit, argumentamur episcopum Romanum in Cathedra eius successisse; alioqui in Iudæa, in Ponto, in Galatia, in Cappadocia, in Asia, in Bithynia, & Antiochiæ, & in alijs locis, vbi docuit, haberet successores. Miror, te tam tardo, & obtuso ingenio esse ad mentiendum, vt non caueas saltem, ne in promptu sit cui uis etiam tardißimo, mendacium tuum redarguere. Deinde quasi docuisse Petrum Romæ, sumpsissem ad concludendum rationem de successione episcopi Romani, vt tu finxisti. Adiungis*, Primum postulo, vt istud etiam probes, tabulis exhibitis. Profers scripta veterum, qui Petrum Romæ docuisse, & illic martyrio

Quomodo Antonius conscientia conuictus, cũ sustinere non possit, nõ esse successorem Petri episcopum Romanum, hoc concesso aliò se vertit.

Commentũ Antonij impudens.

„ tyrio coronatum fuisse tradiderunt. Ego verò Turriane
„ posco iuris diuini tabulas; quæ si te deficiunt, & ad huma-
„ nas tabulas recurris, fatere igitur primatum Romanum
„ esse humani, & positiui iuris, non autē diuini. *prius quā de tabulis, quas requiris ad probandū docuisse Petrū Romæ, aliquid dicam; dicendū est prius tibi, esse episcopū Romanū successorē Petri, non quia Petrus Romæ docuit, sed quia, vt in cathedra Petri & capite Ecclesiarū succedat, ordinatur, & cōsecratur, sicut est in quadam oratione ex ijs, quæ ad ordinationem, & consecrationem summi pontificis adhibentur. Gratia, inquit, spiritus sancti famulum tuū perfunde, vt qui in capite Ecclesiarū nostræ seruitutis ministerio cōstituitur, tuæ virtutis soliditate roboretur. Et in alia oratione, Deus, inquit, qui Apostolum tuum Petrum inter cæteros Apostolos primatum habere voluisti, eiq; vniuersæ Christianitatis molem super humeros imposuisti, respice, quæsumus, propitius hunc famulum tuum, quem de humili cathedra sublimatum in throno eiusdem principis Apostolorum sublimamus &c. Neque minus erat Petri successor, qui ante annos ducentos, & amplius Ruinione pontifex ordinabatur, quamdiu illic sedes Apostolica fuit, quam qui nunc Romæ ordinatur. Tabulæ autem diuini iuris, quas exigis, & quas tibi exhibemus ad hoc probandum, sunt, quòd Christus dixit Petro singulariter, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & illud quod sequitur, & tibi dabo claues regni cælorum, &c. & illud postremo, pasce oues meas. Cum enim super hanc potestatem, quam Christus beato Petro fidem eius excellentissime confesso singulariter dedit, Ecclesiam suam, sicut promisit, ædificauerit, consequens necessario est, vt quia Petrus morte prohibitus fuit permanere, similiter super successores eius eandem Ecclesiam ædificauerit. An dicis tu, promisisse ædificaturum se Ecclesiam super Petrum, quandiu Petrus viueret; vt ipso mortuo, non sic esset ædificata? id est, vt tam diu Ecclesia, quæ est domus Dei, vnum caput, vnumque patrem familias haberet, quandiu Petrus in vita esset, & non amplius? quis nisi amens, & impius sic de sapientia, & prouidentia diuina.*

Quare Episcopus Romanus sit successor Petri, ex orationibus, quæ ad ordinationem eius adhibētur, intelligi potest.

Quibus tabulis diuini iuris, quas Antonius postulat, probemus, episcopum Romanum successorē Petri esse.

Quomodo qui successorem Petri negat, dementer, & impie de sapientia & prouidentia Dei sentit.

diuina iudicabit? exhibe tabulas diuini iuris, quæ hoc testentur; aut apostolicam traditionem. hic verò, quia ratio connexi, cum concesseris superius, id est, Ecclesiam Christi fuisse ædificatam super Petrum, coget concedere inferius, id est, ædificatam esse super Petri successorem, continuo negabis ædificatam fuisse super Petrum. at hoc, ne eadem, cum non necesse est, repetamus, ex verbis ipsius contextus Euangelici necessarium esse antea demonstrauimus; & interpretationem contextus à te allatam, satis refellimus. Quia verò tabulæ diuini iuris, quas exhibui, obscuræ tibi videntur, exhibui suprà alias tabulas diuini iuris tam faciles, & apertas, vt qui nullas literas didicerunt, legere & intelligere eas possint: eæ autem sunt tabulæ traditionis Apostolicæ. Vnde enim fieri potuit, vt Ecclesia per vniuersum orbem diffusa, quæ est regnum Christi regi Dauid promissum, fide teneat, Episcopum Romanum successorem Petri esse, & Ecclesiæ caput? vnde profecta est hæc fides? si fides nititur in auctoritate diuinæ reuelationis, necesse est, vt hæc reuelatio, aut per spiritum Dei scripta, aut per eundem spiritum ab ijs, qui spiritu sancto afflati in Ecclesia loquebantur, & sermone docebant, tradita sit. An putas Antoni, minus iuris diuini fuisse tabulas eorum, quæ Paulus per Epistolam ad Thessalonicenses scripsit, quàm eorum, quæ sine scripto per sermonem eisdem tradidit? non potes negare vnas & alteras tabulas ex æquo iuris diuini esse, cum de vtrisque dicat, itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Vos igitur non statis, sed cecidistis, qui tabulas traditionum Apostolicarum, id est, νόμιμα ἄγραφα abiecistis omnia, quæ duce ratione naturali Plato, & alij Philosophi, qui de rep. scripserunt, ita necessaria esse iudicarunt, vt leges scriptæ sine his consistere, & conseruari non possint Sic etiam Magnus Basilius, & alij patres ista sine scripto tradita vocant νόμιμα ἄγραφα, eodem verbo vsi quo Plato. quid respondebis, si à te quæram, quæ scriptura dicit tibi, nullas nisi scriptas pro tabulis diuini iuris habendas esse? si

Quomodo vniuersa Ecclesia fide teneat, episcopum Romanum successorē beati Petri esse: idq; fieri nō potuisse, nisi hæc fides ex apostolica traditione profecta esset.

Nō esse minus iuris diuini tabulas Apostolicas scriptas, quā sermone sine scripto traditas.

Quæritur ab Antonio Sadeele, quę scriptura dicat, nullas tabulas diuini iuris esse habendas nisi scriptas.

nullas tuas tabulas diuini iuris, quæ hoc dicant, exhibere potes, quomodo probabis quod dicis, si te tabulæ diuini iuris deficiunt? immo non solum deficiunt, sed nobis tabulæ scriptæ diuini iuris cõtra te suppetunt. Quia apoſt. scripsit, vt modo dixi, ad Thess. state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Sed quia, sicut dixit, siue per epistolam nostram, similiter intelligendum est, vt ratio postulat, siue per sermonem nostrum, siquidem pseudoapostoli non solum epistolis apocryphis, sed sermonibus item apocryphis decipiebant, fortasse dices (hoc enim solum restat) non esse hoc, aut illud sermone à sanctis Apostolis traditum, sed potius sermonem esse vulgi apocryphum. quid? si testimonium omnium sæculorum, & ætatum, omnium veterum scriptorum, omnium vbiq; Ecclesiarum, omnium gentium, & populorum Catholicorum, omnium maiorum, & patrum vestrorum, huic sermoni astipulatur? dubitabis ab Apostolis ad nos manasse? & fidem diuinæ auctoritatis ei adhibendam esse? & quia tu etiam iurisconsultos, quibus mecum delectaris, mihi citas, audi Callistratum ex rescripto Adriani, Aliàs numerus testium, aliàs dignitas & auctoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei de qua quæritur, fidem. Quod verò tu Antoni pertinaciter contra tueris; quo numero testium veterum, & antiquæ fidei, qua dignitate, & auctoritate eorum, qua fama consentiente probas, & nostra reselles? at q; vt intelligas, quanta sit vis & auctoritas apostolicæ traditionis, id est sermonis Apostolorum non scripti, qui in omnibus mundi Ecclesijs prædicatur, & fide tenetur, cum obijciebatur illa ipsa traditio hæreticis, contra quos Irenæus libro 3. disputat, & eam negare non possent, vt magis verecundi, & ingenioſi ad fallendum, quam vos magistri Lutherani Protestantium, respondebant more serpentis lubrici, vt ait Irenæus, vndiq; fugere conantes, alia secretò docuisse Apostolos. cum enim, inquit, ad eam traditionem, quæ ab Apostolis est, quæ per successionem Apostolorum in Ecclesijs custoditur, eos prouocamus, qui aduersantur traditioni, dicent se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores, inuenisse synceram veritatem. Et paulo post, confu-

Quomodo nos tabulas diuini iuris scriptas habemus, habendas esse pro tabulis scriptis apostolicis tabulas sine scripto Apostolicas.

Quomodo nos traditiones sine scripto, apostolorũ esse probemus.

Quid antiqui hæretici vt magis ingenioſi quã doctores Protestantium, respondere solerẽt cum eis traditio apostolici sermonis obijciebatur.

tans eos, etenim si recondita, inquit, mysteria sciuissent, quæ seorsum, & latenter à reliquis, perfectos docebant, illis vel maxime ea traderent, quibus Ecclesias ipsas committebant; valde enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos esse volebant, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes. En Antoni, cum illis hæreticis traditio apostolica, quæ in omnibus Ecclesijs prædicatur, opponebatur, non negabant apostolorum esse, neq; confugiebant ad tabulas scriptas diuini iuris, quia tabulas traditionis non scriptæ, æquè atq; tabulas scriptas recipiendas iudicabant, sed alia à traditionibus diuersa secretò illos docuisse fingebant. Hactenus de tabulis successionis, quas postulasti. Quomodo olim hæretici non audebant negare traditiones non scriptas Apostolorũ.

Postulas etiam tabulas, quæ fidem faciant docuisse Petrum Romæ; quasi inde penderet successio Pont. quam sane postulationem ne tuis quidem Protestantibus gratam & probabilem videri existimo. Vnus enim ex Schola Lutheri extitit Viricus Velenus, primus, q ego quidem sciam, qui toto vno volumine hoc contendit, nunquam Petrum Romæ docuisse, immo neq; Romæ fuisse. Quod sanctus vir, & eruditiss. auctor Rossensis ita vehementer, grauiter, & eruditè confutauit, vt nemo illi respondere, & Velenum defendere ausus fuerit. Puduit itaq; omnes magistros Lutheranos illius causæ, & argumenti ab illo susceptI. Te verò non puduit, qui de omnibus fæcibus, & de omni cæno hauris; qui omnium Lutheranorũ scriptorum rapsodias quamlibet fœtidas, & lutulentas corrasisti, & compilasti, & in tui libri euerriculum contulisti. Confiteris tradidisse veteres, Petrum Romæ docuisse, & illic martyrio coronatum fuisse, & audes contra rem tanta connexionis, & successionis serie firmatam impudentiam huius vocis emittere? his ipsis verbis vsus es? Aug. libro 32. cap. 21. in Faustum Manichæum, qui nouum testamentum negabat scriptum esse ab apostolis, quæ libenter ab eo aduersus tuam impudentiam, & cæcam temeritatem mutuatus sum. Profer tu miserrime vel vnum veterem ex omnium sæculorum memoria, qui hoc, quod tu dicis, memoriæ prodiderit; non docuisse Romæ Petrum. De tabulis, quas Antonius postulat, quæ fidẽ faciant, docuisse Petrũ Romæ, quasi inde successio pontificis in eius locum penderet. Quòd ipsos etiã magistros Protestantiũ paulo cordatiores pudeat argumenti ab Virico Veleno suscepti, & quomodo eum fregit Rossensis. Exclamatio Augustini aptissime in Antoniũ &c. ei similes quadrans.

CAP.

CAPVT XVI.

De tabulis diuini iuris, quas Antonius postulat, docuisse Petrum Romæ. Quid Clemens Romanus de aduentu Petri Romam scribat, & quid alij, & de testimonio Pauli Orosij, & quæ in eo obseruanda sint. item quomodo redarguatur Antonius in istis tabulis, quas insanè postulat. et quomodo ex Euangelio primatus Petri, & successio in locum eius concludatur. & quomodo Romæ præstitit Petrus, quod idem dixit in actis Apost. Electum se fuisse ex apostolis à Deo, vt prædicaret gentibus.

Petrum Romę docuisse non pertinere ad causam successionis pontificū loco eius, vt fatuè volunt Lutherani doctore Antonio.

QVid? rem ne, *inquis*, tanti momenti, vt sine qua, (si Turrianum audimus) non possit Ecclesia subsistere, non confirmari, & lucere expressis, planis & certissimis scripturæ testimonijs? *non posse Ecclesiam subsistere sine Petri successore verum est, quia sic eam dominus ædificatam esse voluit; docuisse verò Petrum Romæ, magis ad euentum quàm ad causam successionis pertinere, quis est tam parui iudicij, qui non videat?* At tantum abest, *inquis*, vt vllus extet de hac re locus in scriptura, vt ne vestigium quidem vllum; immo potius multæ sunt & grauissimæ coniecturæ in aliam partem. *Satis declarat ista tua cæca & præceps assueratio, quàm sis rudis, & inexercitatus in diuinis literis. Videris nunquam legisse, aut certe nunquam considerasse, quod Apostolus ad Rom. scripsit, desidero enim videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos. id est, simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam, &c. Quem locum explanans Theodoretus, desidero (inquit) venire ad vos, vt communicem id, quod ego accepi. & quia Petrus primus Euangelij do-*

Demonstratio ex tabulis diuini iuris. Docuisse Petrum Romæ.

doctrinam illis tradiderat, subiungit, ad confirmandos vos, quod perinde est, atque diceret, non aliam doctrinam vobis trado, sed traditam confirmare volo, &c. Hactenus Theodoretus ante annos prope mille ducentos. & beatus Chrysostomus, explanans illud, primum quidem gratias ego Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, Petrum dicit docuisse prius Romæ: idem affirmat Theophylactus nominatim de Petro, & paulo post idem Chrysostomus, non, inquit, dixit, desidero videre vos, vt doceam, vt instruam, Græce est, κατηχήσω, (quod fit in catechumenis) nec vt, quod deest, suppleam; idem dicit Theophylactus Chrysostomum secutus, sed excutiamus tabulas diuini iuris, num ex ipsis hoc intelligi possit ab ijs, qui iudicio præditi sint. Recitemus tamen prius testimonium Clementis Romani discipuli Petri de aduentu eius Romam, vt Simonem Magum conuinceret, & veritatem Euangelij prædicaret. Itaque cum aliquando, inquit, in theatrum meridie Simon prodijsset, iussissetque populo, vt Petrum quoque in theatrum raperent, promittebat se per aerem volaturum; cum verò cuncti promissi huius expectatione suspensi tenerentur; iamque à dæmonibus in altum sublatus Simon, sublimis per aerem volaret, dicens se in cælum ascendere, vt inde bona ipsis suppeditaret, cunctique, qui astabant, illum tanquam Deum concelebrarent, Petrus manus in cælum pariter cum mente tendens, Deo supplicabat, vt illam pestem per filium suum dominum nostrum rumperet; & vires dæmonum, quibus ad fallendum, & perdendum homines vtebatur, amputaret; ita tamen illum rumperet, vt non occideret. itaque intuens in eum Petrus, cum volare videbatur, si ego, inquit, homo dei sum, & verus apostolus Iesu Christi, & doctor pietatis in Deum, & non seductor, vt tu Simon, iubeo malis potestatibus diaboli apostatæ, quæ Simonem Magum vehunt, vt eum dimittant, vt ex alto præceps feratur cum risu eorum, quos decepit. Hæc cum dixisset, Simon Magus dimissus, cum ingenti fragore, & sonitu decidit, & vehementer

Clemens Romanus de aduentu Petri Romã. & de prædicatione eius contra Simonem Magum.

elisus

elisus, coxam, & anteriores partes in plantis pedum fregit. Et

Quomodo Antonius cum Petrum Romæ docuisse negat, gloriã deo, & honorem Petro, & salutem multis, qui Simonem Magum diseruerunt, & Petri prædicationi & doctrinæ adhæserunt, inuidet.

multitudo vulgi, vnus, inquit, tantum verus deus, quem Petrus iustè prædicat. ac multi quidem defecerunt ab eo; nonnulli vero illius interitu digni, in doctrina eius nefaria perseuerarunt. Hæc Clemens in libro VI. *de const. apost. c.* VIII. *Cum ergo tu Antoni Petrum Romæ docuisse negas, gloriam Deo & honorem Apostolo eius inuides, & salutem illis multis, quos Clemens dixit deseruisse tunc Simonem, & Petro adhæsisse. Beatum te, si sic tibi contigeret, vt Lutherum desereres, ne interitu eius dignus à vita excederes. Testatur beatus Hieronymus, venisse Petrũ Romam anno 2. Claudij ad expugnandum Simonem. iam enim antea in Iudæa disputando, & prædicando cum eo pugnauerat, alij anno* IIII. *Conuenit cum hoc aduentu Petri Romam sub Claudio ad debellandum Simonem, quia multos decipiebat, & in magno honore habebatur, quod scribit Irenæus libro primo contra hæreses, honoratum fuisse Simonem à Claudio propter magiam. Idem scribit Iustinus martyr in apologia ad Antoninum, pro deo habitum fuisse, & statua inter duos pontes cum hac inscriptione posita, Simoni deo Sancto, honoratum. Cõuenit item quod scribit Suetonius in Claudio, Iudæos impulsore Christo assiduè tumultuantes, Roma expulit. Tumultus dicit, quos Iudæi propter conuersionem Hebræorũ ad fidem Christi, quæ docebatur, & prædicabatur, excitabant. nõ enim pati poterant, vt lex Moisis Iudæis ab Apostolo Petro dissuaderetur. Meminit etiam huius prædicationis Petri Romæ Claudio Imperatore Paulus Orosius his verbis, libro* VII. *historiarum: exordio, inquit, regni eius, Petrus Apostolus domini nostri Iesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisq; virtutibus approbauit, atque exin Christiani Romæ esse cœperunt. Et paulo post: accidit etiam eodem tempore præsentis gratiæ dei grãde miraculum, siquidem Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellum ciuile molitus, legiones multas, fortissimasque ad Sacramenti mutationem pellexerat. Itaq; die dicto, vt in vnum vndique ad nouum imperatorem conueniretur, nec aquilæ ornari, neque conuelli quoquomodo signa, moueriue potuerunt. Exercitus*

De Simone Mago Romæ honorato, & de aduentu Petri Romam ad oppugnandam doctrinam eius.

Quæ Paulus Orosius de aduentu Petri Romam ad docendã scripserit

tanta

tanta, & tam inusitata miraculi fide motus, & conuersus ad pœnitentiam, Scribonianum quinto statim die destitutum interfecit; seseq; Sacramento prioris militiæ continuit. Tristius, ac perniciosius vrbi Romæ nihil vnquã fuisse, quã bella ciuilia, satis notũ est. Deinde subiungit, Itaq; propter aduentum apostoli Petri, & tenera Christianorum germina, vix dum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem, & consurgens istud ciuile bellum neget quisquam diuinitus esse compressum, qui præteritis temporibus de compressione bellorum ciuilium simile probarit exemplum? hactenus Orosius. Tria sunt in hoc testimonio grauissimi auctoris consideratè obseruanda: vnum est, fuisse hoc de aduentu Petri Romam ad docendũ fidem Christi tempore Claudij non solum Christianis, qui erant tempore Augustini, cuius rogatu has historias Paulus Orosius scripsit, notum, & certum, sed ipsis etiam Gentilibus, siquidem ad eos reprimendos, & confutandos, hos libros historiarum Orosius scripsit. aiebant enim, vt idem in proœmio testatur, omnia mala in mundo euenire, quòd crederetur Christus, & Deus coleretur, & idolorum minueretur cultus. Alterum est, non putasse Orosium, vllum Gentilem, nedum Christianum futurum vnquam esse tam parui ingenij, aut tam depraui iudicij, qui replicata memoria præteritorum, & collatis superiorum temporum, & bellorum ciuilium historijs, non intelligeret, propter aduentum doctrinæ nouæ religionis Christianæ, quam beatus Petrus primus in vrbem Romam introduxit, euenisse, vt initium illud ciuilis incendij, quod ille Furius Camillus furijs inferni agitatus præparabat, mirabiliter extinctum esset, ne fides Romanorum, quæ paulo post in vniuerso mundo Paulo teste annuncianda erat, impediretur. Tertium est, hoc, quod proxime dixi, non putasse Orosium, fore vllum ne Gentilem quidem, qui illam mirabilem, & subitam illius belli ciuilis præparati extinctionem non ad aduentum doctrinæ Petri referret, contra euenisse. in uentus est enim, qui non solum ad gloriam euangelij, (quod tunc Petrus, vt Caput apostolorum & totius Ecclesiæ, in vrbe cunctarum orbis principe & domina primus, vt decebat, prædicauit) hoc beneficium

Tria in testimonio Pauli Orosij recitato consideratè obseruanda.

Quomodo Antonius Sadeel Lutheranus minus de Petro, & de gloria Euangelij, quod Romæ prædicauit, re-

periatur credere quam gentiles illius temporis, quo hęc Paulus Orosius rogatu Augustini scripsit.

neficium pacis, & quietis non referret, sed qui minus credens de Petro, & de gloria Euangelij, quod prædicauit, quam Gentiles illius temporis, quo hæc Orosius scripsit, docuisse Petrum Romæ, negaret; & hanc etiam gloriam, vt antea dixi, Deo & apostolo eius, super quem Ecclesiam ædificauit, inuideret. meminit idē auctor Orosius paulo post de Iudæis illis tumultuantibus impulsore Christo, Roma expulsis, quos Suetonius dixit, quem idem etiam auctor citat, de quibus ait, sed vtrum contra Christum tumultuantes Iudæos coerceri, & comprimi iusserit Claudius, an etiam Christianos simul, velut cognatæ religionis homines, voluerit expellere, nequaquam discernitur. Mihi verò facile videtur discerni posse ex actis Apostolorum, vt iam tabulas diuini iuris, quas requiris, attingamus. Scribit enim Lucas c. XVIII. Post hæc egressus, (Paulum dicit) ab Athenis, venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius, eo quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma, accessit ad eos, & quia erant eiusdem artis, manebat apud eos, & operabatur; erant enim scenofactoriæ artis. Fuisse autem Aquilam & Priscillam vxorem Christianos, magis ex epist. ad Cor. priore c. XVI. liquet. ait enim in extrema parte, Salutant vos in domino multum Aquila & Priscilla cum domestica Ecclesia, apud quos & hospitor. Iudæos igitur omnes tum Christianos, tum non Christianos eijci ex vrbe Claudius iussit. Iudæi enim in Iudæos factos Christianos, motus & tumultus concitabant; cum gentibus enim factis Christianis nulla illis lis. Tunc etiam edictum Claudij coegit Petrum discere post IIII annos aut duos suæ prædicationis Romæ, qui fuit sextus annus Claudij. Age verò Antoni, si, cū iussit Claudius excedere Roma omnes Iudæos, iam erant Romæ Iudæi facti Christiani, vt ex actis Apostolorum constat; illos autem non fecerat Christianos Paulus, qui postea, vt statim docebo, primùm Romam venit, neque Barnabas, quem Tiberio Imperatore Romam veniisse scribit Clemens libro primo qui de recognitionibus inscriptus est; is enim vno tantum die concionatus, & cum risu

Demōstratio ex tabulis diuini iuris, quas Antonius requirit, docuisse Petrū Romæ.

explosus

explosus, vt idem narrat, disceßit; sic enim ait de ijs, qui Barnabam audiebant, ὡς ἐκ συμφωνίας ἄτακτον ἠφίεσαν γέλωτα κατασιωπᾶν, καὶ ἀπορεῖν αὐτὸν πειρώμενοι ὡς βάρβαρόν τινα δαιμονῶντα. *Dic igitur tu, quis alius Apostolus Romæ tunc docuerit, cum nemo ex scriptoribus alium scribat, neque de vllo alio sermo feratur, & fama sit præter Petrum, quem multi & grauißimi, & antiquißimi auctores scribunt, & omnes vulgo ferunt? Paulum fortasse dices. At is postquam Euangelium Romæ prædicatum fuerat, Romam venit, vt ex Epistola eius ad Romanos, & ex actis Apostolorum perspici potest, vt de hoc etiam tabulas diuini iuris tibi exhibeamus. In Epistola enim ad Romanos, vt paulo ante dixi, scripsit, desiderare se videre Romanos, vt aliquid gratiæ eis impartiret ad confirmandos eos, quod satis clare, vt ab antiquis eius loci interpretibus obseruatum est, significat, iam ante credidisse, ac Christianos factos fuisse; sic enim vsus est hoc verbo confirmandi idem Apostolus in actis Apostolorum c. 14. & postera, inquit, die profectus est, Paulus scilicet, cum Barnaba in Derbem; cumque Euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, vt permanerent in fide. Confirmari itaque in fide dicitur, qui iam antea credidit. Scripsit autem hanc Epistolam ad Romanos Corinthi, vt in extremo Epistolæ docet. Phebem enim commendat, quam ministrã esse ait Cenchrensis Ecclesiæ; sunt autem Cencheæ, oppidum Corinthiorum. Deinde ait, salutat vos Gaius hospes meus, quem Corinthium fuisse ex prioribus ad Corinthios litteris intelligi potest, ait enim in epist. priore ad Cor. gratias ago Deo meo, quòd neminem vestrum baptizaui nisi Crispum & Gaium. Quo autem tempore epistolam scripserit, idem significat, cum ait in eadem epist. ad Rom. c. XV. nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis; probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalẽ, de his vero pecunijs in priori Epist. ad Cor. ita scribit c. XV.*

Accedunt ad tabulas diuinas cõstans fama & grauissima & antiquissima, ac permulta magnorum auctorũ testimonia Petrum primũ fidem Christi prædicasse.

Quomodo non Paulus primũ, sed alius, Petrus scilicet Romæ fidem Christi tradidit.

Vnde Paul. epistolã ad Rom. & quo tempore scripsit.

de collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos fratres facite per vnam sabbati; vnusquisq; vestrum apud se seponat recondens, quod ei beneplacuerit; et non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam, perferre gratiam vestram in Hierusalem, quod si dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt. Cum his pecunijs Hierosolymam proficiscens, presbyteris dixit Mileti act. 20. & nunc ego scio, quod non amplius videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnũ Dei. Quod ita euenit: statim enim accusatus Hierosolymis, & in maximum discrimen adductus, deinde à tribuno militum liberatus; & è manibus Iudæorum ereptus, tandem à Festo Romam missus est post appellationem Cæsaris, post Claudium scilicet Anno 2. Neronis, Marcellino, & Auiola Consulibus, vt Cassiodorus testatur. Si adhuc pertenderis, vt es pertinax, nondum nos tabulas diuini iuris exhibuisse, quia non omnia lucent, vt petis, expressis, planis, & certissimis scripturæ testimonijs, obijcio tibi regulam antiqui iuris Modestini iurisconsulti, ex ratione naturali ductam, non expressa non nocere; & alteram Pauli Iurisconsulti in eandem fere sententiam, eum, qui tacet, non fateri, sed tamen verum esse, cum non negare. Age verò Antoni, exhibe tu tabulas diuini iuris, quibus probes, non esse habendas pro tabulis diuini Iuris, quæ in expressis, planis, & certissimis scripturæ testimonijs non consistunt, quæ si te deficiũt, sequitur, vt neq; mens tua, nec oratio consistat; cum cogaris dicere, veras esse ἀντικειμένας φάσεις. etenim quia non sunt tabulæ diuini iuris expressis, & planis verbis, quæ testentur docuisse Petrum Romæ, verum esse dicis, non docuisse; rursus, quia te deficiunt tabulæ diuini iuris, quibus probes, nõ esse tabulas diuini iuris, nisi expressis, & planis verbis scriptas, & quibus probes item, non esse credendum nisi testimonijs scripturæ, & quidem expressis, necesse tibi est, vt, quia veteres scriptores Romæ Petrum docuisse, & illic martyrio coronatum fuisse, vt tu etiam confiteris, tradiderunt, & hoc ipsum testatur fama consentiens & sermo omniũ Ecclesiarum cuncti orbis, qui à sanctis Apostolis, qui Petro superstites fuerunt:

De aduentu Pauli Romam.

Quæ tabulæ diuini iuris Antonium deficiunt, vnde constat neque mentẽ, nec orationem eius consistere.

Quomodo cogitur Antonius dicere, verâ esse contradictionem.

fuerunt, & ab ijs, qui Romæ docentem viderunt, & audierunt, ad nos manauit, & vestigia Romanæ prædicationis Petri in Epistola Pauli ad Rom. & in actis impressa apparent, necesse inquam est tibi, vt dicas, verum esse, docuisse Petrum Romæ; id est, docuisse, & non docuisse. ita te ad sanandum redarguimus. Tu enim es ex illis disputatoribus, quos tuus Arist. in libro IIII. *primæ Philosophiæ ait* ὅτι οὐ πρὸς δέονται, ἀλλὰ βίας, τούτων δὲ ἔλεγχος ἴα σις. *id est, qui non suasione indigent, sed violentia; horum autem redargutio sanatio est. Manes igitur redargutus, id est, ad affirmandã contradictionem compulsus. Quòd vero scripsisti, grauissimas coniecturas esse in aliam partem, scilicet non docuisse Petrum Romæ, cur, si grauissimæ videbantur, eas reticuisti? an non satis declaras, quantum illis confideres? & cauisse te silentio, ne te & cõiecturas tuas redarguerem? Sed coniecturæ quas dicis, satis à Rossense contra Vldericum Velenum, & à Mutio Iustinopolitano contra Viretum confutatæ sunt, responde illis tu, si tibi videris posse. Quod autẽ adiunxisti, inscriptura ne vestigiũ quidem vllũ apparere, docui mendaciũ esse. tempus est, vt ad alia pergamus.* Sed vt illud prætream, *inquis*, acquod erit istud concludendi genus, Petrus Romæ fuit, Romæ docuit; pro Christi nomine mortẽ adijt, ergo fuit Rom. Episcopus? & quot quot ab eo tempore extiterunt Romani Episcopi, dicendi sunt Petri successores in Apostolatu; atque adeo (vt Pontificij volunt) in Apostolatus primatu. *Non est hoc concludendi genus nostrorum, sed commentum tuum manifestum: Nos enim nos dicimus, quod Petrus Romæ fuit, docuit, pro Christi nomine mortẽ adijt, causã fuisse vt episcop⁹ Romanus esset; & in de factũ esse, vt Episcopi Romani successores Petri fuerint in primatu apostolatus. tu hoc fingis ad decipiendũ eos, qui te audiunt. Nõ hæc fuit causa; sed quod Christus in Euãgelio post illam admirabilẽ & diuinam confessionem fidei, Petro dixit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum &c. & inde factum est, & fit, vt quot quot episcopi Romani in eius locum ex eo tempore ordinati fuerunt, & hoc tem-*

Quomodo Antonium redarguimus ad sanãdum eum.

Qui satis superq; redarguerint deliras Lutheranorũ coniecturas, nõ docuisse Petrum Romæ.

Commentũ Antonij manifestum.

Quod mendaciũ nobis affingat Antonius, vt eos decipiat qui eum audiunt, & legunt.

pore ordinantur, successores Petri in primatu apostolatus Petri fuerint, & hodie sint, id est, vt Petrus caput Apostolorum fuit, & totius Ecclesiæ, sic episcopus, qui in Petri locum ordinatur, siue Romæ ordinetur, siue in alia Ciuitate, omnium episcoporum, qui successores Apostolorum sunt, & omnium Ecclesiarum cuncti orbis caput est, & in eos ipsos episcopos, & in eorum Ecclesias, & in cunctos populos Christianos & eorum reges ac principes primatum pontificatus tenet, sicut Petrus in omnes oues Christi tenuit. Nostrum itaque concludendi genus hoc est. Christus promisit singulariter & primùm Petro in Euangelio, ædificaturum se Ecclesiam super eum, & daturum ei claues regni cælorum; & hoc quod ei promisit, præstitit; ergo fuit singulariter primus episcopus, id est, habuit primatum inter omnes Apostolos, quibus fuerat idem Petrus æqualis apostolus antequam à Christo primatum acciperet, & quot quot in Petri Cathedra ordinantur successores Petri, in eodem primatu sunt; non quia Romæ ordinantur, & Romani Episcopi dicuntur, & sunt, sed quia in locum Petri ordinantur, (quod, vt à principio Romæ fieri solitum est propter vrbis principatum, & quia sic fuit Dei voluntas, sic etiam, si expedire videretur, in alia ciuitate fieri posset) id est, ordinantur, vt Petro in ea potestate, quam Christus ei singulariter & primùm dedit, succedant. Quia sic domum Dei, quæ est Ecclesia, voluit Christus gubernari, vt vnum primum patrem familias haberet. Quod est optimum omniũ genus gubernationis, quod summã Dei sapientiã & prouidentiam decebat, & Ecclesiæ Catholicæ, & vnitati eius necessarium erat. Hoc est nostrum concludendi genus. Abi igitur cum tuo commentitio genere concludendi à te fabricato ad decipiendum simplices, quorum sanguis de manu tua miser homo, in die illa requiretur. Sed pergis, Discutiamus (*ais*) vim huius conclusionis, si Petrus fuit Episcopus Rom. quatenus apostolus, ergo cæteri apostoli fuerunt quoq; Romani episcopi. Si non quatenus Apostolus, ergo pontifex non illi succedit in apostolatu. *Petrus fuit Episcopus Romanus, id est, omnium Christianorum totius Imperij Romani,*

Quod sit nostrũ concludendi genus, ab illo cõmẽtitio, quod nobis fallaciter Antonius attribuit, alienissimum.

non

non quatenus Apostolus, omnes enim 13. erant apostoli; sed quatenus Petro singulariter dictum est, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum. In hac potestate succedit ei pontifex Romanus, quæ potestas, quia fuit primùm data Petro principi Apostolorum, potestas apostolica, & Cathedra apostolica, & apostolatus, & ipse pontifex Domnus Apostolicus ab antiquis Ecclesiæ doctoribus dici consueuit. An fuerit Petrus episcopus Romanus, quatenus Apostolus.

Illud etiam, potiori iure fuisse Paulum Rom. Episcopum, *quia* expresso, *inquis,* Dei mandato Romæ docuit, quod de Petro te dicis non legisse, *Legisti fortassis in Epistola Marcelli antiquissimi pontificis, & martyris ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ, sed non credis: sic enim ait loquēs de Petro, ipse enim est Caput totius Ecclesiæ, cui ait dominus, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & c. eius enim sedes primitus apud vos fuit, quæ postea iubente domino Romam translata est, cui adminiculante gratia diuina hodie præsidemus. Hactenus Marcellus. Cum iussit dominus Petro, vt hic grauissimus, & vetustissimus, ac sanctissimus testis affirmat, transferre sedem Romam, simul iussit ire Romam ad prædicandum gentibus. Sed quia tabulæ humanæ sunt, & tu alienus ab omni humana ratione, in omnibus quæris diuinas tabulas, non credis tanto testi, habes etiam tabulas diuini iuris, quas sæpe, credo, legisti, sed nunquam intellexisti, idque, quia ne illis quidem credis. Scribit igitur Lucas in Actis Apostolorum c. XV. dixisse Petrum in illa Synodo Apostolorum Hierosolymitana, viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Si elegit Deus Petrum ad prædicandum gentibus, præcepit igitur prædicare eis: quomodo enim audituræ erant per os eius verbum Euangelij, nisi illis prædicaret? quis autem ignorat, Caput gentium fuisse Romam? in qua Vrbe omnium gentium domina, cum magna etiam multitudo Iudæorum esset, neminem Apostolorum magis decebat Romæ primum prædicare, quam eum, qui caput erat Ecclesiæ, quæ ex gentibus, & ex Iudæis congreganda erat.* Quo Petro iussum à domino est prædicare gentibus, & quomodo hoc Romæ prædicando præstitit.

Astipulan-

Astipulantur his tabulis illæ aliæ tabulæ Pauli, id est, Epistola ad Romanos, ex qua intelligimus, ante aduentum Pauli Romam, fuisse Euangelium Romæ prædicatum, & quidem cum magno fructu, & Paulum desiderasse proficisci Romam, non vt ibi primus doceret, sed vt confirmaret credentes. Si conueniebat, vt opus tam arduũ audendi prædicare euangelium in principe totius mundi ciuitate, quæ caput gentilitatis, & idololatriæ erat, aliquis apostolus aggrederetur; & nõ fuit Petrus, dic tu, quis alius ex apostolis fuit? quod si neminem habes, ad aphoniam igitur compulsus es; aut ad elenchum, id est, vt contradicas tibi ipsi, & confitearis, docuisse Petrum Romæ, quod ante negabas. Deinde dicis, nec etiam obijcio, quod veteres dixerunt, Paulum cum Petro fundasse Ecclesiam Rom. illa, inquam, omnia prætermitto. *recte, & cordatè prætermittis; vtinam sic cæteras alias nugas prætermisisses.* Illa, *inquis,* omnia prætermitto, vt dicam exilis Pontificiorum pramissis sequi, Episcopum Hierosolymitanum fuisse Petri successorem, quia Petrus Hierosolymæ docuit; idem dico de Antiochia; deinde omnibus locis, in quibus Petrum docuisse non humanis, quemadmodum Turrianus, sed diuinis scriptis, atq; documentis asseruimus. *Sumis, quod falsum est, & à me antea confutatum. Non enim, quia Romæ docuit Petrus, primatum Romanæ Sedis habuit, & in primatu successores Episcopos Romanos; sed propter tabulas diuinas, quibus primatus eius & successorum eius sancitus est, vbicunq; cathedram, ad docendum habere Petrum, & successores eius, voluntas Dei, & Ecclesiæ Catholicæ commoditas esset. Torques deinde aliam hastam vt bellus bellator,* Neq; video *(inquis)* quamobrẽ eæ ciuitates, quæ sunt priores tempore, debeant esse iure, & auctoritate posteriores. Atque hoc Turrianus, qui voluit videri Iurisconsultus, debuit obseruare. *Ego Antoni neq; iuris consultus sum, neq; quod non sum, videri volo: sed si tu non vides, quamobrem Ciuitates, quæ sunt priores tempore, debeant esse iure, & auctoritate posteriores, mirum, si videas, quamobrem Andreas frater*

Quomodo ad aphoniã compulsus est Antonius, aut ad elenchum, id est, ad contradictionẽ.

Quomodo non quia Petrus Romæ docuit, primatum habuit, sed quia tabulæ diuini iuris primatum ei adiudicant.

ter Petri, qui fuit prior tempore & ætatis, & vocationis ad Apostolatũ, debuerit esse iure, & auctoritate primatus posterior Petro, & quia non videas, litem Deo inferre velis. Pergit Antonius ad aliud genus argumentationis.

CAPVT XVII.

De testimonijs Patrum ab Antonio citatis, Chrysostomi, & Aug. contra primatum Petri in loco Matthæi fundatum. Et quomodo falsum sit, quod in loco Augustini commentus est Antonius duplicem esse, primatum ordinis, & primatum potestatis, & quomodo probetur primatum ordinis non posse esse sine primatu potestatis, & de loco Cypriani, vnde Antonius probare voluit, primatum Petri non fuisse primatum potestatis, & quomodo ipse ille locus Cypriani redarguat, & conuincat Antonium. Et de alio loco Cypriani citato ab eodem Antonio contra se. & de eo, quod ait Antonius, annumerasse Clementem epistolas suas duas, & libros cõstitutionum Apostolicarũ libris Canonicis, quomodo doceatur falsũ esse. Quid respõdeatur Antonio obijcienti testimonium Clementis & Anacleti de primatu Petri in causa eorum non esse admittendum. Item de sedibus Apostolorum numero multitudinis apud veteres auctores, quod Antonius obiecit, quomodo astruant, & confirment vnam primam sedem Apostolicam B. Petri. De testimonio Innocentij prætermisso, & dissimulato ab Antonio.

QVoniam autem *(inquit)* veteres doctores citauit, tanquam suæ sententiæ suffragatores, nos vicissim aliquot etiam veteres hũc Matthæi locum exponentes audiamus. Sic igitur Chrysostomus in Matthæi homilia 55. super hanc petram, id est, inquit, super fidem confessionis, ἐπὶ τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. *Hæc verba quamuis pauciſsima, ex parte tamen deprauasti. non enim dixit Chrysost. super confessionis, sed super fidem, & confessionem, in quo facilius intelligitur super fidem & confessionem scilicet Petri, quàm si dicamus super fidem confessionis, sed parum refert. rogo enim te, cum dicit super fidem confessionis, cuius confitentis confessionem dicit? non enim potest esse*

De testimonijs ab Antonio recitatis.

esse confessio nisi alicuius hominis confitentis. Hic autem Petrus est secundum Euangelium. Sed nescio vtrum magis hic mirer, indiligentiámne tuam, quia totum Chrysostomi locum à te citatum non legisti; an impudentiam, quia legisti, & quamuis te oppugnaret, & testis te conuinceret, nihil curasti. Recitemus ergo nos, vt videat Academia tua, qua fide nobiscum agas. Et quomodo causam tuam defendas. Postquam enim dixit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, fidem atque confessionem, adiungit, Hic apertè, & sublimiora sapere ipsum facit; & Ecclesiæ futuræ pastorem constituit, & paulò pòst, exponens illud, & portæ inferi, &c. & vt futura Ecclesia (inquit) tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet, hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum, ita & pater ad Hieremiam dicebat, sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni pater; hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Hæc Chrysostomus, quæ tu impudentissimè ad decipiendum dissimulasti. Non vides quàm apertè petram, quam dixit Christus in loco Matthæi, Petrum esse exposuerit, cum dixit, cuius Ecclesiæ pastor, & caput piscator homo atque ignobilis adamantis naturam firmitate superet? &c. expositionem verò loci Psalmi 39. in illa verba, statuit pedes meos super petram, negamus Chrysostomi esse, non enim hæc Græcè extant. Deinde pugnant cum ijs, quæ proximè recitaui ex homilia eiusdem Chrysostomi à te etiam citata in cap. Matth. 16. quod si contenderis Chrysostomi esse expositionem istam in Psalm. 39. nihilo plus efficies. iam enim auctoritati testis tui derogabit, (vt ad tuos familiares iuris consultos, sicut meos vocas, redeam) regula Modestini, cum ait, qui aduersus fidem testationis suæ vacillant, audiendi non sunt. Citas deinde Aug. contra Iud. Pagan. & A-

Locus Chrysostomi ab Antonio nõ bona fide recitatus dissimulatis, & prætermissis, quæ nocebant causæ eius.

Quæ Antonius fallaciter, & impudenter in testimonio à se recitato dissimulauerit reticendo.

„*rian.* Cùm Dominus Christus, inquit, discipulos inter-
„rogaret, quẽ dicerent esse filium hominis, respondẽrũt,

alij

alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnũ ex prophetis; & ille, « vt quid ſuſpicamini montes? hunc cognouit Petrus di- « cens, tu es Chriſtus filius Dei viui; agnouit montem, & a- « ſcẽdit in mõtem; teſtimonium dixit veritati; & dilectus « eſt à veritate; ſupra petram fundatus eſt Petrus. *Quomodo* « *probas hoc Auguſtini teſtimonio, non eſſe Eccleſiã ſuper Petrum ædificatam? an quia Petrus fundatus erat ſuper Chriſtum, non potuit Petrus eſſe fundamentum Eccleſiæ? docui te ſupra, ſi tamen diſcere voluiſti, duplex eſſe fundamentum, vnum propriæ virtutis, quod eſt Chriſtus; ſuper hoc fundamentum fuit fundatus Petrus, & vnuſquiſque Chriſtianus; alterum fundamentum virtutis participatæ, & ſuper hoc fundamentum, quod Petrus eſt, fundata eſt Eccleſia. Neque tu ipſe dicere poteris, ſi quis te roget, quid in hoc teſtimonio contra nos repereris. Sed videamus, vtrum aliud teſtimonium eiuſdem Auguſt. à te citatum magis ad rem appoſitum ſit.* Idem *(inquis)* de ver- « bis Domini Sermone 21. Petrus in Apoſtolorum ordi- « ne primus; in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpe vnus « reſpõdet pro omnibus; & domino interrogante, & dicẽ- « te, vos autem quẽ me eſſe dicitis? reſpondit Petrus, tu es « Chriſtus filius Dei viui; vnus pro multis dedit reſponſũ; « vnitas in multis. tunc dominus ait, & ego dico tibi, tu « es Petrus: Simon quippe ante vocabatur, hoc autem « nomen ei, vt Petrus vocaretur, à domino impoſitum eſt; « & hoc, vt ea figura ſignificaret Eccleſiam: quia enim « Chriſtus petra; Petrus populus Chriſtianus. Petra enim « principale nomen eſt; ideo Petrus à petra; non petra à « Petro; quomodo nõ à Chriſtiano Chriſtus, ſed à Chriſto « Chriſtianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper « hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quã « cognouiſti, dicẽs, tu es Chriſtus filius Dei viui, ædificabo « Eccleſiam meã: ſuper me ædificabo Eccleſiam meã; ſup « me ædificabo te: non me ſuper te. Nã volentes homines « ędificare ſuper homines, dicebant, Ego quidẽ ſum Pauli; «

Ego autem Apollo, ego verò Cephæ (ipse est Petrus) & alij, qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram, dicebant, ego autem sum Christi &c. *recitato prolixe hoc testimonio, adiunxisti*, sed videre videor Turrianum arripientem id, quod Augustinus dixit, Petrum fuisse Apostolorum primum; nec etiam dubito, quin mox obijciat suo more, me citasse decurtatam Augustini sententiam, qui in eodem loco dicit Petrum Ecclesiæ figuram portasse, & apostolatus principatum tenuisse. At ego contrà ex his verbis expono sentẽtiam veterum, qui magnificè de Petro loquuti sunt; nam quoties dicũt eum fuisse primum Apostolorum, κορυφαῖον, primatum, & principatum habuisse, aut aliquid eiusmodi, loquuntur de primatu ordinis, non autem de primatu potestatis. Sic enim Augustinus, Petrus in Apostolorum ordine primus. Cum autem Turrianus, & eius commilitones primatum Petri colligant ex verbis Christi super hanc petram, &c. Augustinus autem perneget, illa verba ad Petrum pertinere, ac nihilo minus eum vocet apostolorum primum, necessario ex Augustino concludendum est, primatum Petri non niti in hoc Matthæi loco; & ex consequenti, Petrum non fuisse primum eo, quòd fundamentum fuerit Ecclesiæ, sed (vt Augustini verba repetam) quòd fuerit primus ordine inter Apostolos. *qui nititur in mẽdacijs, dixit Salom. in Prouer. aues persequitur, idem dixit tuus Arist. lib. 4. primæ philosophiæ à Salom. mutuatus, vel potius furatus, τὰ πετόμενα διώκει; quia non magis assequi potest veritatem, quã qui humi ingreditur, volatus auium consequi. Ad inferendam conclusionem rationis tuæ falsæ, & non syllogisticæ, sumpsisti, pernegare Augustinũ, illa verba ad Petrum pertinere, quod merum mendacium esse ipse idem Augustinus convincit; & testimonio suo à mendacio, quod ei affingere voluisti, se defendit. Is enim libro primo Retractationum c. 21. dixi (inquit) in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in verbis*

Quomodò Antonius mendaciũ merum Augustino affingere voluerit.

beatissimi

beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait, hoc, ipsa petra Ecclesiæ canente, culpam diluit. Sed scio, me postea sæpissime sic exposuisse, quod à domino dictum est, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hanc, intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, tu es Christus filius Dei viui. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. Hactenus August. puto, si hunc locum in Aug. legisses, visus tibi esses videre Turrianum arripientem illum ad obiectandum tibi; an non vides patris August. modestiam, religionem, prudentiam, iudicij maturitatem, & limam in libris Retractationum lucere? ipsi visa est vtraque expositio probabilis, & optionem dat lectori eligendi vtram malit probabiliorem habere; & tu audes dicere, pernegare Augustinum? iudicet academia de pudore tuo, & de tuo patrocinio, & te deinceps, si hunc locum ignorabas, moueat auctoritas testis tui, & nostri in ijs præsertim libris, quos inscripsit Retractationes, in quibus non solum ea, quæ sibi videbantur excidisse, sed quæ occasionem labendi alijs præbere posse, aut correxit, aut limauit, aut obseruari voluit. Considera etiam, quantum pondus auctoritatis in illa priore sua expositione super hanc petram de Petro, in quo fundata esset Ecclesia, esse iudicaret, quòd ille sensus ore multorum in verbis beatissimi Ambrosij caneretur. mihi certe optandum fuit, vt contra hanc expositionem Augustinum nobis obijceres, vt testis à te vocatus ad dicendum testimonium, contra te diceret. Idem eueniet in eo etiam quod hic ex Aug. obijcis, quod dixerit, Petrus in apostolorum ordine primus, vbi commentus es duplicem primatum, ordinis, & potestatis, illum Petro concedis; hunc negas, conuersus in vanilo-quium, volens esse legis doctor, vt de alijs tui similibus scripsit ad Timoth. Apostolus, κενοφωνία enim est primatus, siue principatus ordinis sine vlla in eum potestate, quod quidem ne tu quidem ipse, qui hoc dicis, intelligis, quid dicas. Quomodo enim κορυφαῖος dici, & esse potest in ordine, vt tu interpretaris, qui non tenet locum Capitis? κορυφαῖος enim ἀπὸ τῆς κορυφῆς dicitur, quod verbum, verticem, siue summum capitis significat: locum verò capitis

De libris Retractationum Augustini.

Quomodo Augustinus testis ab Antonio citatus, testimonium cõtra eum dixerit.

Quomodo Antonius sibi repugnet, cũ Petrum Coriphæũ fuisse Apostolorũ confitetur, & locu capitis habuisse negat, non intelligens vim verbi.

quomodo tenere potest sine principatu gubernationis totius corporis? aut igitur nega fuisse Petrum κορυφαῖον, vt Dionysius Pauli discipulus in Ecclesiastica hierarchia, capite De sacris ordinationibus eum appellauit; aut si concedis; da etiam, potestatem habuisse. Idem dicendum est de primatu, siue principatu: tu enim concedis habuisse principatum in ordine Apostolorum Petrum, idque veteres dixisse confiteris, sed principatum ordinis, non potestatis interpretaris. Quis vnquam audiuit, aut etiam cogitare potest principatum alicuius sine ijs, quorum sit princeps? quod non magis cogitari potest, quàm pater sine filio, aut filius sine patre: hæc enim est natura τῶν πρός τί συνεπινοεῖσθαι. Si igitur qui princeps est, aliquorum princeps est; & qui est aliquorum princeps, aliquam habet in eos potestatem: ἄρχων enim χωρὶς ἀρχῆς esse non potest; sequitur, Petrum, quem in ordine Apostolorum principem fuisse concedis, potestatem in eos, quorum princeps erat, habuisse. Deinde, cum hanc distinctionem primi in ordine, & primi in potestate ex Augustini loco concluseris, quia primum in ordine Petrum vocat, & illa verba, Super hanc petram, & cat. negat ad Petrum pertinere, si hoc falso putasti, & idem Augustinus te falso putasse, vt docui, conuincit; sequitur, illam tuam distinctionem ruere, quæ in eo nitebatur, quòd Petrus non esset petra Ecclesiæ, id est, super eum Ecclesia fundata; quod quidem quàm multi, quàm graues, quàm sancti auctores Græci, & Latini testentur, scripsi libro secundo contra Centuriatores cap. sexto. Ex illa nube testium nunc solummodo obijciam Synodum Chalcedonensem, quæ in tertia actione de beato Petro loquens, qui est, inquit, petra, & cripido Ecclesiæ Catholicæ, & rectæ fidei. Discede igitur infelix cum ista tua, sibi repugnante, & monstrosa distinctione, cuius fundamentum tuus testis labefactauit, sicut probaui; & probabo adhuc magis. Sed prius distinguendum est vocabulum; totidem enim modis dicitur primum,

Rursus sibi ridiculè repugnat Antonius, cum principatū fingit sine potestate eorum, quorum habet principatū.

Testimoniū Synodi Chalcedonensis, id est Sexcentorum episcoporum de Petro petra Ecclesiæ Catholicæ.

mum, quot principium: principium autem, vt Ioannes Damascenus in Oplotheca contra Manichæos notauit, dicitur, aut secundum tempus, vt principium diei, aut secundum locum, vt paradisus principium Phisonis, similiter dicitur primus tempore, aut primus loco, aut principium dicitur secundum dignitatem, vt rex ἀρχὴ subditorum, aut secundum naturam, vt vnum principium duorum. si enim sunt duo, est vnum, non tamen retrò commeat, vt, si vnum est, duo sint, aut secundum, ordinem, vt Lector primus, deinde hypodiaconus, aut secundum causam, idque tripliciter: aut enim est causa naturalis, vt pater principium filij; aut causa ποιητικὴ, id est, factiua, vt fabricator principium fabricæ; aut μιμητικὴ, siue exemplaris, vt principium imaginis est τὸ εἰκονιζόμενον, id est, exemplar, vnde exprimitur imago. In hac subtili explicatione homonymiæ huius vocabuli, à Damasceno diligenter notata, exemplum primi ordine posuit Lectorem, qui primus est, deinde Hypodiaconus, sed hic modus, & ratio primi non conuenit Petro; non enim fuit in ordine Apostolorum, sicut Lector primus, deinde hypodiaconus: siquidem ordo Lectoris infra ordinem Hypodiaconi est. Neque relinquitur ex omnibus illis modis primi, qui Petro conueniat in ordine Apostolorum, nisi modus, & ratio primi secundum dignitatem, ipse enim præpositus fuit Apostolis, & toti Ecclesiæ, & modus primi secundum causam, quia potestas ligandi & soluendi primo & singulariter data Petro, causa fuit potestatis reliquis Apostolis, & eorum successoribus datæ. non enim nisi per Petrum dedit, quidquid alijs non negauit, vt Magnus Leo dixit. Sed de hac causa dicam posteà plura. Nunc excutiamus paulò subtilius primatum istum ordinis sine primatu potestatis, & in ipso testimonio Augustini à te recitato venemur, ac perue stigemus, quod quærimus. Si Petrus erat, vt Augustinus dicit, primus in Apostolorum ordine, & non in potestate, vt perinde esset, quasi diceretur, Petrus primus in numerandis Apostolis; statim quæram à te,

Quomodo redarguatur primatus ordinis, quē Antonius Petro concedit sine primatu potestatis.

quare primus in numeratione Apostolorum Petrus, & non potius Andreas, & maior natu, & prius ad apostolatū vocatus? aut quare Petrus primus in numero illo, potius quàm quiuis alius ex Apostolis, si omnes erant æquales, & nullū inter eos fuit discrimen? Deinde, quæram à te, an differre putes numerum ab ordine? ciuitas enim, quæ ex numero ciuiū constat, sine politia cōsistere non potest; neq; politia sine ordine; vtrumq; docuit tuus Arist. in 3. & 4. libro de Rep. in Apostolis igitur non erat numerus solùm, sed ordo etiā, ne politia sancta careret, quæ erat vita illius sacri chori Apostolorum, sicut idem Philosophus duce natura politiam dixit esse vitam ciuitatis. Rursus, nec ordo esse potest, vbi nō est magistratus, siue potestas: hoc quoq; duce ratione naturali idem Philosophus intellexit. Præterea, cùm Aug. ait testimonio à te recitato, vnus pro multis dedit responsum; vnitas in multis; Quæram à te, quid singulare, & præcipuum erat in Petro, vt eius esset, vnum pro multis dare responsum, & esse eum vnitatem in multis? fortasse respondebis, quod Augustinus dixit, esse primum in ordine, at hoc est, quod inquirimus, & premimus. Si nihil potestatis, nec auctoritatis, neq; vlla, vt tu loqueris, ἐξοχὴ in illo primatu ordinis erat; sed æqualitas prorsus sine vllo discrimine; vnusquisque igitur Apostolus erat primus in ordine æquè atq; Petrus. Quid hoc aliud est, quàm ridiculum facere patrem Augustinum, quem omnis Ecclesia in oculis fert, & in animo? interrogabo te etiam, quādo semel cœpi interrogationes vrgere, cùm dixit hic Aug. vnus pro multis dedit responsum; vnitas in multis, *quare non dixit, vnus in multis? nisi quia quilibet Apostolus erat vnus in multis illis; vnitas verò in multis nemo nisi Petrus. Qui erat ceu colligatio Apostolorum velut corporis in vno capite. Ad hæc, si quis à te percontetur, primus in ordine militari decem quis est? decurionem puto respondebis; si rursus percontetur, quis primus in ordine decurionum; centurionem dices. In ordine centurionum, tribunus militū item primus; primus item in ordinne tribunorum dux, siue imperator. Deinde si quæram, sunt ne isti primatus ordinis, primatus potestatis, quisque in suo ordine, an non? Haud dubio pri-*

Quōin choro Apostolorum non numerus tantum, sed politia erat quę sine ordine esse nō poterat, nec ordo sine magistratu.

Quō Antonius Sadeel ridiculum facit patrē Augustinū Ecclesiæ lumen.

Petrus non vnus in multis, sed vnitas in multis dictus ab Augustino.

Quibus etiā exēplis demonstretur nō esse primū in ordine sine primatu potestatis.

bio primatus potestatis, responsurus es; cur igitur si in ijs, quæ scientia disciplinæ militaris ab hominibus inuentæ continentur, non audes primatum ordinis à primatu potestatis separare, in eo, quod Christus ad custodiendum regnum spirituale non contra carnem, & sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, ne portæ inferi prævalerent, instituit, audes? primatum dico potestatis separare à primatu ordinis, id est, Petrum, super quem Ecclesiam suam ædificare voluit, concedere quidem primum fuisse in ordine Apostolorum; sed primum in potestate pernegare? Deinde sic Augustinus vocauit Petrum primum in ordine, scilicet Apostolorum, sicut can. 34. Apostolorum Metropolitanum vocat primum, cum iubet omnes episcopos cuiusque gentis εἰδέναι τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν, id est, iubet vt cognoscant eum, qui in eis primus est, id est, in eorum ordine, & eum ducant ceu caput. Hunc canonem renouauit Synodus Nicena, & Nicenum canonem Synodus Antiochena c. 9. iubet enim vt omnes episcopi cuiusque prouinciæ agnoscant metropolitanum episcopum, qui eis præst. Itaque quem can. Apost. vocat πρῶτον, Synodus Antiochena interpretatur, & vocat τὸν ἐν τῇ μητροπόλει πρωτεύοντα ἐπίσκοπον, id est, metropolitanum, qui præst episcopis prouincialibus, qui dicitur & est Archiepiscopus, qui est primus in ordine Episcoporum suæ prouinciæ, & eorum curæ præst; sicut Petrus præerat Apostolis. Hæc enim forma à Petro, & reliquis apostolis, quibus Petrus præerat tanquam eorum primus, manauit ad successores Petri, & ad alios episcopos successores Apostolorum. Testatur hoc S. Anacletus apostolicus Pontifex & martyr, qui Clementi successit, in Epist. 3. qui eiusdem etiam Canonis apostolorum 34. ibidem meminit & eum sequitur, inde namque (inquit) & beati apostoli inter se statuerunt, vt episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset, (id est, primus in eorum ordine) quatenus ad eum potior eorum solicitudo pertineret. En Antoni, quorsum aliquis episcopus sit primus in ordine inter aliquos, scilicet quatenus ad eum eorum cura in primis pertineat. sequitur in epist. Anacleti, nam & inter

Quomodo Augustinus Petrum vocauit primũ in ordine, sequutus Canonem Apostolorũ & Nicenũ, & Antiochenum.

Canõ Apostolorũ renouatus à Synodo Nicena, & postea ab Antiochena.

Vndem manauit forma Canonis Apostolici, & Niceni.

Quorsum aliquis Episcopus sit primus in ordine aliorum.

beatos Apostolos quædam fuit discretio; & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset apostolis; & cephas, id est, caput, & principium teneret Apostolatus. Qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis episcopis tenendam tradiderunt, sic est in exemplaribus vetustis manu scriptis, tametsi parũ refert. Videbis fortasse interpretationem vocabuli Cephæ, vt totum locum reijcias. Sed ne per ignorantiam rideas, lege defensionem meam contra Magdeburgenses, vt intelligas, qua ratione, & auctoritate, atque exemplo sic scientissime interpretatus sit, & postea ride, si libeat, vt te magis ridiculum, & alijs ridendum præbeas. Prosequamur, quæ sequũtur. Addam *(inquis)* postremo Cyprianũ, libro de vnitate Ecclesiæ, vel de simplicitate prælatorum ita loquentem, hoc erant vtique & cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis; sed exordiũ ab vnitate proficiscitur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna mõstretur. Hoc ille. *Deinde addis,* Turrianus aũt post Iacobũ Pameliũ ex codice Cardinalis Hosij, addit hæc verba, primat⁹ Petro datur, & præponit particulã, &, quod tamen nõ fecit Pamelius. *Sed non op⁹ est discepta re de hac lectione; omittamus ista, quæ etiã tu Antoni omittenda esse iudicasti, ne de varijs lectionibus decertandum esset. Tibi satis esse dicis Antoni,* quòd ex Cypriano constet, primatum Petri non esse primatum potestatis. sic enim ille, cæteri Apostoli erant, inquit, pari consortio præditi honoris, & potestatis. Vnde sequitur, primatum illum Petri fuisse tantum ordinis ad Ecclesiæ vnitatem demonstrandam, idq; veterum illorum sententia. *quid ad hoc respondissem Andreæ Freyhubio eundem Cypriani locum mihi obijcienti, audire potuisti, si librum meũ legisses, cui tu quoq; respondere voluisti, vt Andream succumbentem adiuuares: sed quia noluisti legere, vt respõsum meũ audires, quadrat in te, quod Salomon in Prouerb. ait,* XVIII. *qui prius respondet, quam audi-*

at, stul-

at, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Repetam igitur, quæ illic pagina LXIII. scripsi, Illud verò quod secum facere, non intelligentes, falsò existimarunt, hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, non significat, quales remanserint apostoli post primatum Petro datum, sed quales antea erant. Ante primatum enim Petri pares erant honore, & potestate; Omnes enim erant Apostoli; sed hoc non obstitit, quin vnus præponeretur; id est, licet omnes antea erant æquales, vnus tamen Petrus deinceps cæteris apostolis præpositus est, domino ita instituente, & eisdem Apostolis id ipsum volentibus. Sic autem intelligendum esse quod Cyprianus ait, & isti nobis obiecerunt, ex epistola Anacleti tertia, ex qua hoc Cyprianus mutuatus est, facile intelligi potest: sic enim ait, nam & inter beatos apostolos quædam fuit discretio: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis. Et paulo post, Sed videamus, quemadmodum hic grauissimus testis ab istis contra nos citatus Petri primatum, qui est Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, & origo vnitatis eius, in alijs etiam locis diuine confirmet. In epistola ad Florentium, siue Puppianum, loquitur (inquit) ille ad Petrum, super quem ædificata fuerat Ecclesia; & in epistola ad Antonianum, vt sciret, inquit, te secum (Cornelium dicit) hoc est, cum Ecclesia Catholica communicare, sic Cyprianus interpretatus est, communicare cum Episcopo Romano Cornelio, tantundem esse, quantum cum Ecclesia Catholica communicare. Quare hoc? nisi quia pars Ecclesiæ Catholicæ esse non potest, qui à Petro vnitatis origine discedit. Rursus in eadem Epistola ad Antonianum loquens de Cornelio facto Episcopo Romano, & cum post primum (inquit) secundus esse non posset, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est, non iam ille secundus, sed nullus est. Est igitur testimonio Cypriani martyris Pontifex Romanus Episcopus primus non numero, sed loco, id est, honore & potestate.

Interpretatio Loci Cypriani ex epistola S. Anacleti, & ex alijs locis eiusdē Cypriani petita.

Qui enim talis est, solus esse debet; vt recte ait Cyprianus, cum alioqui si non solus sit, sed alij pares, aut alius; non iam primus sit re, hoc est, honore, & potestate, sed numero tantum. (hunc tu vocas primum in ordine; in numero enim est etiam ordo) at qui numero tantum primus est, non est merito potestatis primus, sed arbitrio numerantis, qui secundum aut tertium pro primo, si velit, sine iniuria numerare possit. Hactenus quæ illic scripsi. Ad hæc tu respondere debebas; sed quia non potuisti, callide more tuo, vt alios deciperes, dissimulasti. Adiungis deinde, Atque vt Cyprianus ipse obstruat os pontificijs, hunc Matthæi locum ad suum pontificem restringentibus, attendantur ea, quæ statim subijcit: episcopatus (inquit) vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. *Immo vt Cyprianus ipse tibi, & omnibus ministris, qui Protestantes seducunt, os obstruat, attende tu, quod nesciens contra te ex ipso Cypriano citasti. Episcopatus, inquit, vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur; hûc versiculum tantum recitasti. Attende nunc mecum antegressa, & sequentia, si forte intelligas te à tuo teste conuictum, Episcopatus, inquit, vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Si episcopatus vnus est, vt dicit Cyprianus, est igitur vnus episcopus, qui præest episcopatui, qui vnus est. non enim potest esse, immo neq; cogitari episcopatus sine episcopo; sicut neque sacerdotium sine sacerdote. Dicat Cyprianus, testis tuus, quis iste vnus Episcopatus, cui vnum, vt dixi, episcopum præesse necesse est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia, inquit statim, vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quem prius dixit episcopatum vnum, dicit nunc Ecclesiam vnam, quæ, vt statim ait, per orbem totum radios suos porrigit. Itaque Ecclesia vna catholica, cuius partes sunt omnes particulares Ecclesiæ per cunctum orbem diffusæ, quarum vnaquæq; est suo episcopo ascripta, vt eius curæ præsit, est ille vnus Episcopatus, quem proximè dixerat, cuius à singulis in solidum pars tenetur, quia vnusquisque episcopus de episcopatu particulari, qui est pars illius vnius episcopatus vniuersalis per cunctum orbem diffusi, id est,*

Quæ Antonius dissimulanter præterierit, quia ad ea respondere non potuit.

Quomodo à teste suo Cypriano, quem Antonius citauit, conuictus sit nesciens.

Cyprianus sui interpres, quem vocet episcopatum vnum, cuius à singulis in solidũ pars tenetur.

est, Ecclesiæ vnius catholicæ, sibi ascripto redditurus sit rationem in solidum, vt idem Cyprianus exposuit libro 1. epist. 3. ad Cornelium, cum ait, et singulis pastoribus portio gregis sit ascripta quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus, hoc est, teneri à singulis partem vnius episcopatus in solidum, ita teneri, vt vnusquisque de ea parte, quam tenet, sit solus rationem domino, qui commisit, redditurus. Dicat deinde idē Cyprianus, vtrum istius episcopatus, qui vnus est ex multis partibus, id est, ex multis particularibus episcopatibus constans, siue istius Ecclesiæ, quæ vna est ex multis Ecclesijs particularibus constata, vnum caput sit, & vna origo? post quam enim dixit, Ecclesiam vnam, siue episcopatum vnum, (idem enim est in hoc Cypriani loco,) ex multis partibus nexis & cohærentibus constare, idque pluribus exemplis similibus docuit, subiungit, vnum tamen caput est, & origo vna; vna mater fœcunditatis successibus copiosa. Hæc est Ecclesia, quæ vna est, vt paulo ante dixit, cuius fœtu, inquit, nascimur, & lacte nutrimur, &c. Ecclesia non est caput, sed corpus habens caput, nec est origo, sed habens originem, sed quia tu hic dicturus es, cum dicit Cyprianus, vnum tamen caput est, origo vna, Christum intelligere; sicut Apost. ad Eph. scripsit, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius, & plenitudo ipsius; hoc enim tu dices nō intelligens Cyprianū: dicat potius testis tuus Cyprianus, quodnam caput intelligat, & quam originem. attende igitur mecum quæ paulo ante in eadem pagina scripserat, reddens rationem schismatum, & vnde ortum ducant hæreses, hoc eo fit, inquit, fratres delectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, neque quæritur, neque magistri cælestis doctrina seruatur. Exponat tibi adhuc amplius Cyprianus, quodnam istud caput, quod à schismaticis, & hæreticis non quæritur? & quæ ista doctrina magistri cælestis, quam hoc loco dicit non seruari? quæ si quis consideret, inquit, & examinet, tractatu longo, atque argumentis non opus est, probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus: & super istam Petram ædifi-

Quomodo quid sit in solidum à singulis partem vnius episcopatus teneri, idē Cyprianus interpretatus est.

Quomodo idē Cyprianus declarat de quo capite Ecclesiæ loquatur.

cabo Ecclesiam meam; & portæ inferorum non vincent eam. tibi dabo claues regni cælorum; & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis & c. Et eidem post resurrectionem suam dicit, pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me pater, & ego mitto vos; accipite spiritum S. si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur; non enim vnus apostolus, magis quã alius ligabat aut remittebat; sicut nec vnus Episcopus licet minor, magis ligat, aut soluit, siue remittit, aut retinet quam alius licet maior; nec enim vnus Apostolus magis erat apostolus quam alius; nec vnus episcopus magis est episcopus, quã alius, vt postea cõmodiore loco magis explicabo. deinde subiungit, Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis ipsius originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Si igitur origo vnitatis Ecclesiæ, Deo ita disponente, à Petro incipit, qui à Petro discedit, is vnitatem Ecclesiæ non tenet. Et vt ad primatum ordinis redeã, quem Petro concessisti ad Ecclesiæ vnitatem demõstrandam, quomodo tribuis tu cum tuis Protestantibus, quos defendis, hunc primatum ordinis vni successori Petri? cum enim auctoritate sua, vt testis tuus Cyprianus ait, dominus disposuerit, vt à Petro origo vnitatis Ecclesiæ inciperet, & Petrus iã ab hac vita recesserit, quia morte prohibit9 fuit permanere, sequitur, vt à successore eius incipiat nũc origo vnitatis Ecclesiæ; aut cum morte Petri desierit Ecclesia esse vna; quia vna esse non potest, quæ ex multis Ecclesijs toto orbe terrarum diffusis constat, nisi exordium vnitatis à capite Ecclesiarum incipiat, sicut à Petro incepit secundum auctoritatem dispositionis domini. Quod si istum primatum ordinis concedis successori Petri, vt concedere cogit testis tuus, qui ait, disposuisse dominum auctoritate sua, vt origo vnitatis Ecclesiæ ab vno inciperet, à Petro scilicet, ac proinde à successore eius, age Antoni, quomodo vos hunc primatum ordinis successori Petri datis, si successorem eius negatis? aut si quemlibet Episcopum successorem eius esse dicas, sequetur tot esse origines vnitatis Ecclesiæ, quot sunt Episcopi, & cum Ecclesia sit vnum corpus Christi, sequetur tot esse capita

Quomodo necesse sit secundum domini dispositionem auctore Cypriano tribui Protestantium, vt origo vnitatis Ecclesiæ nunc à successore Petri incipiat; aut cum morte Petri Ecclesia desierit esse vna.

capita vnius corporis, quot sunt Episcopi, si quidem à capite visibili, cuiusmodi fuit Petrus, incipit origo vnitatis corporis visibilis. ergo quia successorẽ Petri dare à teste tuo cogeris, vrgebo primam interrogationem, quomodo primatum ordinis successori Petri tribuis? quomodo originem vnitatis Ecclesiæ auctoritate domini in eo dispositam honoras? reuereris? agnoscis? si putas honoratũ fuisse à domino Petrum, cùm auctoritate sua disposuit, vt ab eo inciperet origo vnitatis Ecclesiæ, quam super eum ædificauit, vt vnus testis hic affirmat, & qui, vt ait Tertull. in libro de præscriptionibus hæreticorum, ædificandæ Ecclesiæ petra dictus est, quomodo tu secundum dispositionem domini honoras eum, in quo origo vnitatis eiusdem Ecclesiæ successione vicariæ ordinationis cõtinuatur vsque ad consummationẽ sæculi? Deinde, rogabo te, putas ne ad aliquem Ecclesiæ vsum datum esse illum, quem Petro concedis primatum ordinis, an ad nullum? certe ad nullum dicere temerarium, & impium est, non enim viæ domini sunt secundum prophetam, sicut viæ hominum, qui multa faciunt frustra, ac sine vlla vtilitate: si datus est ad vtilitatem Ecclesiæ, age ergo, quam vtilitatem Protestantes ex isto primatu ordinis capiunt? si nullam, frustra igitur disposuit nobis auctoritate sua, quod Cyprianus testis tuus affirmat auctoritate sua disposuisse, vt origo scilicet vnitatis Ecclesiæ ab vno inciperet, ab eo, inquam, de quo dixit, sicut ibidẽ ait Cyprianus, Tues Petrus, & super hanc petram &c. Postremo, cum ait Cyprianus, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit, an non didicisti à Grammaticis, coniunctionem, tamen, aduersatiuam esse? aliquid igitur infert secum contrarium antegresso, ei scilicet, quod dixerat, & quamuis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, scilicet ligandi, & soluendi, vt statim dicit, est scilicet contrarium æqualitati illi omnium Apostolorum in ligando & soluendo.

Quomodo rursus redarguitur primatus ordinis, quẽ Antonius somniat, sine vlla potestate, & vsu.

Quomodo coniunctio aduersandi in loco Cypriani Antonium, nisi Grãmaticæ imperitus est, redarguit.

soluendo, (æque enim ligatus vel solutus est, qui à quouis potestatem ligandi & soluendi habente ligatus, vel solutus est) habere Petrum primatum, id est, esse caput, & originem, vnde vnitas Ecclesiæ, & ordo sacerdotalis, vt Anacletus in epist. 3. scripsit, & potestas ligandi, & soluendi incipiat; quia sic dominus auctoritate sua disposuit. Refuta tu hæc solidis rationibus, aut veterum testimonijs, aut scripturis sanctis, vel apostolicæ traditionis doctrina, & non nugis, & nugatorijs cauillationibus: in eo enim te laborare solum video, quomodo more serpentis lubrici aliquam elabendi falsam speciem, & occasiunculam reperias deprauando, contorquendo, diuerticula, & flexus rimando. Citas deinceps iterum Cyprianum, qui contra te testatur, Etenim si Christus disponens episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem, Petro dixit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, igitur qui negat Ecclesiam Christi ædificatam esse super Petrum, rationem illi quidem Ecclesiæ sic à domino dispositam, vt esset super Petrum ædificata, tollit; & honorem, qui per Petrum ad episcopos manat, illis detrahit. Illud autem quod sequitur, quod tu dissimulasti, magis adhuc te redarguit postquam enim dixit, loquitur & dicit Petro, ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram, &c. subiungit, inde per temporum, & successionum vices episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super episcopos, constituatur, & omnis Ecclesiæ actus per eosdem præpositos gubernetur, si inde id est, à Petro decurrit episcoporum ordinatio, quia à Petro, sicut Anacletus in epist. 3. scripsit, cœpit ordo sacerdotalis, ergo qui à Petro, id est, à successore Petri discedunt, ordinationes episcoporum, & eorum successiones habere non possunt, nec eorum Ecclesia constituta esse potest, quia episcopos, super quos constituatur, non habet. Hæc ex testimonio tui testis contra te cõclusa sunt. Quòd si qui *(inquis)* ex veteribus probatioris fidei dixerint, Ecclesiam in Petro fundatam fuisse; illud intelligendum est non de Petri persona, sed de doctrina ab ipso Petro annunciata; quæ omnibus vnum Christũ proponit. *Et hoc quoque quod dicis, Antoni, in te dicis. cũ enim*

Quomodo Antonius refuter ea, quę refutat.

Cyprianus ab Antonio rursus testis citatus contra eum.

Quid Antonius in testimonio Cypriani à se recitato per dissimulationem prætererit, quod eum magis adhuc redarguit.

ais, Ecclesiam fundatã esse super doctrinam ab ipso Petro annunciatam; simul dicis fundatam esse super personam Petri doctrinã annunciantis. doctrina enim vt à Petro annũciata, & persona Petri vt doctrinam annunciantis, idem re sunt, ratione tantum differentia, vt via Athenis Thebas; & Thebis Athenas. Deinde, cũ doctrina, alicuius hominis doctrina sit, esſ enim qualitas, necesse esſ, vt super alicuius hominis doctrinam fundata sit Ecclesia, si super doctrinã à Petro annunciatã fundata esſ: quæro igitur, ista doctrina à Petro annunciata cuius hominis erit tanquã docentis, quæ διδαξις dicitur? eritne tua? aut mea? dices fortasse, neq; mea, neq; tua, sed Ecclesiæ doctrina, q̃ falsa esse non potesſ. Erit igitur Ecclesia Christi fundata super doctrinam Ecclesiæ, id esſ, super se ipsam docentem. Atque ita idem erit fundamentum, & quod super ædificatur. Vide, quorsum euaserit tua doctrina, & interpretatio. videamus, quæ sequuntur in tuo libro: Tu verò, *inquis*, profers etiam Romanos aliquot pontifices sibi in alias Ecclesias principatum arrogantes, vt Clementem, Anacletum &c. quorum pleraque scripta, etiam si tibi assentirem, non esse ψευδεπίγραφα, nec afferrem varias sententias de huius Clementis scriptis, quæ extant apud Gratianum Dis. 16. neque refutarem ipsum Clementem sua scripta inter scripturas canonicas recensentem in canonibus Apostolorum ad finem; tamen affirmare possem testimonium in sua causa non esse admittendum. rectè enim Tertullianus, nemo, inquit, sibi professor, & testis est, aduersus Marc. libro 5. *Quia conscius tibi eras, quàm leuia essent, quæ habebas ad obijciendum in scripta Clementis, quibus Ecclesia vtitur; & in Anacletum nihil; concessione vsus es, melior rhetor, quam philosophus, aut theologus. Itaque das non esse ψευδεπίγραφα, id est, falsò inscripta, quæ his pontificibus Apostolicis inscripta feruntur, quia non esse talia, probare neq; tu potuisti, nec alij ante te, contra quos pridem ea defendi, potuerunt. Ex duobus verò, quæ te putasti habere, vnum esſ, varias esse sententias, vt tu dicis, de huius Clementis scriptis, quæ extant apud*

Quomodo contra se pronunciat Antonius.

Gratianum dis. 16. *Canones Apostolorum à Clemente Romano scriptos, & epistolas eiusdem satis me à calũnijs Magdenburgensium defendisse arbitror, refelle tu si potes non nugatorie & futiliter, vt soles omnia, sed grauiter, vt academiam tuam decet: alterum est, ipsum Clementem scripta sua inter canonicas scripturas recensuisse, quod falsum esse ex ipsius Clementis verbis intelligi potest, si quis non oscitanter legat, vt à me etiam animaduersum, & notatum est libro primo contra Centuriatores c.* XI. *in extrema fere pagina, cũ responderem quibusdã, qui acta apostolorũ prætermissa esse in illa librorũ canonicorum enumeratione & epistolas cũ constitutionibus Apostolorũ illis esse præpositas falso existimabant. Repetam hic tibi, quæ illic scripsi. Illud præterea ab istis quæri solet, cur inter sacros libros nõ sit in canone isto Apostolorũ numeratus liber Actuũ Apostolorũ. Immo verò numeratus est, tametsi non oẽs aduertant. Non enim quia posse epistolas duas Clementis, & libros de constitutionibus collocatus est, ideirco non est inter sacros, & Canonicos relatus; vt non referuntur epistolæ Clementis, neque libri constitutionum. Quod quidẽ non obscure idem Clemens significauit. Vt enim auctoritatem libri actorum ab auctoritate epistolarum Clementis, & librorum de constitutionibus distingueret, dixisse mihi videtur, Epistolæ Clementis duæ, & constitutiones vobis per me Clementem scriptæ. sciebat enim se nec Apostolum, nec Euangelistam esse; de libro autem Actorum subiungit in persona Apostolorum, & Acta nostra, qui sumus Apostoli. Hoc enim significat, καὶ πράξεις ἡμῶν τῶν ἀποστόλων. Atque esse quidem hunc librum actorum à Clemente inter Canonicos relatum, magis adhuc ex libro secundo de constitutionibus c.* 57. *intelligi potest, sic enim ait, in persona Apostolorum de libris sacris, & Canonicis, qui in Ecclesia legendi sunt, Stet autem in medio in loco celsiore Lector, & legat ex libris Moisis, Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Esdreæ, Iob, Salomonis,* XII. *Prophetarum, Psalmorum Dauid: postea legantur Acta nostra, & epistolæ Pauli adiutoris nostri, quas misit ad Ecclesias secundum spiritus sancti institutionem. Deinde Diaconus aut presbyter legat*

Quæ in Clementis scripta Antonius Sadeel temerè obijciat.

Quomodo non obscure significauit Clemens non referri inter libros Canonicos epistolas ei & libros cõstitutionum.

legat Euangelia, quæ ego Ioannes, & Mattheus tradidimus vobis; & quæ auditores Pauli acceperunt, & tradiderunt vobis Lucas, & Marcus. Hactenus Clemens. Nec hic epistolas suas, neq; libros constitutionum recensuit. His igitur duobus à te liberaliter condonatis, & concesso, rethorice non esse ψευδεπίγραφα Anacleti, & Clementis scripta, tamen affirmare, inquis, possem, testimonium illorum nō esse in sua causa admittendū. Quia Clemens scribit se à beato Petro in locum eius ordinatum, & beatus Anacletus, se in Sede Apostolica domino seruire; & in secunda epist. scribit, se Ecclesiæ, in qua Petrus apostolus residens docuit, gubernacula tenere, tametsi profitetur quidem se honore, & sanctitate minorem esse, idcirco testimonium in sua causa eos dicere opponis, & ob eam causam non esse admittendum. Liceat hic dicere, quantum causa, & persona hominis pati potest. quod dominus de se dixit, si ego testimoniū perhibeo de me ipso, testimonium meū non est verum, alius est qui testimoniū perhibet de me, hoc dominus dixit intuens in illorum opinionem, qui idē, quod tu nunc, obijciebant. Dominus verò alius, inquit, est, qui testimoniū perhibet de me; sic etiam tibi Antoni respondemus, fuisse istos quidem pontifices Romanos, quos hic dicis arrogasse sibi in alias Ecclesias principatum, testes sunt omnes Ecclesiasticarum historiarū scriptores; qui in locum Petri ordinatos fuisse narrant, & affirmant; habuisse verò principatum in omnes ecclesias, testimonium hominū non accipimus, sicut idē de Ioanne dixit; cum enim dixisset, alius est, qui testimoniū perhibet de me; & scimus, quia verum est testimonium eius, quod quidem de Ioanne dixit, docuit testimonium Ioannis nō hominis, sed Dei testimoniū fuisse, à Deo enim ille didicit; sic etiam istos duos beati Petri successores, & cæteros omnes, qui eis vicaria ordinatione succedunt, habuisse illos, & hos itē habere principatum in omnes Ecclesias, testimonium habemus maius hominibus, Christi scilicet testimonium, qui beatum Petrum Ecclesiæ suæ præfecit, & super illum tanquam super magistrum domus suæ, & patrem familias domum Dei, quæ est Ecclesia columna & firmamentum veritatis, ædificauit, sicut se ædificaturum promiserat.

Quid respōdeatur Antonio obijcienti pontificum testimonium in sua causa nō esse admittendū, Clemētis, Anacleti, & aliorum, qui affirmant se successores esse beati Petri.

Quomodo fuisse successores Petri, & habuisse principatū totius Ecclesiæ pontifices, quos Antonius doctor Protestantium negat, testimoniū habemus maius hominibus.

» *miserat. Deinde*, ipsa, *inquis*, vestrorum episcoporum scri-
» pta non satis inter se cohærent; quandoquidem constat
» ex Gregorio, Petrum non ante fuisse cęteris præpositum,
» quàm post lapsum resipuisset. Can. Considerandum, dis.
» 50. atque ita manifestis verbis huic Matthæi loco renun-
» ciat, qui longè Petri lapsum anteceſſit. *Iam antea satis ad hoc responsum est, cum aiebas, rogasse Christum pro Petro, ne deficeret fides eius, sub ipsum passionis suæ tempus; ac proinde non pertinere illam Christi pro Petri fide orationem ad Pontificatum Petri in illo Matthæi loco longe ante fundatum; respondi in illo Matthæi loco promisisse ædificaturum se Ecclesiam super Petrũ, quem petram vocauit propter firmitatem fidei nunquam defecturæ, quam illi à Deo patre orãdo impetraturus erat, sicut impetrauit. Post resurrectionem verò præstitit, quod promiserat, cum ei dixit, pasce oues meas. Tunc enim constituit eum pastorem vnũ & primum totius gregis, sicut idem dixit, & erit vnus pastor, & vnus grex. Super curam enim & potestatem pascendi, ac gubernandi huius pastoris, ouile suum, id est, Ecclesiam Catholicam ædificauit. Fatuum itaq; & delirum est, quod ais, Gregoriũ illis verbis ex cap. Considerandum, renunciasse loco Matthæi, quasi idem fuisset promittere ædificaturum se Ecclesiam super Petrũ; & iam ædificare, & idem, futurum, & iam esse.* Deinde, Porro, *inquis*,

Quomodo Antonius nõ discernit ædificaturũ esse, & ædificare; futurum, & iam esse.

» veteres de sedibus Apostolorum numero multitudinis lo-
» quuti sunt, non autem de sola Petri sede, quemádmo-
» dum citat Gratianus ex Aug. Can. Palam est, dis. 11. *Ita est, vt dicis Antoni, ne te semper mendacij arguam, veteres aliquando de sedibus Apostolorum loquutos esse, non autem de sola Petri sede. Sed quid refert, quandoque loquutos esse de sedibus Apostolorum, & non tantum de sola Petri sede? magis hoc doctrinam Protestantium falsitatis coarguit, & cõuincit. si enim sola sedes Petri doctrinam Protestantium & reliquorum hæreticorum refelleret, & dãnaret, quasi ipsa sola accepisset doctrinã Apostolorum, in qua omnes Apostoli pares fuerũt, (æquale enim charisma cæleſtis sapientiæ, & doctrinæ, & æquales primitias spiritus, sicut*

Quomodo aliquando loquutos sit esse veteres numero multitudinis de sedib. Apostolorũ quod Antonius obijcit, magis hoc doctrinam Protestantiũ falsitatis redarguit, & conuincit.

antea

antea dixi, acceperunt omnes) multo minus auctoritatis habitura erat, quis hoc dubitet? sic etiam, cum Faustus Manichæus, contra quem disputat Aug. dicebat falsatum esse, quod legebatur in epist. ad Rom. esse Christum filium Dei ex semine Dauid secundum carnem, si hoc in solis codicibus Sedis Romanæ apostoli Petri legeretur, nõ satis Faustus ab Augustino refelli potuisset, at verò quia in omnibus alijs Ecclesijs, quas sancti Apostoli docuerant, & episcopos in eis ordinauerant, sic legebatur, vides, inquit, in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur? Et paulo post, hoc autem quod aduersus impietatem vestram ex apostoli Pauli epistola profertur, filium Dei ex semine Dauid secundum carnem, omnes codices, & noui, & veteres habent; omnes Ecclesiæ legunt, omnes linguæ consentiunt. Exuimini ergo pallio fallaciæ &c. Apostolorum sedes fundatissimas vocauit Ecclesias illas, quas ipsi sancti Apostoli instituerunt, & in eis episcopos quos docuerant, successores suos reliquerunt. de quibus idem Aug. dist. 19. Can. In canonicis, ex libro 2. de doctrina Christiana c. 8. sic ait, in canonicis autem scripturis Ecclesiarum Catholicarum quàm plurium auctoritatem sequatur: inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. De istis sedibus fundatissimis, in vera scilicet & catholica, atque apostolica doctrina, scribit S. Irenæus libro 3. contra hæreses c. 3. disputans contra eos hæreticos, qui aiebant, alia scripsisse Apostolos, & alia occulte tradidisse discipulis; etenim si recondita, inquit, mysteria sciissent Apostoli, quæ seorsum & latenter à reliquis perfectos docebant, ijs vel maximè traderent, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij eis tradentes. Explicauit, quæ dicantur sedes Apostolorum, nempe ecclesiæ illæ, in quibus cathedras, & magisteria sua, doctrinam, inquam, suam reliquerunt suis successoribus. Deinde subiungit, sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum

Quomodo & quatenus fuerint æquales apostoli.

Quas vocet Aug. fundatissimas Apostolorum sedes.

Quas vocauerit Irenæus sedes apostolorum.

rum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successionem episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præter quã oportet, colligunt; ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles. in qua semper ab ijs, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab apostolis, traditio. En Antoni, multæ sedes siue cathedræ Apostolorum; multæ, inquam, Ecclesiæ, quæ sedes Apostolicas, vt August. dixit, habere meruerunt; sed vna maxima, & antiquissima sedes, siue cathedra, ad quam necesse est conuenire omnem sedem, siue cathedram; vna, inquam, maxima Ecclesia, ad quam conuenire necesse est omnem Ecclesiam, vt Irenæus ait. Hunc locũ sequutus, & imitatus doctus auctor Tertullianus, dum quærit testes veræ doctrinæ & apostolicæ, percurre, inquit, in libro de præscrip. hær. Ecclesias Apostolicas, apud quas authenticæ litteræ earum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem; si proxima est tibi Achaia; habes Corinthum: si non longe es à Macedonia, habes Philippos: si potes in Asiam tendere; habes Ephesum: si autem Italiæ adiaces, habes Romanã: vnde nobis quoque auctoritas præsto est statuta. Fælix Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderũt. Quia præscripsit, vocandas esse Ecclesias Apostolicas ad testimonium veritatis doctrinæ; & in Ecclesia Romana vt prima, & principali nõ solum erat probatio tanquam testis, sed auctoritas tanquam iudicis, postquam dixit, si autem Italiæ adiaces, habes Romanam, subiungit, vnde nobis quoque auctoritas præsto est statuta. Et paulo ante loquens de Apostolis & de Apostolicis Ecclesijs, quas instituerunt, deinde, inquit, in orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt: & proinde Ecclesias apud vnamquamque Ciuitatem condiderunt. Quibus traducem fidei &

Multæ sedes, siue cathedræ apostolicæ, sed vna maxima, & principalis, ad quã necesse est conuenire omnem sedem siue cathedram Apostolicã; multæ Ecclesiæ apostolicæ, sed vna maxima, & principalis Romana ad quã necesse est omnem Apostolicam Ecclesiam conuenire.

Quomodo Tertullianus locũ Irenæi sequutus est.

dei & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant: ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. En rursus Antoni, vna prima Ecclesia Apostolica ab Apostolis Petro & Paulo scilicet prædicationibus eorum erudita, & instituta, ex qua omnes Eccesiæ tanquam ex capite, & origine profectæ sunt, & Apostolicæ dicuntur, & sunt, quoniam, vt paulo post idem Tertullianus ait, in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Quomodo enim vna Ecclesia prima Apostolica esse poterat, vt est, nisi aliæ essent Ecclesiæ Apostolicæ, quarum illa prima Apostolica censeretur? primum enim non est nisi eorum, quæ ex primo originem ducunt. Et Rursus illæ aliæ Ecclesiæ Apostolicæ illa vna & prima sunt, quatenus vnitatem vnam, cuius illa prima Ecclesia Apostolica origo est, probant. Vestræ igitur Ecclesiæ non sunt Apostolicæ, sed potius Pseudoapostolicæ, dum hæc prima Romana non sunt, quia vnam vnitatem, cuius ipsa est origo, non probant. Iam credo ex his intelligis, sic loquutos esse veteres de sedibus Apostolorum, siue de Ecclesijs Apostolicis numero multitudinis, vt simul de sede prima, siue de Ecclesia prima Apostolica non tacuerint. Prima enim, vt vocat Tertullianus & principalis, vt Irenæus, esse non potest, nisi aliæ sint Ecclesiæ Apostolicæ post eam, quæ tanquam soboles ad originem suam censeantur. neque rursus prima erit nisi in primatu sola sit: neque principalis, nisi sit ante omnes alias Ecclesias Apostolicas, & super omnes, & ex qua omnes. Ita enim verbum principale declarat idem Tertullianus disputans contra Hermogenem, qui Deum priuabat principalitate, cum ei materiam æquabat. Igitur veteres de sedibus Apostolorum numero multitudinis loquuti non solum Sedi Petri Apostoli, quæ sola est, quia

Quomodo vna prima Ecclesia Apostolica esse nō poterat, nisi aliæ Ecclesiæ Apostolicæ essent.

Quomodo Ecclesiæ Protestantium Ecclesiæ Pseudoapostolicæ sunt.

Quòd prima & principalis Ecclesia apostolica esse non potest, nisi sint aliæ Ecclesiæ apostolicæ post eā, quæ tanquā soboles ad illam tanquā ad originē suam censeantur.

Quomodo verbū principale Tertull. interpretatur.

Quomodo demonstratum sit, cum veteres de sedibus Apostolorum numero multitudinis loquuti sunt, non solum eos nõ derogasse sedi Apostolicæ beati Petri, sed eã cõfirmasse.

quia prima, non derogant, sed eam statuunt. hactenus de sedibus Apostolorũ numero multitudinis, quod tu obiecisti, & ipse contra te retorsi. De sola autem sede Petri frequentissimè loquitur Augustinus. ille locus sit tibi nũc satis, cum ait libro contra epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, c. 4. docens, quæ essent illa, quæ Augustinum in Ecclesia catholica tenebant, quæ nos etiam tenẽt, & vos Protestantes tenere deberent. multa, inquit, sunt alia, quæ in eius gremio me iustissime teneant, tenet consensio populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta; vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem dominus commendauit, vsque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum. Iam hic cauillari non poteris; nec vllo modo negare, quin de singulari sede Petri loquatur, sedem Petri vocat episcopatum eius, & episcopatum sedem; vt sit perinde ac si diceret, tenet ab ipso episcopatu Petri vsque ad præsentẽ episcopatum, siue ab ipsa sede Petri vsque ad præsentem sedem successio sacerdotum, id est, episcoporum, illi succedentium. familiare est antiquis patribus vocare episcopos Sacerdotes; duo enim sunt, inquit sanctus Anacletus genera sacerdotum, presbyteri & episcopi. Sed venit mihi in mentem Antoni belle, vt te interrogem, qui cap. Aug. Palam est, de sedibus apostolorum numero multitudinis contra sedem Petri singularem obijciendum esse putasti, quid respondebis ad testimonium Innocentij primi, sanctissimi, perantiqui, & eruditissimi, quod proxime in eadem dist. XI. vno breuiculo capite interiecto sequitur. recitemus illud propter eos, qui non habent ad manum Gratiani decretum. Quis, inquit, nesciat, aut non aduertat, id, quod in principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari? neque superduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem debeat generalẽ aliunde accipere, vel exemplum? præsertim cum sit manifestũ, in omnem Italiam, & Galliam, Hispaniam, & Africam, atq; Siciliam, insulasq; interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut successores eius constituerunt sacerdotes.

Caput insigne in eadẽ distinctione XI. capite. Palam est, obiecit nobis Antoni, vno breuiculo capite interiecto, ab eodem Antonio dissimulatum, quo totaei in pontificẽ Petri successorem argumentatio retunditur.

Legant

Legant autem si in his prouincijs alius Apostolus inuenitur? aut legitur docuisse. quod si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua principium eos accepisse non dubium est; ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur amittere. An dices, quod paulo ante dixisti, testimonium hoc pontificis in causa sua non esse admittendum? demus tibi hoc, si solius pontificis testimonium est; Immo si aliorum plurium; at quid? si omnium est? quid? inquam, si omnes historiæ hoc testantur? aut profer tu aliquam, quæ contra quàm hic pontifex Innocentius testatur, narret. Quod si adhuc dixeris, ne sic quidem esse credendum, reliquum est, vt tibi dicamus, quod Augustinus dixit libro priore de moribus Ecclesiæ c. 29. Manichæis, qui dicebant falsas esse scripturas sanctas, quibus tamen testimonium tribuit cuncta Ecclesia, consequetur namque, inquit, omniũ litterarum summa peruersio, & omniũ, qui memoriæ mandati sunt, librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum, & temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, vt ne historiæ quidem vulgaris fidem possit grauitatemq; obtinere. Sequitur in tuo libro.

Videat Antonius, & iudicet academia eius, an sit hoc testimoniũ pontificis solum in causa sua, vt nõ sit admittẽdum iudice Antonio. Quomodo in Antoniũ quadret, quod Aug. Manichæis respondit, si pergat non credere testimonio omnium ecclesiarum, & historiarum.

CAPVT XVIII.

Responsio ad id, quod obijcitur ex dist. 99. cap. primæ sedis, ne episcopus primæ sedis, appelletur princeps Sacerdotũ, aut summus Sacerdos. Quomodo redarguatur Antonius, cum eludit, quod Tertull. pontificem Romanum Episcopum Episcoporum vocat, quasi ad perstringendam eius ambitionem sic vocasset, vt inepte interpretatur.

PRæterea ipsis Synodum decretis interdictũ est, ne quis princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, vel vniuersalis, aut aliquid huiusmodi appelletur, sed tantum primæ sedis Episcopus. Can. primæ sedis, & sequẽtis dist. 99. vbi nominatim vetat canon, ne ipse Romanus pontifex vniuersalis appelletur. *Magnum argumentum impudentiæ, & inopiæ vestræ est Antoni, quod eadem semper ob-*

iectatis, & quæ nos ad ea respondere solemus, semper tacetis, semper dissimulatis. Si refellere, & infirmare potestis, cur parcitis? an non est hoc ad ἀφωνίαν compulsos esse? respondi super Magdeburgensibus centuriarũ auctoribus, & tuis Commilitonibus libro 3. cap. 1. quæ te credo legisse, licet silentio callide dissimules, cogor repetere, quæ illis respondi propter eos, qui non legerunt, neq; fortasse libros habent. Post quam probaui ἀνεξελέγκτως auctoritate ipsius Synodi Carthaginensis, & Mileuitanæ, tum Augustini, Prosperi Aquitanici, & Possidonij, & aliorum, nunquam Synodũ Carthaginiensem negasse, aut refutasse primatũ episcopi Romani, vt Centuriatores mentiebantur, subiunxi, Qua fronte igitur, quod in eadem Synodo decretum est, seu potius renouatũ, & ex tertia Synodo Carthagin. c. 26. repetitum; vt episcopus primæ sedis nõ appelletur princeps sacerdotũ, aut sũmus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantũ primæ sedis Episcopus, hoc ad episcopũ Romanæ sedis referre audetis? & quod magis ridiculũ est, nõ aduertistis vos vobis contradicere. Cum .n. Episcopum Rom. episcopum primæ sedis vocari, & esse conceditis, primatũ ei, licet inuiti & nescientes, conceditis. Quomodo .n prima inter reliquas alias Sedes esse poterat, nisi primatũ inter eas haberet? cũ enim Romana nõ sit prima Sedes in his aut illis prouincijs, vt est Carthagin. prima in prouincijs Africæ; Alexãdrina prima in prouincijs Ægypti, Lybiæ, & Pẽtapolis; Antiochena itẽ prima in suis; relinquitur, vt sit prima Sedes in omnib prouincijs Ecclesiæ Catholicæ, aut nusquã est prima. Habet igitur potestatẽ in episcopos omniũ prouinciarũ, vt habet propter eius formã Alexãdrina Sedes potestatẽ in suarũ prouinciarũ episcopos; Antiochena itẽ in suarum; & Carthagin. in episcopos Africæ. Aut dicãt Centuriatores, si sciunt, aut vsquã legerunt, in quarũ prouinciarũ Episcopos habeat priuate potestatẽ prima sedes episcopi Romani, quã ipsi confitẽtur appellatã esse in Synodo Carthagin. primã Sedẽ. Aut si dicere non possunt, superest, vt vel confiteantur, esse quidẽ illam primã Sedẽ, sed inter nullas alias; quo nihil potest esse magis delirũ; vel primã esse inter reliquas omnes. Sic isti sapientes iuxta verbum domini in astutia sua cõprehensi sunt. Canon igitur concilij

De canone Synodi Carthagin. ne quis episcopus vniuersalis vocetur &c.

Quomodo magistri Lutheranorũ, cum concedunt vocari, & esse episcopum Romanũ Episcopum primę sedis secundum decretum Synodi Carthaginẽsis, primatum nescientes & nolentes ei tribuunt.

concilij Africani, à Gratiano relatus dis. 99. c. primæ sedis, qui vt demonstratũ est, de episcopo Romano non potest intelligi, sanctus est de primatibus Africæ, id est, de episcopis primarum sediũ in Africa, quia olim, vt Leo IX. in epistola ad Petrum, & Ioannẽ episcopos Africanos contra episcopum Grumitanũ scripsit, in singulis prouincijs Africæ primates instituebantur non secundũ potentiam (inquit) alicuius Ciuitatis, sed secundũ tempus suæ ordinationis. Metropolitani .n. vocabãtur in Africa primates; qui erãt episcopi primarũ Sedium, quib. tamen præerat Episcopus Carthagin. primo vt idẽ Leo ait, & maximus totius Africæ Metropolitan⁹ propter Carthaginẽ totius Africæ Metropolim, qui solus accipiebat palliũ ab apostolica Sede, vnde & episcopos cõsecrãdi (inquit) principale, & antiquũ ius retinet, vt ex verbis Aurelij in Concilio Carthaginensi 3. c. 39. intelligi potest. De primatib. igitur Africæ, qui dicebantur, & erant episcopi primarũ sedium in Africa, sic cautũ est canone illo dis. 99. ca. primæ sedis, vt admonerentur se intra modũ suũ, & mensurã continere, ne se aliquãdo in dignitatẽ Ecclesiæ Carthagin. efferrent, vt Grumitanus ille episcopus tẽpore Leonis IX. tẽtauit, de quo sic in ea ipsa epist. idẽ Leo scripsit; neq; quicunq; ille sit Grumitanus episcopus aliquã licentiã consecrandi episcopos, vel disponẽdi, seu prouinciale conciliũ conuocandi habet sine consensu Carthaginẽsis Episcopi, cuiuslibet dignitatis, aut potestatis sit, qui cætera præterquã quæ ad propriã Ecclesiam pertinent, sicut & alij Africani episcopi, consilio Carthaginensis Archiepiscopi aget, Deinde, quòd addidisti, Vbi nominatim vetat Canon, ne ipse Romanus pontifex vniuersalis appelletur, *mendose hoc à te appositum est Canoni. Nunquam hoc legisti, nec ante te legerunt in Synodo Africana Magdeburgenses, quos tu sequutus es, qui hoc ipsum Canoni addiderunt, quo magis lectores artificioso mendacio fallerẽtur. Illud enim non est ex canone Concilij Africani, sed ex Gratiani rubrica (sic vocant summas capitum inscriptas singulis capitibus) in caput proximè sequens epistolæ Pelagij pontificis. Qui quidẽ prohibuit, vt nullus patriarcha vniuersalis appellaretur, quia qui se sic appellaret, se solum patriarcham*

Quomodo Canon Synodi Carthaginensis ad Episcopũ Romanum referri non potest.

Quomodo Canon dist. 99. c. primæ sedis, de primatibus Africę, qui dicebantur episcopi primarum sedium, omnino intelligendus est.

Quòd episcopi primarum sedium in Africa subiecti erãt episcopo Carthaginensi.

Quid mendose apposuerit Canoni Concilij Carth. Antonius.

Quomodo vocabulum vniuersalis acciperent, qui prohibuerunt, vt nullus patriarcha vniuersalis appellaretur.

appellari velle videretur, vt idem exposuit subiungens, quia si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur, dis. 99. cap. nullus patriarcha. Eodem modo accipiebat verbũ vniuersalis beatus Greg. conquerens de Ioanne Episcopo Constantinopolitano, quod se Episcopum vniuersalẽ appellaret, sic libro 4. epist. 33. ad Constantiam Augustam scripsit, triste tamen est, vt patienter seratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater, & Coepiscopus meus, solus conatur appellari episcopus. Deinde subiungit. Sed in hac eius superbia, quid aliud, nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designatur, & quæ sequuntur. Hæc itaq; erat intolerabilis superbia, videri velle appellatione huius nominis vniuersalis, quasi solus ipse esset episcopus, quod erat scandali plenum, & schismatis seminarium. Vnde libro 6. epist. 28. ad Cyriacum Episcopum Constant. sic scripsit, oportet ergo, vt mihi, atq; omnibus fratribus vestris eius charitatis pulchritudinem in hoc primũ opere monstretis, vt verbum superbiæ, per quod graue scandalum in Ecclesijs generatur, auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes, quod scriptum est, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et paulo post, ego enim Iesum testẽ inuoco in anima mea, quia à summo vsq; ad vltimum nulli hominum dare scandali occasionem volo: omnes magnos esse, & honorabiles cupio, quorum tamen honor honori omnipotentis Dei non detrahat. Nam quisquis se cõtra Deũ honorari appetit, mihi honorabilis non est. Non obscure significauit hic, quòd hoc insolens, & superbum nomen vniuersalis tribui sibi nollet, nõ pertinere hoc ad minuendũ honorem, quo cathedram Petri Christus honorauit, quem vniuersali Ecclesiæ præposuit; quod idem Gregorius clarius adhuc significauit libro 7. epist. 30. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, qui in litteris suis ad Gregorium, vniuersalem Papam eum appellauerat, ecce, inquit, in præfatione epistolæ quam ad me ipsum qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum vniuersalem me papam dicentes imprimere curastis, quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra nõ faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquam ratio exigit, præbetur: ego enim non vobis quæro pro-

Quomodo declarauit Greg. magnus, quod nollet vocari vniuersalis episcopus nõ pertinere ad minuendum honorem, quo cathedram Petri Deus honorare voluit, cui qui honorẽ detrahit, Deo detrahit.

ro prosperari, sed moribus; nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem perdere cognosco. Hoc, vt antea dixi, idcirco ait, quod qui vniuersalem Papam, siue Episcopum se, vel alium dicit, significare videtur non esse alium papam, id est, episcopum; quod est honorem Papæ, id est, Episcopi alijs detrahere. Deinde subiungit, meus namque honor, est honor vniuersalis Ecclesiæ; scilicet quia Ecclesia vniuersalis erat Ecclesia eius. Sicut enim honor episcopi est honor Ecclesiæ suæ, cui præest: vt Constantinopolitani honor, Ecclesiæ Constantinopolitanæ honor est; sic papæ, siue episcopi Romani honor Ecclesiæ vniuersalis est, cui præest. Plane igitur vniuersalis Ecclesiæ papam, siue episcopum se profitetur, quod est primatum in reliquos episcopos habere, quorum cuique portio gregis ascripta sit, vt ait Cyprianus, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus domino redditurus. Illud verò vocabulum, vniuersalis episcopus, siue papa, significabat, vt sæpius dicam, non esse alium episcopum; vt si de aliquo diceremus, esse eũ in mundo vniuersalem hominem, significaremus sane, esse eum vniuersum hominem, id est, nullum hominem præter ipsum esse in mundo. Cũ tamen Pontifex ita sit episcopus, vt sint alij eius Coepiscopi, sicut paulo ante in Epistola ad Constantiam Augustam Ioannem patriarcham Cons. fratrem, & Coepiscopum suum vocauit; licet solus sit vniuersalis Ecclesiæ Episcopus; sicut alij, suæ quisque partis Ecclesiæ vniuersalis episcopus. Vnde idem Greg. subiungit, tunc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusq; honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sic etiã respondi dudum Andreæ Frcyhubio, qui Gregorium magnum citauit testem contra primatum, quòd nollet vocari vniuersalis, id est vniuersus episcopus, hoc enim significabat vniuersalis episcopus vt idem Gregorius declarauit, qui testimonium potius contra Andream dixit, quia plane significauit se esse episcopũ vniuersalis Ecclesiæ, sicut iam explicatum est, licet nollet se episcopum vniuersalem vocari, quasi nullius alius esset episcopus, hoc enim videbatur ei significare vniuersalis episcopus. Ex his intelliges

Quomodo Gregorius plane significat esse se episcopum vniuersalis Ecclesiæ.

Quomodo Gregorius vniuersalis Episcopus appellari nolebat, quod videretur ei per inde esse sic appellari, vt si appellaretur vniuersus episcopus, quasi nullus alius esset episcopus, cum tamen omnes episcopi essent Coepiscopi eius.

iam, quid sibi velit illa rubrica, qui canoni Synodi Africanæ siue malitiosè, siue ignorãter affingere voluisti. Sed Pergamus vlterius
„ *ordine, sequitur enim:* Quin etiã Romani põtifices procura-
„ runt, vt imperatorijs edictis cæteris Ecclesijs præferren-
„ tur, vt constat ex vetere historia, & ex Gratiano 96. & 97.
„ &c. adeò, vt iã dubitari nõ possit, quin primatus Roma-
„ nus sit humani Iuris. Quod argumentum alij fusè, & do-
„ ctissimè persequuti sunt, itaque nihil attinet plura nunc
„ de hac re dicere. *Quæ ista vetus historia, quã citas bone Anto-*
ni? cur cælas? quid pudet tui testis si grauis est, & ἀξιόπιστος? i-
mitatus es Andream Freyhubium, cui tu vt subuenires, accurri-
sti, is enim hoc ipsum, quod tu nunc, obiecit his verbis, Huc acce-
„ dit, *inquit,* quòd ex fide dignissimis scriptoribus constat,
„ multis post natum Christum annis Bonifacium 3. vix
„ tandem magna contentione obtinuisse à crudeli tyran-
„ no Phoca, vt caput omnium Ecclesiarum cõstitueretur
„ Ecclesia Romana, quem honorem sibi peculiariter ven-
„ dicare conatus fuit patriarcha Cõstantinopolitanus; nõ
„ igitur à Petro acceperunt pontifices Romani, quẽ plenis
„ buccis iactant, primatũ, sed plane Sinonijs artibus sibi ac-
„ quisiuerũt. *Quia tu idem sentis, & quos bonus Andreas fide di-*
gnissimos scriptores vocauit, tu veterẽ historiã; quod illi nuper re-
spõdi, tibi responsum sit, sic enim aiebã, quia tibi, vt cæteris Prote-
stantibus, mala mens, ac malus animus in pontificem est, quæcunq;
in eum detorquere potes, detorques; nihil interim curans, vtrũ tu-
am potius causam lædas; vt hic, & si nõ nominasti, Platinã citas,
quẽ inter scriptores fide dignissimos numeras, cuius etiã verbis vi-
sus es, qui te mendacij conuincit. Sic n. ait Platina, Bonifacius 3.
patria Romanus, à Phoca imperatore obtinuit, magnâ tamen con-
tentione, vt Sedes beati Petri apostoli, quæ caput est omniũ Ec-
clesiarũ, ita & diceretur, & haberetur ab omnibus; nõ enim si quid
tale est, continuo ab omnibus tale habetur; vt si tu, aiebã, sis pro-
bus, non tamen talis in Saxonia habearis; aut contra. Hoc ego illi
tunc, & nunc tibi; nec enim tu vetustiorem, aut fide digniorem hi-
storiam habes, quã tuus Andreas habuit, quæ te à mendacio de-
fendat

Quomodo sicut testis citatus ab Andrea Freyhubio cõtra eũ testatus est, sic etiam hic Antonio Sadeeli eius cõmilitoni euenit.

Quomodo Antonius imperatoria edicta, & veterẽ historiam cũ duabus dis Gratiani contrã primatum

fendat; & nõ contra te teſtimoniũ dicat; vt dixit contra Andream teſtis ab eo etſi non nominatim citatus. Idem etiam euenit tibi hic, citaſti enim cum vetere hiſtoria Gratianum diſ. 96. & 97. &c. in quibus locis, ſi ambas diſtinctiões relegas, nihil penitus reperies, quod non tecum pugnet, vt vehemẽter cæcitatem tuam mirer, academiam tuam appello, ipſa iudicet, ſi quæ ſunt ibi de præferenda Eccleſia Romana cæteris Eccleſijs imperatoria edicta, quæ non magis nominaſti, quorum imperatorum eſſent, quàm veterem hiſtoriam, cuius ſcriptoris. Pergis deinde, Sed cum Tertullianũ dico vocaſſe Romanum Epiſcopum, epiſcopum epiſcoporum, fallis, *inquis,* παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Illud enim objecit Tertullianus per ludibrium, vt ambitionem epiſcopi Romani perſtringat. *Miror ita te interpretari, quod nemo non intelligat vafre, & malitioſe te interpretari. Si per ludibriũ vocat Tertullianus epiſcopum epiſcoporum, igitur per ludibrium quoq; vocat maximum; quia ſi maximus, igitur ſupra omnes epiſcopos eſt, ac proinde epiſcopus epiſcoporum; aut certe ſi epiſcopus epiſcoporũ non eſt, neq; maximꝰ eſt, quia alios omnes infra ſe non habet. Quod ſi neq; maximus eſt, nec epiſcopus epiſcoporũ eſt, ſed potius oẽs alios habet æquales, quid ita ægre ferebat Tertullianus edictũ Epiſcopi non omnib. epiſcopis ſuperioris, ſed potius, vt tu vis, æqualis poteſtate? aut quorsũ attinet, vocare edictũ eius peremptorium? edictũ enim peremptoriũ an poſſit proponere, qui non habet poteſtatem in eos, quibus proponit, conſule tuos Iuriſconſultos. Defendens, enim Tertullianus ſimilem Nouati errorem de non admittendis ad pœnitentiam mœchis & fornicatoribus, audio inquit, edictũ etiam eſſe propoſitum, & quidem peremptoriũ, pontifex ſcilicet maximus, epiſcopus epiſcoporũ dicit, Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto &c. Quorſum hic perſtringeret Tertullianus, vt tu ſomnias, ambitionem pontificis? an dare veniam mœchis, & fornicarijs pœnitentibus, contrarium erat ambitioni? putaſti fortaſſe perſtrinxiſſe hic Tertullianum ambitionem pontificis, vt Paulus iniuſtitiã Ananiæ perſtrinxit, cum ei dixit, & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem*

ſucceſſoris Petri à Chriſto conſtitutũ citat, neque tamen quorũ imperatorum edicta, neq; quorũ, aut cuius ſcriptoris hiſtoriã veterẽ dicat nominauit, ne mẽdaciũ eius deprehenderetur ſicut in duab. diſtinct. ab eodem citatis deprehenſum eſt.

Quomodo quod Tertullianus Epiſcopum Romanum in libro de pudicitia Epiſcopum epiſcoporum vocat, interpretatione vafricie, & malitia plena eludere voluit Antonius, quia aliter reſpõdere non poterat.

legem iubes me percuti? at hic Ananias inexcusabilis erat, sicut idem apost. ad Romanos scripsit, quia in quo alterum iudicabat, seipsum condemnabat, idem enim agebat, quod iudicabat; iudicabat Ananias Paulum tanquam reum legis violatæ, vt ipse putabat, & ipse idem in iudicio contra legem plane agebat. Quid simile in pontificem dantem veniam mœchis, & fornicarijs pœnitentibus dici potuit? si habebat speciem ambitionis hæc venia, igitur ambitionem docuit Apostolus quia promisit veniam mœchis, & fornicarijs, si pœnitentiam agerent, cum dixit in epist. ad Cor. 2. de ijs, qui mœchi & fornicarij fuerant, timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inueniam vos; & paulo post, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt. Hoc potius Antoni intelligere te oportebat, vt dissuaderet Tertullianus, si forte posset, pontifici Romano tale edictum, quale propositum esse audierat, quod errore deceptus, scripturis sanctis aduersari putabat, admonuisse eum de gradu summo, in quo erat, ne causam schismatis Coepiscopis suis præberet, quorũ ipse princeps, & caput esset. Erant enim tempore Tertulliani episcopi, qui mœchos, & fornicarios ad pœnitentiam non admittebant, vt peracta pœnitentia, pacem & veniam eis darent, sequentes hæresim Nouati, & Nouatiani de lapsis; qui tamen non sciderunt Ecclesiam, vt beatus Cypriauus de eis testatur libro 4. epist. 2. ad Antonianum, sic enim scripsit, & quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istis in prouincia nostra dandã pacem Mœchis non putauerunt; & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen à Coepiscoporum suorum collegio recesserũt, aut Catholicæ Ecclesiæ vnitatem vel duritie, vel obstinatione sua ruperunt, vt quia apud alios adulteris pax dabatur; qui non dabat, de Ecclesia separaretur, manente concordiæ vinculo &c. pontificem itaque maximum, episcopum episcoporum vocauit, non vt perstringeret ambitionem, quo nihil insulsius, nec ineptius, neque delirius dici potuit; sed vt verum fateretur, quo magis edictum illud infamaret, quod ab eo, qui omnibus episcopis præerat, propositum es-

Quomodo redarguatur interpretatio Antonij de episcopo episcoporũ à Tertulliano quasi ad perstringẽdam ambitionem dicto.

Quomodo Antonius ambitiosũ quoq; faciat Apostolum in dãda venia mœchis pœnitẽtib, sicut Episcopum Romanum facit.

Quomodo debuisset Antonius Tertullianũ intelligere, nisi obtuse & malitiose potius maluisset.

Quomodo nihil insulsius nec ineptius, neque delirius dici potuit, q̃ quod Antonius dixit vocasse Tertullianum

tum esset, vnde illa exclamatio admirationis, & conquestionis, ô edictum, cui ascribi non poterit bonum factum. Sicut hic Tertullianus appellauit pontificem Romanum Episcopum episcoporum, sic beatus Cyprianus libro 4. epist. 2. ad Antonianum dixit de Cornelio facto episcopo Romano ascendisse ad Sacerdotij sublime fastigium. Quomodo ad sublime fastigium sacerdotij, id est, episcopatus ascendit, si non erat supra omnes? sicut enim summum non est, nisi vnum, sic fastigium non est, nisi vnum sit, quod alijs inferioribus præeminet, æquale enim æqualibus non præeminet. Illud autem, quod hic adiunxisti, fallis παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως cui non moueat risum? dic mihi bone Sophista, & in Aristotelicis elenchis callentissimè erudite, quid est in his duobus verbis, Episcopus episcoporum, simile illis exemplis, quæ tuus Aristoteles in explicatione fallaciæ παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως posuit? Sic enim ait, Sophistici elenchi, id est, captiones & fallaciæ, propter figuram dictionis accidunt, quando non idem eodem modo exponitur, vt si quod est masculini generis, propter figuram dictionis interpretemur esse fœminini; aut contra; similiter in neutro. Aut rursus quod est in vna categoria, interpretemur esse alterius, vt quantũ quale; aut contra; aut facere pati; aut contra; item, si quod significat sic, aut aliter dispositum esse, figura, & similitudine dictionis significet agere, vt valere simili figura dictionis dicitur, vt scindere; illud tamen significat quale aliquid, & sic dispositum esse; hoc verò aliquid facere. hæc tuus Philosophus: accomoda tu nunc ad ista exempla istas duas dictiones episcopus episcoporum, vt probes fallere me παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Credo pudet te iam fallaciæ tuæ, tu enim es tu, qui dicis, quod non intelligis, nec est; vt aliquid dicere videaris; vt sis verè Sophista, qui studes ad fallendum, vt sapiens existimeris. Sed contra eueniet: insipientia enim tua nota erit omnibus tuæ academiæ, quia veritati resistis, fecisti itaq; vt sæpe alias, quod hæretici solent, quibus mos est, inquit Tertull. disputans contra Hermogenem, simplicia quæq; torquere. Quid enim simplicius dici poterat ab eo, qui semper de Ecclesia Romana honorificè, & de Petro Ecclesiæ petra loqui solitus

epiſcopum Romanum epiſcopum epiſcoporũ, & maximũ, vt perſtringeret eius, ambitionẽ, ſi conſidere tur, de qua re ageretur, cum ſic eũ vocauit, & quid edictũ peremptorium vocetur.

Quomodo Antonius cũ medicit fallere figura dictionis ipſe fallit & quęſit fala, cia figuræ dictionis, ignorare ſe oſtendit.

Quomodo Antonius Sadeel ſit vere Sophiſta.

Mos hæreticorum à Tertulliano notatus, quem morẽ Antonius imitatur.

erat, quàm pontificem Romanum, maximum Episcoporum dicere? Sed pergit Antonius refutare obiecta sibi.

CAPVT XIX.

De Canone sexto Synodi Nicenæ & de particula ἐπειδή, quomodo non similitudinẽ, vt Antonius contendit, sed causam significet, & quomodo id probetur testimonijs ab ipso pro se citatis: itẽ explicatio & probatio philosophica significare causam hãc particulam in Canone Niceno. & verbi πρόσθιον interpretatio. & quomodo ratione boni ordinis, ad quem confitetur Antonius spectasse Canonem Nicenum, idem Antonius redarguitur multipliciter, & quã multis modis Ecclesiam prodat, cum ad ius humanum reuocat primatum Episcopi Romani. item de vetustissimo statuto Synodi Carthagin. non prouocãdi ad pontificem, quomodo illud Cyprianus intellexerit ipso interprete, & alijs episcopis Africanis interpretibus.

» VOd autẽ (*inquit*) sextum Canonẽ Nicenæ Synodi, eludere voluisti ex particula ἐπειδή, qua dicis causã efficientem
» significari. id verò minus etiã est, quàm Sophisticũ; licet ante te Pamelius idẽ tẽtauerit. Disce vero à grãmaticis, quid ἐπειδὴ differat à διότι. Cæterũ, qui non perspiciat similitudinẽ, & exemplum, nõ autem causam efficientẽ proponi? habet, inquit Canõ, etiã ipso Pamelio citante, Episcopus Alexandrinus Libyæ, & Pentapolis potestatẽ, quoniam & Romano hæc est consuetudo, hic ἐπειδὴ nõ causam efficientẽ significat, sed rationẽ similitudinis, nempe vt simili iure vtatur Episcopus Alexãdrinus, itemque Antiochenus, quo Romanus vti cõsueuit. *Qui ad Grãmaticos prouocasti, vt negares significare causã ἐπειδή, cur nõ citasti testem vnũ saltem Grammaticũ, qui dixerit significare similitudinẽ? & poni pro ὡς, ὥστερ, καθάπερ, καθὼς, velut, sicut, quem admodũ; hæc enim & alia eiusmodi, sunt similitudinis, vel exẽpli. Aut rursus si neminẽ reperire potuisti, alioqui testimoniũ eius produxisses, cur nõ puduit te tyronẽ in Græcis me ad Grãmaticos prouocare? sed omittamus Grãmaticos, qui te oẽs condemnant. nullus .n. dicit quod tu, similitudinẽ, & exẽplum significare ἐπειδή; ego ad testimonia, quæ tu cõtra te recitasti, & ad academiam tuã te prouoco; cũ Lucas ait, vt tu etiã dicis, visũ esse sibi cõscribere hist oriã euãgelicã, quoniã multi aggressi essent eandẽ narrationẽ cõponere, sic .n. tu scribis, an nõ plane causã scribendi declarat vox ἐπειδή, quæ Latinis est quoniam? quis vnquã dixit quoniã, similitudinẽ, aut exemplũ significare? vertã hic è Græco huius prooemij Lucæ euãgelistæ eruditissimã interpretationẽ Photij Cõstantinopolitani. Hoc prooemiũ, inquit, duo habet capita, alterũ est cõmendatio eorũ, qui antè cõscripserant euangeliũ, vt Matthæi, & Marci; alterũ, causa propter quã ad scri-*

Quomodo ἐπειδὴ non similitudinem & exemplum significet, sicut Antonius rudis in Græcis litteris falso affirmat, & quomodo suis ex exẽplis ex scriptura petitis redarguatur.

Quomodo sicut dicit Antonius significare ἐπειδὴ similitudinem, & exemplũ, sic potest

scribendū acceſſerit. Quia vero dixit, aggreſsi ſunt ſiue tentarūt; Græce eſt ἐπεχείρησαν, qđ verbū in eos cōuenire poteſt, qui audaciter, & temerarie aliquid capeſſunt; & in eos, qui conſiderate, & religioſe; idcirco duplicem correctionē adhibet verbo, vna eſt ex eo, quod ait, aggreſsi ſunt narrationē rerū, quæ nobis certæ sūt; altera eſt ex eo, qđ ait, ſicut nobis tradiderūt &c. qui enim hæc duo ſeruant in aggrediendis narrationibus, recte illi quidē, & legitime, ac reuerētur aggrediuntur, veritatē promittentes ἀδιστάκτῳ πληροφορίᾳ, & auctoritate eorū, qui tradiderunt, fidē Hiſtoriæ cōmendantes, ac ſuadentes. et paulo poſt, quia vero, quæ abſq; ſcripto tradita erāt, facile poterāt aut obliuione deleri, aut malitia deprauari, idcirco qui ſuis oculis viderūt, & miniſtri verbi fuerūt, primi, quod illis traditū erat, cunctis ſcripſerūt. Verū Lucas quidē & Marcus ſicut acceperunt, ita tradiderunt; alij vero nōnulli neq; de quibus certi eſſent, neq; quæ accepiſſent ab hijs, qui viderāt; neq; ſicut acceperāt ab ijs, à quibus acceperāt, ſed ſicut audaci, & improba mēte acti ſunt, ita aggreſsi ſunt narrare, quæ cōſinxerunt, cuiuſmodi eſt euangeliū, qđ dicitur ſecundū Aegyptios, & ſecundū XII. & alia huiuſmodi. Lucas ergo poſt quā cōmendauit diligentiā euangeliſtarū, eodē ſtudio, & propoſito ſe ait accedere ad ſcribēdū, & eadē, qua illi ratione & cauſa. Vt enim quæ ſibi tradita acceperūt, & quemadmodū acceperūt, ita ſcripſerūt, ſic Lucas quia à principio ἠκολούθησεν, id eſt, ſectatus eſt, & quēadmodū ſectatus eſt, ita ad ſcribendū animū applicuit. Itaq; nō diſcrepat ab illis, ſed cōfirmat potius. Altera ſcribendi cauſa extitit. quod, cùm Theophilum quēdam effeciſſet verè Theophilum, id eſt, dei ſtudioſum, eidemq; abſq; ſcripto doctrinā fidei tradidiſſet, auditu aūt tantum percepiſſe non erat tutū, idcirco quæ docuerat verbis, ſcripto firmauit; ac litteris cuſtodita huic Theophilo reliquit; & per eum cuncto orbi. Ergo qui hunc anteceſſerunt euangeliſtæ, cum nihil de ſe præfati ſint, huic videntur teſtimonium de ſe reliquiſſe; qui etiam cauſam, cur poſt illos ſcripſerit, declarat. Hactenus Photius. En Antoni teſtimonium grauiſsimū eruditiſsimi auctoris, ſignifica re cauſam ἐπειδή hoc loco, quem tu contra te citaſti, non intelligens quid dicēres, quod paſsim tibi accidit. Quia n. ab ijs, qui viderant, μετὰ πάσης πληροφορίας didicerat Lucas euangeliū, acceſsit ad ſcribendū. magiſtri igitur fuerūt cauſa efficiens doctrinæ eius; & ipſe ab illis doctus, fuit cauſa efficiens ſuæ ſcriptionis. cauſa vero finalis, quæ primū mouit, fuit, quā idem explicauit, & propoſuit, cū ait, viſum eſt tibi ſcribere ex ordine optime Theophile, vt cognoſcas eorū verborū, de quibus eruditus es, veritatē. Sed quid hic moror? habemus reū confitentē, tu confiteris ἐπειδή quoniā, ſignificare hic; quoniā verò ſimilitudinē, & exēplū ſignificare probandū tibi erat: aut certe, nō quoniā, ſed aliter interpretari debuiſti. Et miror, cū ſem p ſoleas ſine vlla neceſsitate aut vtilitate nouā è Græco interptationē in nouo teſtamēto aſſerre, qa noſtra tibi ſordet, cur hic, cū te neceſsitas

idē dicere de coniūctione quoniam apud Latinos.

Proœmij Lucę euāgeliſtæ interpretatio Photij Conſt. eruditiſſima.

Demonſtratio ſignificare in proœmio Lucę Euangeliſtæ cauſā ἐπειδή.

Quomodo ipſemet Antoniscōfiteatur, ἐπειδή nō ſimilitudinem & exemplū, vt prius dixerat, & docere volebat, ſed causā

significare, quod negauerat; siquidē fatetur significare quoniam. sibi itaque nescienti, & nolenti repugnat, dū non intelligit quod loquitur.

vrgeret, hanc occasionem necessariam aliter vertendi prætermisisti? tentasti tu quidem bene Antoni, quis dubitet? sed non successit. Alius locus, quem citasti, est act. 13. Paulus, inquis, conuertit se ad gentes, quoniam Iudæi reijciebant Euangeliū. Hic quoque est ἐπαγωγή, quod tu etiam fateris significare quoniam, & recte quidem fateris, ne alio teste quam te ipso ad vincendam causam opus sit. Interroga tu academiam tuam an sit vllus in ea, quin statim vt audiat hic, conuersos esse apostolos ad gentes, quoniam Iudæi Euangelium reijciebant, intelligat, reijcere Iudæos Euangelium, causam extitisse prædicandi euangelium gentibus? hæc causa reijciendi Euangelium adiuuauit apostolos ad prædicandum statim gentibus, relictis Iudæis, vt sic carnem suam, vt Apost. ad Romanos scripsit, id est, Iudæos ad æmulandum prouocarent. Hic erat finis propositus, sicut apost. ait; illorum enim delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur; ex reiectione igitur euangelij facta à Iudæis tanquam ex causa sine qua non, quæ numeratur causa adiuuans, prædicatio Euangelij manauit ad gentes. quomodo ergo hic illud, quoniam, Græcè ἐπαγωγή, similitudinem, & exemplum significare dices? occasionem fortasse dices, hoc enim tertium addidisti. Ac omne, quod per occasionem fit, quod sine occasione non fieret, causam habet eam occasionem. quidquid enim est, sine quo non contingit fieri, quod fit, causa est: sic tradit Clem. Alex. lib. VIII. Stromatum de causis, cuius hæc sunt verba ad verbū de Græco expressa. Tertius locus est 1. Cor. 15. quoniā per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum. hunc locum interpretans Theophylactus, Chrysostomum, vt fere solet, sequutus, sic scripsit in suis Commen. αἰτίαν προσέθηκε, δι' ἧς πιστωθῆναι τὰ εἰρημένα. δεῖ γὰρ αὐτὴν νικηθῆσαι τὴν νικηθεῖσαν φύσιν, καὶ τὸν καταβληθέντα αὐτὸν ἐκνικῆσαι. id est, causam adiungit, qua cōfirmat, quæ dicta sunt, oportebat enim, inquit, vt natura, quæ victa fuerat, vinceret; & homo deiectus, superaret. Causa igitur, cur Christus resurrexit, fuit casus, & mors hominis; etenim quia mortuus est homo propter peccatum, Christus mortuus est, vt eum redimeret, & à morte, in quam ceciderat, eriperet: & quia mortuus est Christus, qui peccatum

Demōstratio ex alio loco in actis Apost ab Antonio citato, significare ἐπαγωγὴν non similitudinem vt ipse probare volebat; sed causam, quod negabat.

eatum non fecerat, neque facere poterat, idcirco à morte detineri non potuit, quin potius solutis doloribus inferni, à quibus detineri non potuit, vt dixit beatus Petrus, resurrexit. Causam igitur significabat hic ἐπειδή. Sed quia tu ad Grammaticos me misisti, vt ab eis discerem, quid ἐπειδὴ differat à διότι, Ego rursus ad Grammaticos, & ad Philosophos te remitto. Idem Clemens in eodem libro sic ait, αἴτιον δὲ ποιητικὸν τοῦτο πάντως ἐστὶ δι' ὃ δέτι ἐστὶ διὸ, οὐ πάντως τοῦτο αἴτιον. quod causa, inquit, est, & efficiens, idem omnino est propter quod; non tamen si quid est propter quod, idem erit prorsus etiam causa. Multa enim, inquit, concurrunt ad vnum effectum, propter quæ perficitur opus, sed non sunt omnia causæ. Filios.n. non occidisset Medea, nisi fuisset irata; neque fuisset irata, nisi laborasset Zelotypia; neque fuisset Zelotypia, nisi amasset; nec amasset, nisi Iason Cholcos nauigasset; neq; Cholcos nauigasset, nisi Argo fuisset ædificata; nec Argo fuisset ædificata, nisi ligna fuissent scissa ex Pelio. In his omnibus cum sit alioqui διὸ, id est, propter quod, non tamen sunt omnia causæ cædis filiorum, sed sola Medea. Hactenus ἐπειδὴ non differt à διότι. Sed veniamus tandem ad Canonem Nicenum, & doceamus, quomodo ἐπειδὴ causam in eo significet. At tu, *inquis*, egregie causarum scrutator, « non animaduertis, quàm inepte causam efficientem in « hoc Canone scruteris. Quænam enim vnquam efficiẽs « causa effectum tam alienum genuerit? ita potius cõclu- « dendum fuit ex tua sententia, quandoquidem Episco- « pus Rom. habebat principatum in omnes Ecclesias, A- « lexandrinum, & Antiochenum episcopum ipsi quoque « subijciendum esse, cum tamen ille canon Nicenus tres « illos episcopos suis finibus distinctos esse iubeat. *Videa-* « *mus igitur an tu potius sis egregiè ignarus causarum; qui me irridendo egregium scrutatorem causarum vocas. Cum canon Nicenus sancit, vt episcopus Alexandrinus Ægypti, Libyæ, & Pentapolis potestatem habeat, quoniam & episcopo Romano hæc est consuetudo &c. quid hoc sibi velit, quod de consuetudine episcopi Romani dicit, interpretatus est Nicolaus primus in epist. illa*

longa ad Michaelem Imperatorem, neque veritus est, ne quis ei obijceret, interpretari in causa sua testimonium Synodi Nicenæ; etsi ego non nitar nunc contra te disputans, auctoritate eius, quæ est alioqui maxima, vt sanctissimi, & eruditissimi pontificis, sed ratione ex intima Philosophia ducta: itaq; ait, denique si instituta Nicenæ Synodi diligenter inspiciantur, inuenietur profectò, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum; sed potius ex eius forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter, sumpsit exemplum. Synodus igitur Nicena intuēs in potestatem Ecclesiæ, & eius consuetudinem, tāquam in formam, & exemplum, dedit Alexandrniæ Ecclesiæ potestatem, quam habet, & Antiochenæ item. Fuit igitur Ecclesia Romana causa exemplaris dandi illam potestatem Ecclesiæ Alexandrinæ, & illam aliam Antiochenæ. Et ad hanc causam declarandam adhibita est illa coniunctio ἐπειδή. *Credo te non ignorare, cum sis egregius Philosophus, quod Arist. tuus libro* VII. *primæ Philosophiæ tradit, ex forma valetudinis, quæ est in anima medici, fieri sanitatem; & ex domo, quæ est in anima artificis, fieri domū. Et paulo post,* τὸ δὲ ποιοῦν, καὶ ὅθεν ἄρχεται ἡ κίνησις τοῦ ὑγιαίνειν, ἐὰν μὲν ἀπὸ τέχνης, τὸ εἶδος ἐστὶ τὸ ἐν τῇ ψυχῇ, *efficiens, inquit, & vnde incipit motio, qua ad valetudinem itur, si ab arte, forma est, quæ est in anima. Itaq; sicut forma quæ est in agente naturali, ad efficientiam causæ efficientis pertinet, neq; facit diuersum genus causæ; sic forma, quæ est in anima operantis ex arte, non facit genus quintum causæ exemplaris separatum ab illis quatuor, quas in physicis Arist. tradit, sed pertinet ad plenam rationem causæ efficientis. Itaq; sicut calor ignis est causa efficiens caloris in aqua, licet sit forma ignis, sic domus in anima artificis est forma eius, & efficiens causa domus materiatæ. Ob hanc causam definiens idem Aristoteles libro secundo Physicorum Causam formalem, eam vocat* εἶδος καὶ παράδειγμα, *id est, formam, & exemplar. Cum igitur ait Synodus Nicena, habeat Episcopus Alexandrinus potestatem &c. quia hoc etiam est consuetum Episcopo Romano, etsi quid diceres, non intellexisti, recte dixisti, significare hic* τὸ ἐπειδή *similitudinem,*

Quomodo Ecclesia Romana fuit causa exemplaris dādi potestarem Ecclesiæ Alexandrinę, & Antiochenæ, & ad eā causam declarandam accōmodata est coniunctio ἐπειδή

Quomodo causa exemplaris ad causam efficientē pertinet, & refertur auctore Aristotele.

id est,

id est, similem formam, & exemplum. Forma enim, & exemplum potestatis, quam habet pontifex Romanus in successores Apostolorum, quorum princeps erat, causa efficiens extitit, vt Episcopus Alexandrinus, sanciente id Nicena Synodo & illam formam & exemplum contemplante, similem potestatem in Episcopos Ægypti, Libyæ, & Pentapolitanos haberet. Hanc rationem formæ, siue causæ exemplaris, citato etiam canone Apostolorum 34. notauit Sanctus Anacletus, quem patres Synodi Nicenæ sequuti sunt. Sic enim ait in Epistola tertia, inde namque & beati Apostoli inter se statuerunt, vt Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos esset primus, quatenus ad eum potior eorum solicitudo pertineret, hic est Canon Apostolorum; deinde subiungit, & inter beatos Apostolos quædam fuit discretio: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis: & Cephas, id est caput & principium teneret Apostolatus: qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Hactenus Anacletus. Propter hanc formam potestatis Petri, in reliquos omnes Apostolos à domino concessam & à beato Petro successori suo in successores Apostolorum, & reliquos Episcopos relictam, factum est, vt Synodo Nicena ita sanciente, patriarcha Alexandrinus potestatem haberet in prouincias Ægypti, Libyæ, & Pentapolis, & ipsarum prouinciarum Episcopis præesset. Igitur forma potestatis Episcopo Romano consueta, fuit causa potestatis Episcopo Alexandrino concessæ, & sancitæ. ἐπεὶ πᾶν αἴτιον ἐν τῷ δρᾶν τι νοεῖται, *vt tradunt Philosophi, id est, quia omnis causa in agendo aliquid intelligitur. An cum Synodus dixit, habeat Episcopus Alexandrinus hanc potestatem, quia hoc est consuetum episcopo Romano, non satis aperte declarabat omnibus, exceptis contentiosis, & obstinatis, si non esset illa forma Episcopo Romano consueta, se talem formam potestatis non posse episcopis Alexand. & Antiocheno concedere? proba tu Antoni, quod hoc, nō habere eam consuetudinem episcopum Romanum, quā*

Demōstratio, quomodo forma potestatis beati Petri successori suo relicta causa efficiens sit potestatis Episcopis Alexandrino & Antiocheno cōcessæ.

Quomodo adhuc philosophice probetur. ἐπεὶ in canone Nicæno causā significare.

Synodus

Synodus dicit, vt hoc demus nunc, non prohibuisset, quin illa potestas episcopo Alexandrino in Aegyptum, Libyam, & Pentapolim à Synodo Nicena cõcessa esset; & probatum à te erit, non fuisse causam eius consuetudinem Episcopi Romani; quia quod non prohibet, non est causa, tradunt Philosophi; sicut rursus, quod prohibet, causa est; siquidem in agendo aliquid, causa cernitur. Aut si hoc probare non potes; cede rationi nostræ, quia vt negatio causa negationis, sic affirmatio causa affirmationis, vt Aristoteles in secundo libro posteriorum tradit; aut si nec illud potes, nec hoc vis: esto ad aphoniam compulsus, vt stipes. Sed vrgebo adhuc rationem causæ, quam ἐπειδή in Niceno Canone declarat, quando scrutatorem causarum me vocas. Si Episcopus Alexandrinus primatum habet in episcopos Ægypti, Libyæ, & Pentapolis, quibus præest, & in quorum prouincias, & diœceses potestatem accepit, idque quia hoc consuetum est episcopo Romano habere scilicet primatum in episcopos, quibus præest, Ergo esse primum, magis conuenit episcopo Romano, quam episcopo Alexandrino: siquidem quia Episcopus Romanus primus est episcoporum, quibus præest; Episcopo Alexandrino concessum est à Synodo Nicena, vt esset primus Episcoporum, quibus per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim præest. Propter quod enim vnumquodque est, & illud magis est, dixit Philosophus libro 1. post. magis autem primus esse non potest, nisi sit primus omnium, & ex quo tanquam ex origine alij primi sint. ab ipso enim incipit ordo sacerdotalis, qui à beato Petro exordium cœpit, sicut S. Anacletus ait: & ab ipso incipit vnitas Ecclesiæ, quæ à beato Petro originem cepit, sicut ait beatus Cyprianus. At tu hic, Quænam, *inquis,* vnquam efficiens causa effectum tam alienum genuerit? *immo quis effectus similior causæ suæ, & magis Synonymus dici potest, quam primatus ex primatu? ex primatu in omnes Ecclesias, & earum episcopos primatus in Ecclesias Ægypti, Libyæ, & Pentapolis? illud verò, quod ais, cum tamen ille canon Nicenus tres illos episcopos suis finibus distinctos esse iubeat, falsum est hoc, & ipsius canonis verba te falli conuincunt.*

Adhuc vrgetur ratio causæ, quã ἐπειδή significat in Canone Niceno.

Quomodo episcopus Romanus sit primus Episcoporũ omnium.

Quomodo falsum sumit Antonius, vt probet non significare causam, illã in Canone

Si enim

Si enim Episcopo Romano Synodus Nicena iussit, vt tu fingis, es- Niceno con
se distinctum suis finibus, vt tu loqueris, cur figuram sermonis mu- iunctionem
tauit? cur dixit figura iubendi, antiquæ consuetudines seruentur πραλή.
in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt episcopus Alexandrinus
habeat horum omnium potestatem, episcopo verò nihil tali figura
iubeat? sed potius se eum, eiusq; consuetudinem sequi profitetur
in eo, quod de episcopo Alexandrino sancit, & iubet. Deinde ad-
dis, Quo sit, vt mentionem faciat priuilegiorum seruan- «
dorum Ecclesijs in alijs prouincijs, tantum abest, vt di- «
cat omnes Ecclesias esse vni episcopo Romano addicē- «
das. *situ,* πρεσβεῖον, *quod priuilegium in canone Niceno interpre* «
tati sunt, quid significaret, intellexisses, non existimares menti-
onem priuilegiorum Ecclesijs in alijs prouincijs seruandorum eò
pertinere, vt episcopus Romanus habeat definitum & circum-
scriptū priuatis finibus priuilegiū, sicut Alexandrinus, & Anti-
ochenus, atq; aliarum Ecclesiarum Episcopi. Explicaui notionem
huius verbi πρεσβεῖον *libro tertio contra Magdeburgenses, cum*
de hoc Canone sexto Synodi Nicenæ copiose dissererem. Sed repe-
tam hic propter eos, qui libros illos non habent; à verbo igitur Quid πρε-
πρεσβεύω πρεσβεῖον *dicitur, quo verbo vsus est Apostolus, cum* σβεῖον, quod
ait, pro Christo ergo legatione fungimur; hoc enim est episcopi priuelegium
munus. Sed quia non licet episcopo, vbique legatione fungi, vt interpreta-
Paulo licebat, nisi tantum in diœcesi sibi assignata, vtitur Syno- tus est vetus
dus verbo πρεσβεῖον, *quod non iam solam legationem significat, sed* interpres,
diœcesim, in qua legatio pro Christo obeūda est; sicut διδασκαλία significet in
doctrinā significat; διδασκαλεῖον *verò scholam, vbi docetur. Qua-* canone Ni-
re nugatur patronus Molinei, qui dicit solam dignitatem, & non ceno, quod
potestatem significare hoc verbum in canone sexto concilij Nice- Antonius
ni, cum legatio sine potestate explicari non possit. Explicatum ve- ignorauit,
rò est, & iam probatum, quemadmodum Synodus Nicena sequēs & alij cum
formam & exemplum Episcopi Romani sanxit, quod iam tunc eo.
in prisca consuetudine erat, vt episcopus Alexandrinus habe-
ret potestatem in Aegyptum, Libyam, et Pentapolim: similiter
Antiochenus in prouincias sibi iam olim subiectas. hi enim ha-

bent primatus in illarum prouinciarum episcopos ad exemplum episcopi Romani, qui habet in omnes. Sanxit etiam eadem Synodus eodem Canone, & propter eandem causam exemplarem episcopi Romani, vt reliquis Ecclesijs per prouincias seruarentur sua πρεσβεια, id est, suæ diœceses, vt quisque episcopus in diœcesi sua legatione sua pro Christo fungeretur, quod est seruari vnicuiq; Ecclesiæ, id est, episcopo cuiusq; Ecclesiæ suum πρεσβεῖον, quod interpres vertit priuilegium, quod tu non intelligens putasti significare hic, quod vulgo solet, vt priuilegium sit, vt iurisperiti definiunt, Lex, quæ contra ius commune emanat. Vnde tu intulisti, Quo fit, vt mentionem faciat priuilegiorum seruandorum Ecclesijs in alijs prouincijs; tantum abest, vt dicat, omnes Ecclesias esse vni episcopo addicēdas. Itaq; ignoratione huius vocabuli existimasti illam partem canonis de seruandis priuilegijs suis Ecclesijs, repugnare primatui episcopi Romani in omnes Ecclesias. Quia vero episcopi Romani πρεσβεῖον erat vniuersa Ecclesia per cunctum orbem diffusa, cui præsidet tanquam vnus pater familias, quem Christus domui suæ, quæ est vna Ecclesia Catholica, præfecit, & voluit, vt ab eo ordo sacerdotalis inciperet, & origo esset vnitatis Ecclesiæ, nihil de ea Synod⁹ Nicena hic sanxit, sed potius eius formam, & exemplū sequuta est, tanquam causam potestatis aliorū; & τυταξιας, vt tu recte vocas, & si non intelligens quid dicas, quod vbique tibi accidere, demonstraui, & domōstrabo adhuc. recte inquis, vetus illud Synodi decretum ad solam τυταξιαν spectasse, quod ipsum optandum mihi erat, vt diceres, contra te enim dicis, quod contra me disputas. Si enim ad solam τυταξιαν id est, bonum ordinem spectabat illud vetus decretum Synodi Nicenæ, igitur ad τυταξιαν illam spectabat habere rationem episcopi Romani; siquidem ipsa Synodus testatur, sancire se hoc decretum de episcopi Alexādrini potestate, & de Antiocheni, quia hæc, inquit, est consuetudo Episcopi Romani. Aut si non spectabat, frustra, & superuacue consuetudinis episcopi Romani Synodus meminit: siquidem τυταξία, id est, bonus ordo esse poterat in prouincijs, & earum Ecclesijs, Alexandrino, & Antiocheno, qui

Quomodo propter ignorationē huius verbi πρεσβεῖον, putauit Antonius illā partē canonis Niceni de seruādis priuilegijs episcopis in eorum Ecclesijs repugnare primatui pontificis Romani.

Quomodo quod Antonius dixit decretū Synodi Nicenæ ad solam τυταξιαν, id est, ad bonum ordinem spectasse, contra se dixit, non intelligens quid diceret.

qui patriarchæ, siue primates erant, sine vlla in eos episcopi Romani potestate, et primatu. Si depingebat Synodus εὐταξίαν, *vt quid hanc lineam duxit, quæ ad illam imaginem non pertinebat? Deinde, si episcopus Alexandrinus, & episcopi Ecclesiarum per prouincias, in quas data est ei potestas, & Antiochenus item & episcopi Ecclesiarum per prouincias ei subiectas, & reliqui episcopi Ecclesiarum in alijs prouincijs erant vnum corpus Christi, quod est Ecclesia, quomodo esse poterat in illo corpore* εὐταξία, *id est, bonus ordo membrorum secundum analogiam corporis humani; quam Apostolus in epistola ad Corinthios describit, si Synodus ad* εὐταξίαν, *id est, ad compositionem ordinis in decreto suo spectans, non inprimis aspiciebat in vnum caput, & ad illud tanquam ad originem, & fundamentum* εὐταξίαν, *quam decreto suo formabat, non referebat? hic vos ad caput, quod est Christus, confugere soletis, quasi hoc sit caput, quod non poßit dicere pedibus, non estis mihi necessarij. Aut quasi illa corporis humani analogia nihil funditus ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, pertineat. Aut si pertinet, &* εὐταξίαν *quæris, da in ea vnum caput. Aut si satis dicis esse vnũ vnius prouinciæ caput, qui dicitur, & est primus siue metropolitanus, quem habere debent ceu caput reliqui prouinciales Episcopi secundum canonẽ apostolorum, & secundum Canonẽ Nicenum, erit igitur vnum corpus Ecclesia, multis capitibus præditum. at si quis de duobus primatibus siue patriarchis Alexan. querelã haberet, quis erat adeundus iudex qui maior esset? par .n. in parẽ non habet potestatem. An satis prouisum erat bono ordini, quẽ dicis, cũ esset nullus, qui illis maior eßet, et illos iudicare posset?* "
Ais deinde, Nec.n. pij illi patres tyrannidẽ in Ecclesiam in- "
uehere, sed tantũ schismaticis obuiam ire voluerunt. *Si noluerunt pij illi patres tyrrannidem, vt dicis, in Ecclesiã inducere, voluerunt igitur regnũ in Ecclesia conseruare, siquidẽ tyrannis est aberratio, siue disceßio à regno, vt Arist. tuus in libris de rep. tradit, quæ, inquit, tyrannis, quia à prima, & maximè diuina reip. forma, quæ regnũ dicitur, & est, degenerat, deterrimã esse necesse est. at regnum non est, nisi summa potestas penes vnum sit; Vnius*

Quomodo multipliciter redarguitur Antonius ratione εὐταξίας id est, compositionis boni ordinis, ad quã concessit spectasse canonem sextum concilij Niceni.

igitur primatum in Ecclesia illi pij patres Synodi Nicenæ in illa ἰυταξία, quam tu dicis, sancienda, & agnouerunt, & retinere voluerunt, vt tu nolens prophetasti, cum dixisti, noluisse illos pios patres tyrannidem in Ecclesiam inuehere. Vt semper lubricus es, ita vbique laberis, & in laqueos te ipse inducis. Præterea, si sanctione istius ἰυταξίας, quam dicis, tantum schismaticis patres illi obuiam ire voluerunt, & non introducere tyrannidem, cum hæresis sit maxima omnium tyrannis, hæretici enim est velle dominari fidei sine vlla ad scripturas secundum traditionem Apostolicæ prædicationis in Ecclesia intellectas, aut ad traditionem Apostolicam, aut ad pōtificem prouocatione; & vbi hæresis est, ibi schisma esse necesse est, alioqui hæresis esse desineret: sequitur, patres illos ἰυταξίᾳ illa prouidisse, etiam voluisse, ne hæreses, & schismata essent; hoc autem prouisum esse non poterat, nisi in illa ἰυταξία, cui, vt tu fateris, consultum decreto illo esse voluerunt, primatus vnius capitis ab illis Alexandrino, & Antiocheno, & à reliquis omnibus episcopis agnosceretur, & teneretur; quia ex eius origine episcopatus per cunctas mundi Ecclesias diffusus, qui vnus est, sicut vna Ecclesia, exordium ducit. Si negabis necessarium esse vnius capitis primatum, id est, Episcopi Romani beati Petri successoris, ad tollendas hæreses, & schismata, dicat testimonium beatus Cyprianus, & quia tu hunc testem vocare soles, condemnet te suo testimonio testis tuus. Qui post quã hæreticorum mores fraudulentos, & fallacias eorum descripsit; subiungit causam, & originem hæresum & schismatum his verbis in libro de vnitate Ecclesiæ, hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non redit ur; neq; caput quæritur; neq; magistri cælestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis; loquitur dominus ad Petrum, ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferorum non vincent eam, tibi dabo claues regni cælorum &c. & eidem post resurrectionem suam dicit, pasce oues meas. ibidem dicit idem Cyprianus, disposuisse dominum auctoritate sua, vt ab

Quomodo Antonius vt est lubricus, vbique labitur; & in laqueos se ipse inducit.

Quomodo maxima omniū tyrānis sit hæresis.

Testimoniū Cypriani ad tollendas hæreses necessariū esse in Ecclesia vnius capitis primatū.

vt ab hoc vno Petro origo vnitatis Ecclesiæ, quam super eum ædificaturus erat, inciperet. Hanc vnitatem Eccesiæ qui non tenet, inquit Cyprianus, tenere se fidē credit? si hæc, quæ beat⁹ Cyprianus scripsit, patres illi Synodi Nicenæ sciebāt, quomodo illo suo decreto ire obuiam schismaticis, vt tu ais, potuerunt, & ad compositionem ordinis spectare, si originem vnitatis Ecclesiæ negligebant? quomodo συναξία, id est, compositio ordinis Ecclesiæ, quæ vna est, ab illis patribus constitui poterat, nisi constitutum erat prius, vnde vnitas Ecclesiæ inciperet? aut vnde incipere poterat, nisi vnde dominus auctoritate sua in Euangelio disposuit? à quo autem vnitas Ecclesiæ incipit, is caput Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, sit, necesse est. Inde igitur hæreses, & schismata nasci dixit Cyprianus, quia neq; caput hoc quæritur, neq; magistri cælestis doctrina seruatur. ipse enim dominus hoc caput Ecclesiæ constituit; & caput esse Ecclesiæ docuit. Illi verò patres Niceni non quærebant hoc caput; quia non quærunt qui iam habent; sed qui aut nō habent; aut quod habebant, amiserunt, vt ad illud respondeamus, quod de illis patribus & eorum decreto scripsisti, Si primatus Episcopi Romani verbo Dei fundatus esset, certè id non erat prætermittendum, præsertim in decisione Synodali. *Immo non solum nō est prætermissum, sed potius tanquam fundamentum συναξίας, quam dicis, in Ecclesijs Episcoporum constituendæ, & tanquā principium potestatis eorum propositum est, cum dictum est, quia hæc est Episcopo Rom. consuetudo. Non enim illa consuetudo forma & exemplum potestatis Episcopi Alexandrini, & Antiocheni, & aliorum episcoporum in Ecclesijs suis esse potuisset, nisi sic dominus auctoritate sua disposuisset, cum Ecclesiam suam super Petrum ædificauit, & ab eo originem vnitatis Ecclesiæ incipere voluit. Sed vt hic adhuc cauilleris, sic occurris,* Quinetiam cum ait, hanc esse Episcopo Romano consuetudinem, satis indicat, cum etiam primatum, quem tum in sua prouincia Romanus Episcopus habebat, niti sola consuetudine, (quā dictionem ridicule exponis potestatem spiritualem) & propterea esse humani iuris. *Et hic te ad academiā tuam pro-*

Quàm increbile, & absurdum sit, nullas consuetudines à sanctis Apostolis in Ecclesia relictas esse; vt Antonius sentire & velle videtur.

uoco, iudicet ipsa, an credendum sit, nullas consuetudines à sanctis Apostolis in Ecclesia relictas esse? an putabimus nihil in consuetudine relictum esse eorum, quæ Ecclesiæ didicerunt, & acceperũt, & audierunt, & viderunt in apostolis? sic enim Apostolus ad Philipp. scripsit, quæ & didicistis, & audistis in me, hæc agite. aut quæ à sanctis Apostolis in consuetudine relicta sunt, minus erant diuini iuris? aut continuo erunt humani, quia in consuetudine nitũtur? & quis magis idoneus testis traditionis Apostolicæ esse potest,

Nullum magis idoneũ testẽ esse Apostolicę traditionis, quã consuetudinẽ Ecclesiæ Catholicæ.

quam consuetudo Ecclesiæ Dei? Non legisti Paulum, cùm contentiosis consuetudinem opponit, si quis, inquit, videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei? in istis contentiosis numeraris tu Antoni, qui peiores sunt quam non obedientes, sicut scriptum est in Deut. 21. filius noster non est obediens & contentiosus est, Græcè est ἀπειθὴς καὶ ἐρεθιστὴς, siue φιλόνεικος, vt Philon Alexand. in libro de ebrietate legit, & interpretatur, ait enim interpretans hunc locum Deut. φιλόνεικον, id est, contentiosum esse, non solum qui non est obediens, qui dicitur ἀπειθὴς, sed contrarium facit; vt qui non honorat, inquit, parentes, est ἀτιμότης, id est, non est eis obediens; qui dedecore afficit, φιλόνεικος. Qui non defendit patriam propter ignauiam, non obedit; qui prodit, contentiosus, sic tu non solum non prabes te matri Ecclesiæ, quæ te peperit, & regenerauit, obedientem, sed eam prodis, & dedecoras, cum contra consuetudinem ei à sanctis Apostolis traditam, & Euangelica auctoritate fundatam, primatum Petri humani iuris esse dicis. Audi quid doctissimus author Tertullianꝰ & traditionum apostolicarum, & Ecclesiæ consuetudinum scientissimus in libro de corona militis scribat, nihil interest, vtrum consuetudo, quæ idoneus testis est traditionis, scriptura, an traditione consistat; quando & legẽ ratio commendat: porro, inquit, si Lex ratione constat, Lex erit omne, quod ratione constiterit à quocunq; productum, neq; tam quærendus est auctor, quã auctoritas consuetudinis, cuius est traditio inuentrix; ratio confirmatrix; fides obseruatrix. Hæc omnia prodis Antoni, cũ consuetudinem primatus episcopi Romani, quam patres Niceni venerati sunt, & tanquam

Quomodo Antonius Sadeel in contentiosis numeretur, qui sunt peiores, quam qui nõ obediunt, quib. debent.

Quid differat nõ obediens à contentioso.

Quomodo Antonius Sadeel matrẽ Ecclesiã prodat, & dedecoret.

Qui consuetudinẽ primatus episc. Romani ad ius humanũ reuocat, quã multis modis proditor existat, quod Antonio Sadeeli contingit.

formam

formam sequuti, tu ad ius humanum reuocas; prodis inquam auctoritatẽ diuinam, qua fundata est, apostolicam traditionem, quæ eam Ecclesiæ transmisit; rationem, quæ eam confirmat; fidem Ecclesiæ Catholicæ, quæ eam obseruat. Præterea, cum Synodus Nicena dixit, τὰ ἀρχαῖα ἐθη κρατείτω, id est, vigeant priscæ consuetudines in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt episcopus Alex. in. horum omnium potestatem habeat &c. quis dubitare potest, qui vim verbi ἀρχαῖον calleat, quin illæ consuetudines priscæ, quas Synodus Nicena vigere, & firmas esse iubet, ab ipso principio Ecclesiarũ apostolicarum à sanctis Apostolis traditæ essent? siquidẽ Petrus Marcũ discipulum suũ, & ex baptismo filium Alexandriam misit, & eũ Ecclesiæ illi præfecit, & idẽ Antiochiæ Euodium, & postea Ignatium. Quod si priscæ iã erant, id est, ab ipso principio, vt dixi, Ecclesiarũ apostolicarũ institutæ, hoc enim significat ipsum vocabulũ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς dictũ τὸ παμπάλαιον, cõsuetudo igitur episcopi Romani successoris beati Petri, quã eadem Synodus in ipso canone dicit, prisca quoq; erat, & à sanctis apostolis ita tradita, sicut à domino Iesu acceperũt; siquidẽ in eam proficetur Synodus Nicena se intueri tanquã in formã, cũ priscas consuetudines potestatis episcopi Alex. & Antioh. fixas esse iubet, quia ea est, inquit, episcopi Rom. consuetudo. An priscæ, & apostolicæ consuetudines à posteriore & humani iuris consuetudine auctoritatẽ, & formã acceperunt? aut quod valentius est à minus valido robur, & firmitatẽ accipit? id est, diuinũ ius ab humano? accepisse verò auctoritatẽ, & formã ex consuetudine episcopi Rom. tanquã ex causa efficiẽte, & origine, ipse canon testis est, qui ait, vigeant priscæ consuetudines episcopi Alex. & Antioh. quia hæc est consuetudo Episc. Rom. an potuit clarius & apertius Synodus Nicena dicere vnde illæ priscæ cõsuetudines manasserunt, quã cum dixit, quia hæc est cõsuetudo episcopi Romani? hic tu, ne quod euidens erat, concederes, cæpisti cauillari in cõiunctione ὅτι & misisti me ad Grammaticos, qui te condemnant; vocasti testes locos scripturæ, qui contra te testati sunt; accesserũt etiam ex officina philosophiæ, qui contra te pronunciarent. Vndique teneris constrictus; sis licet anguis lubricus, elabi non poteris.

Quomodo illæ cõsuetudines priscæ quas Canon sextus Synodi Nicenæ dicit, non potuerũt nõ esse à sãctis Apostolis traditæ: in illis aũt est consuetudo episcopi Romani, quam idem canon dicit, & in quã tanquã in formã, ꝙ sequebatur, eadem Synodus intuebatur.

Quomodo illas priscas consuetudines potestatis Alexandrini episc. & Antioch. robur & auctoritatem accepisse à cõsuetudine prisca & Apostolica episcopi Romani tanquam à causa efficiẽte, ipse canon testis sit.

Quomodo vndiq; Antonio Sadeel teneatur cõstrictus, vt elabi non queat, sit licet anguis lubricus.

Illud

Illud verò quod per parentheſim dixiſti, ridicule me dictionem cõſuetudinis expoſuiſſe poteſtatem ſpiritualem; quia tu paginam libri mei notaſti, recitabo locum meæ expoſitionis, vt ſi appareat, me, vt tu dicis, dictionem conſuetudinis expoſuiſſe poteſtatẽ ſpiritualem, ridiculus habear, & numerer; ſin verò non appareat; tu habearis mendax. Sic enim ego ſcripſi; ſi conſuetudo Epiſcopi Romani, id eſt, poteſtas ſpiritualis, qua vti conſueuit in epiſcopos prouinciarum, quæ ei ſubiectæ ſunt &c. quia conſuetudo quatenus eorũ eſt, quæ dicuntur ad aliquid, quæ autem ſic ſunt, ſine duobus intelligi non poſſunt, neceſſe fuit mihi explicare cuius rei eſſet conſuetudo iſta epiſcopi Romani; conſuetudo enim, alicuius rei conſuetudo eſt, & quia quatenus qualitas, alicuius hominis eſt conſuetudo; vtrumq; comprehendi mea expoſitione cum dixi, conſuetudo epiſcopi Romani, id eſt poteſtas ſpiritualis, qua vti conſueuit epiſcopus Romanus. Non dixi, vt tu finxiſti, conſuetudo Epiſcopi Romani, id eſt, poteſtas ſpiritualis, quod non minus ridiculum fuiſſet, quam ſi dixiſſem exponens nomen patris, pater, id eſt, filius. At non ſic dixi, ſed conſuetudo epiſcopi Romani, id eſt, poteſtas ſpiritualis, qua Epiſcopus Rom. vti conſueuit; quia conſuetudo ad id refertur, cuius eſt conſuetudo; vt ſi dicerem, conſuetudo, ſpiritualis poteſtatis conſuetudo; ſicut dicimus, pater, filij pater; & filius, patris filius. Poſtremo, vt hunc locum de ſexto canone Synodi Nicenæ finiam, & nihil à te contra primatum Petri ex ipſo canone, aut ex interpretatione eius obiectum diſſimulem, illa interpretatio canonis diſ. 65. c. mos antiquus, quoniam quidem & Romano epiſcopo parilis eſt mos, nihil detrahit primatui Epiſcopi Romani; quia neq; paritatem ſignificat parilis, ſed ſimilitudinem formæ; neq; qui σύνυθες interpretatus eſt parile, bene interpretatus eſt, quia iſta interpretatio in Gratiano feratur. In quo quotidie à noſtris multa corriguntur, & limantur. Nec enim omnia, quæ in eo feruntur, auctoritate Eccleſiaſtica ſancita & confirmata ſunt. Sed proſequamur reliquas tuas cauillationes. Fruſtra etiam, *inquis*, conaris declinare vetus Africanæ Synodi decretum, ne qui illic Eccleſiaſtico Iudicio damnati eſſẽt, mare

Mendacium Antonij deprehenſum.

Commentũ Antonij.

Reſponſio ad obiectũ ex diſ. 65. parilis mos &c.

mare traijcerent, & vt duos parietes eadem fidelia dealbares, tam hoc, quam Carthaginense decretum ad solas appellationes restrinxisti. Idq; modo necesse non sit eas ad Pontificem Rom. deferri. qua limitatione vetus illud statutum eludis. *Si videor tibi frustra declinare vetus Africanæ Synodi decretum, & illud eludere, cur non probas vtrumq; cur facis semper, quod Augustinus obijcit Parmeniano, dicis, inquit, & non probas, quia tu dicentibus tantum credidisti. idem tibi accidit: quod sæpius mihi in te repetendum est. Probemus igitur nos, te hic cauillari, quia quæ omnibus patent, negare non potes. si eludere volui, vt dicis, statutum vetus Synodi Africanæ illa limitatione, modo necesse non sit causam ad Pontificem Romanum deferri, cur dissimulasti, quæ in illa pagina libri mei à te lecta, & notata scripsi, quibus te mendacij conuinco, id est, probo non me statutum illa limitatione eludere, sed te potius ab ipso Cypriano redargui. Sic enim tu scripsisti. atq; in primis notanda est ratio, qua vetus illud decretū nitebatur; ita loquente Cypriano libro 1. epist. 3. Singulis, inquit, pastoribꝰ portio gregis est ascripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus domino redditurus. Itaq; oportet eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere &c. idē paucis verbis commutatis obiecerat Illyricus, sanctus, inquit, Cyprianus archiepisc. Carth. & martyr grauiter arguit Cornelium Papam admittentem appellationes ex Africa ad se; ac dicit, vetustissimum canonem in Ecclesia esse, vt vnusquisq; episcopus per se suum gregem secundum verbum Dei regat, redditurus soli Deo rationem &c. Hæc Illyr. quem ego vt verbis eiusdem Cypriani, quem obiecerat, confutarem, & redarguerem, & te in eo, paulo altius locum Cypriani repetiui, posti sta, inquit, insuper Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad cathedram Petri, & ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est; à schismaticis, & profanis litteras ferre. Hic ego aduersus Illyricum & in eo aduersum te subiunxi: Iam tuus, & noster testis Cyprianus martyr cathedrā*

Antonius Parmeniano Donatistæ similis, semper dicit tātum, & non probat, quia ipse dicenti tantum credidit.

Quomodo Antonius mendacij conuincitur & ab ipso Cypriano teste suo redarguitur.

Petri, & Ecclesiam principalem vocat, quam tu paulo ante à Synodo Nicena secundum antiquam consuetudinem æquatam esse volebas; quod si æquata erat, & illa erat iam antiqua consuetudo, quomodo eam ignorabat Cyprianus? aut si non ignorauit, quia nec ignorare potuit, & Ecclesia Romana æquata erat, quomodo eam vocat principalem? inter pares enim non potest esse vnius principalitas. Deinde testatur tuus testis & noster, exortam esse vnitatem sacerdotalem ex cathedra Petri, & Ecclesia eius principali; ergo qui non adhæret Cathedræ Petri, & Ecclesiæ eius, non pertinet ad Ecclesiam vnam Catholicam, quia ab origine vnitatis sacerdotalis, sine qua Ecclesia vna Catholica esse non potest, recessit, qui ab eo recessit, à quo ordo cœpit sacerdotalis. Cur hæc dissimulasti? cur ad ea non respondisti? redde rationem academiæ tuæ. Redeo ad epistolam Cypriani, sequitur de illo qui ausus fuerat ferre ad pontificem Rom. litteras à schismaticis, vt fidem eius violaret, neq; cogitare, inquit, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non posset accessum. Hic etiam quærebam ab Illyrico, cum quo mihi sermo erat, quod in te etiam conuenit, quosnam Romanos hic diceret Cyprianus, ad quos perfidia non posset accedere? quos, inquam, nisi Ecclesiam Romanam? cuius fides deficere non potest, quia pro fide Episcopi eius dominus rogauit, & exauditus est. est autem Ecclesia in episcopo suo, & episcopus in Ecclesia, vt idem Cyprianus in Epist. ad Florentium, siue Puppianum scripsit. Sequitur in Epist. Quæ autem causa veniendi, & pseudoepiscoporum contra Episcopos factum nunciandi? inde ergo aiebam ego, iusta Cypriani querela de illius schismatici profectione Romam ad Pontificem, quod cum nulla causa esset proficiscendi ad pontificem Rom. & declinandi iudicium Ecclesiæ Africanæ, tamen ausus esset proficisci. Cum enim ait interroganter, quæ causa veniendi? satis declarat nullam fuisse causam veniēdi, siquidem nihil aliud haberet ille, quod nunciaret, præterquam quod pseudoepiscopi contra episcopos fecissent; quod erat non ius suum, sed iniuriam alijs factā tueri velle. Si igitur causa vlla iusta veniendi fuisset, æquo animo

Quæ Antonius Sadeel dissimulauerit ex libro meo, cui respondet, quia fractus respōdere nō potuit.

passus

passus esset Cyprianus veniisse illum Romam, alioqui non quæsuisset, quæ causa veniendi? quod perinde erat, ac si dixisset, nullam penitus causam fuisse. Id quod statim declarat; nam cum statutum, inquit, sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus; oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint. Hactenus Cyprianus. Idem statutum vt sanctissimum, & æquissimum seruatur nunc per omnes Ecclesias Dei Ecclesiæ Romanæ & episcopo eius adhærentes. Nec enim vspiam temere, ac sine causa probabili statim prouocatio ad pontificem Romanum vlli datur, quia æquum pariter & iustum est, vt Cyprianus ait, illic causã agi, vbi accusatores, & testes criminis esse possint. Hæc ego in illa pagina. Quæ si falsa esse putabas, debebas refellere, & nõ præterire: sin vera, falso dixisti, eludere me vetus illud statutum limitatione illa, modo necesse non sit eas causas ad Pontificem Romanum deferri. ego enim quod beatus Cyprianus in illa epistola interrogauit, quæ causa veniẽdi? interpretatus sum, satis declarasse Cyprianum illa percunctatione, nullam causam fuisse veniendi Romam, vt causa Romæ iudicaretur; ex quo intuli, si causa vlla iusta veniendi fuisset, æquo animo passurum fuisse Cyprianum aduentum illorum Romam, alioqui non percontatus esset, quæ causa véniendi? quod perinde erat, vt si diceret, nullam pœnitus causam fuisse, id quod statim probat, repetam iterum, nam cum statutum, inquit, sit ab omnibus, & æquum sit pariter, & iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus, oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam, vbi & accusatores

habere, & testes sui criminis possint. En Antoni, quare nulla causa erat illis veniendi Romam, vt Cyprianus percontando affirmauit, quia illic erat cognita, & à multis episcopis causa iudicata, vbi crimen admissum fuerat; & accusatores, ac testes criminis erant, qui Romæ esse non poterant, vt iam venisse illos Romam post dãnationem graui iudicio tot episcoporum factam, vt idem Cyprianus ait, nihil aliud esset, quam circumcursare, & episcoporum concordiam subdola, & fallaci temeritate collidere. At si causa iusta veniendi Romam, & causam ad pontificem deferendi fuisset, quis Catholicus neget, æquo animo, vt antea dixi, passurum fuisse Cyprianum? Hæc enim sunt mea verba: ergo si causa iusta veniendi fuisset, venisse illos Romam, æquo animo Cyprianus passus esset: hanc iustam causam veniendi significat illa limitatio, quam tu vocas, qua me dicis illud vetus & iustũ statutum eludere, idq; modo necesse non sit eas causas ad pontificem Romanum deferre, necessarium enim vno modo dicitur, quod causa iusta, & ratio probabilis postulat. At quomodo statutum iustum iusto eludi potest? si dedi statuto iusto exceptionem causæ iustæ & necessariæ, quomodo iustũ iusto & necessario eluditur? si exceptio causæ iustæ, quam tu limitationem appellas, iniusta erat, & non erat exceptio causæ iustæ, sed iniustitia, cur non refellebas? cur non ratione aliqua eam improbasti, & redarguisti? si igitur hoc non feciſti, quia neq; potuisti, sequitur non me eludere statutũ, sed te illudere infelicib⁹ principibus, & miseris populis, quos istis tuis præstigijs cauillatorijs misere fallis. Sed videamus si qua esse poterat iusta causa deferendi causã ad pontificem iudicio etiã episcoporum Africanorum, vt inde etiã intelligas non eludi ista limitatione, quam dicis, statutum illud vetus. Scripserunt episcopi Africani in Synodo Mauritaniæ congregati ad Damasum de quibusdam episcopis vicinis, qui non consulto episcopo Romano quosdam ex fratribus coepiscopis damnauerant; petebant q; ab eo, vt eos defenderet, quòd videretur non licuisse vicinis illis episcopis facere, quod sine auctoritate pontificis facere ausi essent. Rescripsit Damasus Pont. episcopis in Synodo Mauritaniæ, cum Stephano Archiepiscopo congregatis, postquam lauda-

Quomodo redarguitur Antonius & demonstratur nõ eludi vetus statutum, quod dicit illa limitatione, quam vocat; sed ipsũ potius illudere principibus & populis, qui eum audiunt, dũ vanis cauillationib⁹ ad eos decipiẽdos vtitur.

laudauit eos, quod prudenter pontificem de ea re monuissent, discutere episcopos, & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas, licere quidem metropolitano vna cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, sed definire eorum, atq; Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare episcopos absq; huius sanctæ sedis auctoritate non licet, inquit; deinde subiungit, quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet: si necesse fuerit, dixit, Damasus, vt intelligeremus, cum non necesse fuerit, non esse prouocationem. Sed ego non testimonio alioqui apud omnes catholicos grauissimo Damasi pontificis aduersus te nunc vti volo, qui hæreticus es, & pontificem nullum agnoscis in Ecclesia, sed testimonio patrum Africanorum, quos nobis obijcis in statuto Cypriani, quod nunquam intellexisti, nec ij à quibus didicisti intellexerunt. Cur enim conquesti sunt illi patres Africani in Synodo Mauritaniæ congregati, de episcopis vicinis, qui non consulto prius episcopo Romano quosdam Coepiscopos damnauerant, si nulla causa iusta esse poterat, deferendi causam ad pontificem extra prouinciam? si nunquam necesse esse poterat, quia nũquam liceret? querela igitur illorum testis est, & causam iustam fuisse deferendi illorum episcoporum, qui damnati fuerant, causam ad pontificem, prius quam in prouincia de ea pronunciatum esset; & vt ita fieret, aliquando necesse esse; vt in causis episcoporum, & in grauissimis rerum Ecclesiasticarum causis. At illi, quos Romam venisse post iustam condemnationem queritur Cyprianus, idque contra statutum vetus factum esse dicit, non erant episcopi, sed qui pseudoepiscopo sibi ab hæreticis, vt Cyprianus ait, constituto, nauigare, inquit, audent, & ad Petri Cathedram, atq; ad Ecclesiam principalem. Hæc etiam dissimulasti, ad quæ tibi respondendum erat, vt probares me illa limitatione decretum eludere, sed hactenus de limitatione, quam obiecisti. Videamus nunc, vtrum conatus sim declinare vetus Africanæ Synodi decretum, quam etiam dixisti, non intelligens quid diceres; & vtrum ego duos parietes, id est, tam hoc, quam Carthaginense decretum de vna fidelia dealbarim; an tu de vna officina ignorantiæ denigraueris. Canon

Testimoniũ episcoporũ Africanorũ contra Antonium.

Dissimulata ab Antonio, ad quæ respondẽdum ei erat, vt probaret eludi decretum illa limitatione quam dicit.

Quomodo refellitur & redarguitur quod dixit declinari vetus Africanę Synodi decretum.

decimus concilij Carth. III. est, Hoc etiam placuit, vt à quibuscunq; iudicibus Ecclesiasticis, ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatū, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel cupiditate, & gratia deprauati. Cum dicunt, à quibuscunq; iudicibus Ecclesiasticis, profecto neq; primates Africæ, id est, primarum sedium episcopos excipiunt; nec archiepiscopū Carthaginensem maximū totius Africæ Metropolitanū, nec eorū concilia, quin ab omnibus prouocari posset ad alios Ecclesiasticos Iudices, vbi maior auctoritas esset, vt ad Romanos pōtifices. An si id prohibere voluissent, nō aperte dixissent, ne quis in posterū ignoraret? sed recitemus nunc canonem Synodi Africanæ 92. quē hostes episcopi Romanquā alterum parietem, vel murū obijcere solent, quem Canō illc concilij Carth. proximè recitatus coarguit. Itē, inquit, placuit, vt presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de iudicijs Episcoporū suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, faciāt, adhibiti ab eis consensu suorū episcoporū. Quod si ab eis prouocandū putauerint, non prouocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum suarū: ad transmarina qui putauerit appellandū, à nullo intra Africam in cōmunionem recipiatur. Quid simile in tertio illo Concilio Carth. sancitum est, aut quid obstabat, quo minus ita sancirent, si ita visum fuisset? ne vlla non obediendi per obscuritatem canonis occasio in Africanis Ecclesijs præberetur? tametsi illud hic obseruandū est, nullo Canone patres illos Africanos appellationes episcopis interdixisse, sicut presbyteris, diaconis, & minoribus clericis interdixerunt; quòd episcoporum causæ, vt sunt maiores, ita magis ad episcopum Romanum pertinebant. Illud.n. quod in extrema parte canonis proximè recitati græcè est ὡς περὶ τῶν ἐπισκόπων πολλάκις ὥρισται, id est, sicut de episcopis sæpe decretum est, nō potest vlla ratione sic intelligi, nequis erret, quasi hoc dicat canon, decretum esse sæpe, vt episcopi non appellent Iudices transmarinos, sed primates, sicut de presbyteris, & diaconis, & alijs clericis minoribus decretum est; non hoc, inquam, dicit: siquidem primates

Canon x. concilij Car. III. qui Canonem Synodi Africanæ XCII. coarguit.

Quomodo neq; Canone XCII. cōcilij Africani, nec vllo alio canone appellationes episcoporum ad pontificem prohibitæ sunt, sed presbyterorum, & diaconorum, & minorum clericoum, & curita-

non

non sunt iudices appellationis episcoporũ, sed primi iudices, vt constat ex concilio Carth. 3. Can. 7. Quisquis, inquit, episcoporum accusatur, ad primates prouinciæ causã deferat accusator. Hoc ergo significat extrema pars canonis sicut de episcopis sæpe decretum est, scilicet, vt si de eorum iudicijs quæstio fuerint clerici, fiat quod statutum est canone illo 92. Ac rursus Canone 63. illi ipsi patres Africani Concilij appellationes non à quibuscunq; sed ab arbitris interdixerunt, legem sæculi à ratione naturali dictatã sequuti. Arbitri.n. sententia, inquit Vlpianus, siue æqua, siue iniqua sit, stare oportet; sibiq; vnusquisq; imputare, quod eũ elegerit. Patres itaq; Africani in illa Synodo Carth. 3. Canonem de appellationibus tenuerunt, & confirmarunt; cum enim illa Synodus in illo x. Canone dixit, à quibuscunq; iudicibus Ecclesiasticis prouocatum fuerit, neminem excepit, à quo prouocari non posset. In sexta verò Carthaginensi, etsi non recipiebant, donec eis in Concilio Niceno ostenderetur alius canõ præter sextum canonem, in quo, vt iam demonstratum est, primatus pontificis continetur, vnde ius eum appellandi oritur, nunquam tamen primatum pontificis negauerũt, vt vel ex vno Augustino episcopo Hipponensi, qui Synodo interfuit & legatus Numidiæ fuit, perspici potest, de cuius multiplici testimonio pro primatu pontificis in paginis libri mei à te notatis recitato nihil penitus respondisti, sed omnia dissimulasti, in quo satis declaras, esse te ad aphoniam redactum. Quis autem ignorat, ius appellationis ad Pontificem Romanum, cum iusta causa appellandi est, ex primatu eius ortum ducere? si plura de re hac desideras, scripsi copiosius libro 3. contra Centuriatores c. 2. vnde illud postremo hic repetã, quod illi patres Carth. tunc peccarunt, postea successores eorum Bonifacio 11. põtifice correxerunt, cũ inter Africanã, & Romanã Ecclesiam facta est pacis reconciliatio, vt perspici potest ex epistola eiusdẽ Bonifacij ad Eulalĩ, patriarchã Alexandrinũ, in qua multa diuinè præfat° de distinctiõe ordinũ Ecclesiasticorũ, et de mira cõnexione cõcordiæ ex diuersitate ac distinctiõe graduũ, subiungit, quia igitur vnũ quod salubriter tunc cõpletur officiũ, cum fuerit vnus, ad quẽ possit recurri, præpositus, vota nostra

Chari-

Quomodo intelligẽda sit necessario extrema pars canonis 92. con. Africani, ne quis per ignorantiã in eo erret, aut cauillet-ur.

De appellatione ab arbitris merito secundũ legem sæculi à ratione dictatam in Conc. Africano interdicta.

Quod patres Africani in 3. Synodo Carth. c. x. omniũ appellationes nemine excepto ad pont. Rom. tenuerunt, & confirmarunt; in sexta verò Synodo Carthag. ca. 92. appellationes tantũ presbyterorum & diaconorum & aliorũ clericorũ minorũ ad põtificem interdixerũt, tantisper dum alius

Canon Nicenus præterſextum eis oſtenderetur, appellationes tamen Epiſcoporum nunquam prohibuerunt, & primatũ Pontificis ſemper confeſſi ſunt, vt ex vni⁹ Auguſtini, qui concilio interfuit, multiplici teſtimonio perſpici poteſt.

Charitatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit ſolicitudinis, gaudiorum fructus reddatur extorris. Et ideò Carthaginenſem Eccleſiam ad Communionem noſtram rediſſe tradentibus ſignificamus alloquijs, & mandatorum, quæ legatis noſtris dedimus, ſeriem in omnibus fuiſſe completam, de qua pace vt ad dilectionẽ tuam plenius perfecte gaudium perueniret, libelli Eulalij fratris & conſacerdotis noſtri Carthaginenſis epiſcopi, & Iuſtini clementiſſimi principis Sacrarum litterarum exemplaria pariter credidimus deſtinanda, & paulo poſt, Aurelius enim præfatæ Carthaginenſis Eccleſiæ olim epiſcopus cum collegis ſuis inſtigante diabolo ſuperbire temporibus prædeceſſorum noſtrorum Bonifacij, atq; Cæleſtini contra Romanam Eccleſiam cœpit: ſed videns ſe modo peccatis Aurelij Eulalius à Romanæ Eccleſiæ communione ſegregatum, humilians recognouit ſe, pacem & communionem Eccleſiæ Romanæ petens, & ſubſcribendo vna cum collegis ſuis damnauit auctoritate apoſtolica omnes ſcripturas, quæ aduerſus Romanæ Eccleſiæ priuilegia factæ quoquo ingenio fuerunt. ſi placuit Antoni tuis Proteſtantibus imitari epiſcopos Carthaginenſes, ſuperbia in Eccleſiam Romanam aliquando elatos, cur non placet imitari epiſcopos Carthaginenſes pœnitentia correctos? cur mauultis, ſicut ſcriptum eſt, æmulari in malignantibus, & zelare facientes iniquitatem. Hactenus de duobus parietibus dealbatis; ſi pictor es, depinge in eis aliquos floſculos Cauillationum.

Audiamus, quæ ſequuntur, num ſint minus falſa, & inepta, & quæ te redarguunt.

CAP.

CAPVT XX.

Quomodo refellatur quod ait Antonius sententia pontificali promulgata sancitum esse, vt vndiq; ad Ecclesiam Romanam appellaretur, & de testimonio Gelasij quod contra se produxit. Responsio ad querelam eiusdem, quod pontifices Rom. summos etiam imperatores sibi subiecerint, & de cathedra Petri Antiochia Romam translata, & de modo, quem in ea translatione obijcit Antonius.

PRofers autem, *inquis*, ex Aurelio Iurisconsulto, olim non licuisse à præfectis prætorio prouocare ad imperatorem, cuius tamen summę potestati non derogabatur. Verum vt omittam, quàm parum hoc exemplum ad rem faciat, te ex Aurelio tuo refello, qui testatur, id quidē licuisse, sed postea, vt eius verbis vtar, publice sententia principali lecta, appellādi facultatem fuisse interdictam. Atqui Turriane hac in causa contrarium prorsus euenit. Nam cum initio locum non haberent eiusmodi appellationes, postea sentētia pontificali promulgata, sancitum est, vt ex omnibus Ecclesijs ad Ecclesiam Romanam appellaretur. Sic enim Gelasius Papa citante Gratiano cap. cuncta. 9. q. 3. Sacrosancta, inquit, Romana Ecclesia fas de omnibus habet iudicandi; neq; cuiq̃ de eius licet iudicare Iudicio, si quidē ad illā de qualibet mundi parte appellādum est: ab illa autem nemo appellare permissus est. Hæc bonus ille seruus seruorum Dei. *Ego vt ex eo, quod aduersarius ponit, eum redarguerem, dedi quod volebat, vt eo etiam dato rursus efficiatur, primatum habere pontificem Romanum. Docuit hoc etiam tuus Aristot. sic eum cum quo disputamus, redarguere. negas tu ius appellandi pontificem, vt primatum eius neges; ego rursus, vt ne sic quidem elabi possis, concessi id, quo concesso, nihilo minus sequitur primatum habere, quod tu negas. in promptu est ratio, quia, sicut Imperatori Romano nō derogabatur, quod à præfectis prætorio nō liceret ad eū prouocare, immo potius summa eius potestas in eo ostensa est; quod nunquam*

Quomodo ex concessis etiam ab aduersarijs in canone sexto Synodi Nic sequatur episcopũ Romanũ habere primatũ, quod est redargui ex concessis scilicet adduci ad contradictionem.

hoc licuit, nisi sententia eius principali lecta: ad hunc modum si dicimus Synodum Nicenam prouocationes ad pontificem interdixisse, quod illi Africani per errorem contendebant, inde etiam sequitur primatum habere pontificem, quia hoc, quod aduersarij ponebant, auctoritate episcopi Romani statutum est; ille igitur erat, & nunc est principalis. statutum, inquam est, auctoritate eius, & lecta eius principali sententia, vt de imperatore dictum est; si quidẽ Synodus Nic. illo canone 6. quo illi aduersarij Africani appellationes interdictas esse falso putabant, in sancienda, & confirmanda potestate primatus Alexandrini, & Antiocheni, & potestate aliorum episcoporum in Ecclesijs suis, formam Episcopi Romani, vt capitis & primi omniũ sequi se plane profitetur; quare si appellationes interdixit, quia episcopus Rom. voluit, interdixit, est igitur episc. Rom. omnium episcoporum princeps. Hoc sit responsum ad id, quod dixisti, exemplum de summa potestate Imperatoris, cui non derogabatur, licet non liceret à præfectis prætorio ad eum prouocare, parum ad rem facere. Quod autem ais contrarium euenire in pontifice, atque in imperatore: ad Imperatorem. n. non licuisse à præfectis prætorio prouocare postquam sententia principalis, id est, imperatoris lecta fuit, licuisse tamen antea; ad pontificem verò vt ab omnibus prouocaretur, sancitum esse, sententia promulgata pontificali; mul

Quomodo Antonius Sadeel seipsum refellit in vno loco dupliciter.

tiplici inconstantia te hic refellis. primum pontificalem sententiam de appellando pontificẽ comparas cũ principali sentẽtia imperatoris de non prouocãdo à præfectis prætorio ad imperatorẽ, est igitur testimonio tuo pontificis sũma potestas Ecclesiastica, id est, primat; sicut imperatoris summa potestas sæcularis. Deinde, quod dicis promulgata sententia sancitũ esse, vt ex omnibus Ecclesijs ad Ecclesiã Romanã appellaretur, testimonio sententiæ Gelasij ad probandũ, quod dixisti, à te recitato, refellis. Oportebat. n. vt edictum esset ista, quã dicis, promulgata Gelasij sententia, oportebat, inquã, vt hoc iuberet, quod dicis; at non hoc facit; nulla hic iubendi forma; nõ. n. dicit, Sacrosancta Romana Ecclesia fas habeat de omnibus iudicandi: neq, cuiquã de eius liceat iudicare iudicio: sed potius ad illã de qualibet mundi parte appelletur: ab illa autem nemini appellare permit-

permittatur. Non sic dicit; sed quid, & quomodo, audiamus, cuncta inquit, per mundum nouit Ecclesia, quod Sacrosancta Rom. Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi &c. apparet ne hic vlla forma legis, cuius est iubere, aut vetare? an potius ὡς ἀρχὴ ἢ ἀξίωμά τι γνωριμάτατον βεβαιότατον? quod omnes qui de doctrina Catholica philosophantur accipiunt, id est, tanquã pronunciatum quoddã notissimũ, & firmissimum. Sicut firmissimũ principium, vt tuus Arist. libro 4. primæ philosophiæ tradit, apud eos, qui de natura philosophantur, est, in quo impossibile est falli; quia necesse est inquit, esse hoc notissimũ. Amabo te, dic causam, cur illud vice breuiculi proœmij omisisti, cuncta per mundum nouit Ecclesia &c. Si pudet mihi dicere, dic in aurem tuis amiculis. Credo, idem auet academia tua ex te scire. Non potes excusare prolixitatem, quatuor verba erant aut quinq, sed quæ conscientiam tuam mordebant. Si falsa esse putabas, cur ipsum principium, quo tu conuinceris, & omnes Protestãtes conuincuntur, non statim reselliebas? cur saltẽ, vt soles, quamuis non probares, quod diceres, non negasti? si cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod cõscientia tua conuicta, ne negares, coegit, cur fallis populos, & principes populorum decipis? cur non horres iudicium illud, quod tuis similibus beatus Petrus minatur, quod tibi iam olim non cessat, & perditio tua non dormitat? si dubitas, vtrũ verum sit, quod Pontifex Gelasius ait, exi ex Germania, accinge te aditer, percurre omnes Ecclesias: vt postea, non dicam, sicut Apostolus ad Timotheum scripsit, quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere, sed quæ audisti per omnes mundi Ecclesias, hoc teneas. Postremo, vt intelligat academia tua & per eam omnes principes Germaniæ, quã magnus veterator sit Antonius Sadeel, interrogo te, quare quod erat in extrema parte huius põtificalis sententiæ, sicut tu vocasti, quæ à te recitata est, dissimulasti, & præteristi? nec hic respondebis, sed respondebo ego pro te: quia si non dissimulasses, non potuisses fingere, quod finxisti: non reliquisses locum commento tuo. Nam cum initio, aiebas, locum non haberent eiusmodi appellationes, postea sentẽtia pontificali promulgata, sancitum est,

Quid Antonius in testimonio sententiæ Gelasij à se citato dissimulauerit veteratoriè, quia conscientiam eius mordebat.

Quid rursus ide Antonius præterierit dissimulanter in extrema parte eiusdẽ testimonij à se recitati ex Gelasio simili fraude & versutia; & quare præterierit.

vt ex omnibus Ecclesijs ad Ecclesiam Romanam appellaretur; at in extrema parte huius capitis à Gratiano repetiti expositum erat, vnde manasset ius istud vndiq; ad Pontificem, si opus esset, prouocandi, nempe ex principatu beati Petri à domino fundato, & in Ecclesia instituto; sic enim ait, & hoc nimirum pro suo principatu, quẽ beatus Petrus Apost. domini voce & tenuit semper, & tenebit. Sumptum est hoc caput ex epistola Gelasij ad episcopos Dardaniæ, in qua est hoc ipsum, quod in extremo huius capitis recitauit Gratianus; sic enim ait de Ecclesia Romana, quæ vnamquamq; inquit, Synodum & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper, & tenebit &c. Quanto melius causæ tuæ, & verecundiæ consultum fuisset, si huius capitis Gelesij ex Gratiano à te recitati nõ miminisses? quo & causam tuam prodidisti; & pudorem tuum maculasti, cum te veteratorem, & versipellem esse ostendisti. nihil hic dicam, quod Gelasium sanctissimum & doctissimum pontificem, & perantiquum, virum bonum seruum seruorum Dei irridens vocas. Mirer si academiam tuam non tui pudeat. Pergit Antonius,

Quomodo Antonius recitando testimoniũ Gelasij causam suam prodidit, & pudorem suũ maculauit.

„ Vnde, *inquit*, efficitur, pontifices non modo non senten-
„ tia publice promulgata facultatem ad se promouendi
„ interdixisse, verum etiam eo semper, quantum in ipsis
„ fuit, omnia reuocasse, attraxisse, rapuisse, adeò, vt suo
„ throno non solum præfectos prætorio, quorum memi-
„ nit Turrianus, sed quod longe est indignius, ipsos etiã
„ summos imperatores subiecerint. *Melius dixisses, vnde efficitur, vt non modo non interdixerint pontifices sententia publice promulgata facultatem ad se prouocandi, sed neq; interdicere potuerint, quoties opus esset prouocatione. cur ita? propter principatum scilicet, vt paulo ante dicebat Gelasius, quem beatus Petrus Apostolus domini voce & tenuit semper, & tenebit. Cum enim ipse sit pater familias; quem dominus domui suæ, quæ est Ecclesia, præfecit, & vnus sit ac primus Iudex ad tempus, sicut ait beatus Cyprianus, ad eum pertinet omnium vtilitati consulere; omni-*

um

um necessitati prouidere. Quod rursus ais, suo throno non solum præfectos prætorio, quorũ meminit Turrianus; sed quod longe est indignius, ipsos etiam summos imperatores subiecerint, quid hoc aliud est, quam gloriæ domini Iesu inuidere? pietatem, & religionem imperatorum Christianorũ reprehendere? prophetias de regno Christi, & splendore Ecclesiæ eius ignorare? impletas esse non videre? mirum nisi magnum Constantinum, quòd se pontifici subiecerit, ac propter honorem eius, & obseruantiam, qua eum colebat, vrbe Roma cesserit, rides; aut inuidia, & liuore doles; mirum, nisi eos pontifices accusas, qui inquis conatibus imperatorum constãter, & fortiter restiterunt, & eos increparunt; vt magnus Leo Theodosiũ minorem propter Ephesinum Latrocinium: Papa Hilarius Anthemium Imperatorem propter Philoreum Macedonianum: Simplicius pontifex, & post eum Felix non solum Basilium tyrannum, sed etiam Zenonem Imperatorem propter eadem inique facta. Hic ipse Galasius, quem tu irrides, Hodoani barbaro hæretico, qui tunc regnum Italiæ tenebat, cum quædam, quæ non licebat, iuberet, nunquam se paruisse gloriatur. Hoc enim est quod conquerens dicis, non intelligens quid dicas, subiecisse sibi pontifices ipsos summos Imperatores. aut enim pij erant, & eos pietas ipsa pontifici Christi Vicario ad honorem Christi subijciebat: aut aliquid contra quàm liceret, moliebãtur, & iubebant, & tunc non obedire pontificem, & libere ac constanter malefactis obsistere, & nunquam de gradu pietatis decedere & quæuis dura, & aspera potius perpeti, vincere erat; & vincere subijcere est. Sic summos imperatores sibi subijciebant, non solum episcopi Romani, sed alij episcopi imperatores summos, & magnos Reges sibi subiecerunt, immo etiam pœnitentiæ subiecit beatus Ambrosius Episcopus Mediolanensis Theodosium maiorem, quem publice communione priuauit, & ad pœnitentiam redegit, mirer, si tyrannum eum non appellas. Eugenius episcopus Carthaginensis constantissime restitit Honorico regi Vandalicæ nationis, quem tunc sibi victor subiecit, cum ei, & persecutioni eius non cessit, & omnia mala pati maluit, quam cedere. Gregorius VII. Henricum Imperatorem anathemate affecit

Quomodo Antonius gloriæ domini inuidet; pietatẽ & religionẽ imperatorũ Christianorum reprehendit; prophetias de regno Christi, & splendore Ecclesię eius ignorar, & impletas esse non videt, cum, cõqueritur, de põtificib. qui imperatores sũmos sibi, id est, Ecclesiæ Christi subiecerunt.

Quomodo Antonius q eritur de pontificibus subieciſſe sibi ſummos imperatores.

Quomodo pontifices alios sũmos imperatores, quod Antonius' dolet, & quę ritur, subiecerũt, alios ipsa pietas põtificibus subiecit.

propter crimina detestanda, & vt veniã supplex nudis pedibus, & regali ornatu deposito peteret, coegit. Et cum ei quidam dicerent, non esse imperatorem, aut regem præpropere anathematizandum, respondit eis, cum Christus Ecclesiã Petro commisit, & dixit, pasce oues meas, excepit ne reges? si igitur Petro & ijs, qui loco Petri ordinantur, vt Ecclesia Catholica per vniuersum orbem diffusa testatur, & prædicat, potestatem anathematis dedit, vt ea potestate summos etiam imperatores sibi in obsequium Christi, ad eorum salutem subijcerent, eorum temeritatem coercerent, & à progressu refrenarent: annon oportuit te potius gratias Deo agere, qui talem, ac tantam potestatem ministro suo dedisset, quam illi impie indignitatem rei exprobrare? ecquid aliud egit Leo x. cum Lutherum pseudoapostolum, & eos omnes, qui partes eius fouebant, per anathema tradidit Satanæ, quàm dedit operam, vt sic oues perditas recuperaret, & ab illo Lupo rapaci ad prærupta abductas, in tutum ouile Ecclesiæ Catholicæ, si posset, reduceret, vt eorũ animæ saluæ fierent? voluit quidem pontifex, fatemur, subijcere sibi, id est, fidei Catholicæ, cui° cathedrã in loco Petri tenebat, nobilissimã nationem Germanorũ, vnde summos Imperatores Ecclesia Romana assumit, & vt subijceret, gladio ignis percussit. Sic .n. vt antea dixi, apostolica doctrina libro 2. Clementis Romani anathema vocat, siue quia diuidit, & partem anathematizati cum infidelibus in geenna ignis posuit: siue quia sic ab ingressu cæli prohibet, vt flãmeus ille gladius à paradiso voluptatis, & via ligni vitæ arcebat, cuiusmodi gladio si qui secti sunt, statim, vt eadẽ doctrina apostolica testatur, accedunt dæmones, qui tanquã lupi in eum accipiunt potestatem, in interitum carnis, vt apostolus ait, quod tamdiu patiuntur, quãdiu is, qui ligauit, non soluerit. Experieris miser Antoni, & fortasse breui, quod dico, si riseris, Efficiat Deus, vt cũ apostolo dicere possimus, confidimus aũt de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Hæc à me eò dicta sunt, vt intelligeres, quomodo verum sit, quod nõ intelligens dixisti: quomodo, inquã, pontifices, summos etiã imperatores sibi subiecerint, & adhuc subijceant, cũ seueritas Ecclesiasticæ disciplinæ, & ratio pascen-

Quomodo pro quo Antonius si gratus & pius esset gratias agere debuisset, in eo in dignitatem rei exprobrat impie

Quid Leo x. efficere voluerit, cum Lutherũ, & eos omnes qui partes illius fouebant, Sathanæ per anathema tradidit.

Cur anathema gladius ignis in apostolica doctrina vocetur.

Quomodo verum sit, quod Antonius dixit de pontificibus, subiecisse, & adhuc subijcere, cũ opus

pascendi oues cõmissas postulat. Quod si ista tibi, vt ad omnia occurram, tyrannis videbitur, videatur etiam tibi tyrannus Petrus, qui Ananiam occidit, & Sapphiram vxorem ante pedes viri sui, quia mentiti fuerant spiritui S. at quanto grauius, fœdius, et execrabilius mentitur spiritui S. qui fidem, quæ donũ spiritus S. est, mutat? qui profitetur omnes suæ gentis Ecclesias ab initio Christianitatis suæ, & omnes earum episcopos, & populos eorum, omnes patres, & maiores suos in errore fidei ante Martinum Lutherum Germanicum prophetam fuisse: & falsa esse, quæ antea credebãt, & quæ nunc omnes Ecclesiæ per vniuersum mundum credunt, prædicant, docent, profitentur. Sit etiam tibi Paulus tyrannus, qui per anathema subiecit sibi, & pœnitentiæ Corinthium, & Elymam magum cœcitate affecit. Hactenus responsum sit ad querelã tuam de indignitate rei in subijciendis summis imperatoribus pontifici, licet extra causam esset, quanquã si tu pius esses, & Dei prouidentiam cogitares, facile intelligeres Deum præpotentẽ esse, qui summos imperatores põtifici subijcit; quare hoc conqueri, obtrectare Deo est. Sequitur: Non igitur interdicta fuit prouocatio ad Ecclesiam Rom. ab ipsa Rom. Ecclesia, aut ab eius episcopo ita iubente, sed à pluribꝰ episc. Africanis ita statuentib. & id quidẽ inuito episcopo Romano. *Semper dicit, & non probat noster Parmenianus. dixi paulo ante de statutis concilij Carth. 3. & Carth. vi. de appellationibꝰ, & probaui in illo Can. 6. Concilij Niceni, quẽ sẽ Patres Africani in canone suo de appellationib. sequi existimabãt, cõtineri primatũ pontificis. Et tuas cauillatiões affatim me coarguisse puto: disserui etiã de ratione illius veteris decreti, de quo Cyprianus, & probaui ex verbis Cypriani relictũ esse locũ prouocationi ad põtificẽ, si causa iusta prouocãdi esset nõ opus est eadẽ repetere. Refelle tu, si aliter potes quã dicẽdo tantũ, & non probando, aut negando, futiliter, & ridicule cauillando. Deinde dicis*, Atq; vt vno verbo transigã, si veteres multũ tribuerunt Ecclesiæ Rom. non tantũ propter imperij sedẽ illic constitutã, sed etiã propter spirituales dotes, quib. tũ excellebat, affirmo illa ad vos nihil hodie pertinere.

est, ipsos eriã summos imperatores qui sunt oues Petro, & successori eius cõmissæ.

Quomodo grauius, fœdius, & execrabilius mentiũtur Protestãtes spiritui S. quã Ananias, & Sapphira vxor.

Quomodo Deo obtrectat Antonius, cum queritur, quod Rom. pontifices subijciant sibi imperatores.

Hic

Hic quoq; Antonius tanquam alter Parmenianus, dicit tantum: affirmare enim se dicit, sed probare se posse quod affirmat, cum non probat, se nõ posse probare, satis affirmat. Qui nihil dicit, quid ad respondendũ relinquit? quas dotes spirituales dicis, & à nostris pontificibus requiris? quem pontificem quamlibet sanctum, antiquum, martyrij etiam gloria dotatum, qui contra Lutheri apostatæ, ac pseudoapostoli disciplinam, & sectam aliquid scriptũ reliquit, vos vnquam laudastis? aut in eo istas dotes spirituales, quas dicis, prædicastis? si de Marcello pontifice & martyre à nobis aliquid producitur, quicunq; tandem is fuerit, per contemptum dicis; si de Gelasio; hæc, inquis, ille bonus vir seruus seruorum Dei; si de Martino Luthero vobis loquendum est, magna cum reuerentia, vt de Apostolo, alioqui tyranno animarum, sacrilegio incesti commaculato, apostata, & hæresiarcha, turbulento, omnis inconstantiæ, & petulantiæ patre, & cædis innumerabilium hominum reo. Vt nuper Andreas Freyhubius doctor Lypsiensis, tuus puto condiscipulus cum Martinum Lutherum commemorare vellet, hoc elogio ornauit, Longe optimus, & doctissimus vir D. Lutherus, ô præclarum elogium, quod omnes Ecclesiæ per cunctum orbem vno ore detestãtur. Sequitur, Nihilo melius soluis, quod obijcitur de Petri cathedra ex vrbe Antiochia Romam translata: atque hic est nodus, Turriane, quem hactenus tui pontificij soluere nequiuerunt; neque tu, quamquam tuo iudicio acutissimus disputator, aliud profers, quã veterem illam crambem toties, & ad nauseam vsque repetitam de Marcello episcopo Romano (quicunq; tandem is fuerit) qui scripsit ad Antiochenses, cathedram Petri volente Deo Antiochia Romam trãslatam fuisse. Nos verò Romanum istum episcopum & in sua causa, & citra verbum Dei loquentem, & ius alienum parte nõ audita, & absq; præcedente iudicio, auctoritate propria sibi tribuentem audire non debemus. *Hic etiam mendacia tua, in quibus manifesto deprehensus es, academiæ tuæ patefacienda sunt; vt iudicio etiam eius conuincaris, non dico in eo, quod ais,*

Lutherani nullũ vnquam pontificẽ Rom. qui aliquid contra falsa dogmata Lutheri scriptum reliquerit, laudarunt.

Qualis fuerit Lutherus, & quam honorifice & reuerenter de eo loquantur Lutherani.

hunc

hunc esse nodum, quem hactenus pontificij nostri soluere nequierunt, hoc enim, vt mihi academia assensura sit, non possum præstare, cupio tamen, & confido etiam; sed in eo, quod fallaciter adiunxisti, me nihil aliud protulisse, quam illud Marcelli episcopi Romani ad Antiochenses, Cathedram Petri volente Deo Antiochia Romam fuisse translatã. Vt autem academia tua, & omnes Protestãtes intelligant, vtrum ita sit, an potius merum mendacium, cogor recitare, quæ in meo libro scripsi in pagina à te notata, ne excusare possis non legisse, quæ cum tu dissimulaueris omnia, & nihil funditus ad ea responderis, liquet, soluisse me nodum Illyrici, cui respondebam, & tuum in eo; & te solutum nodum non potuisse iterum connectere; & silentium, atq; dissimulationem callide elegisse. Deinde quia mendaciorum nodus quidam, & quasi vinculum est, non contentus vno, alterum coniunxisti, cum ais de eo, quod Marcellus pontifex in illa epistola scripsit, nos verò Romanum istum episcopum & in sua causa, & citra verbum Dei loquentem audire non debemus. Hoc autem falsum esse, scilicet citra verbum Dei loquutum esse, vt ab hoc posteriore te incipiamus conuincere, ex ipsa epistola perspici potest, siquidem qui dixit de Cathedra Petri Antiochensibus, quæ postea iubente Domino, Romam translata est, idem proximè dixerat eisdem, ab illo enim primò instructi estis, ideo non oportet vos proprium derelinquere patrem, & alios sequi; ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui ait dominus, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. en Antoni verbo Dei probauit beatus Marcellus, Petrum fuisse caput Ecclesiæ; cuius autem verbi auctoritate factus erat caput Ecclesiæ, eiusdem translulit cathedram, cui præerat, Antiochia Romam; & eiusdem verbi auctoritate posset hodie Episcopus Romanus Petri successor transferre, quocunq; vellet & commodum videretur. Igitur non sine verbo Dei dixit Marcellus, vt tu Antoni, fingis, cathedram Romanam iubente domino translatã fuisse Romam. Hoc tu verbum Dei, quod beatus Marcellus meminit, ad cathedram Petri pertinere, negare, & probare debebas, si poteras. Sed quia non potuisti, confugisti ad commentum familiare.

Antonius in mẽdacijs manifestis deprehẽsus.

Quomodo nodus, quẽ Antonius dicit nunquam põtificios solnere potuisse, solutus sit, & Antoniũ solutionem dissimulasse.

Quomodo nõ sine verbo Dei, vt Antonius finxit, loquutus sit Marcellus martyr de translatiõe cathedræ Petri Romã.

Duo perfugia Antonio familiaria cum probare non potest, quod vellet; mẽtiri scilicet, aut dissimulare.

are. finxisti enim, sine verbo Dei loquutum esse de translatione cathedræ Antiochia Romam. atqui præstitisset altero perfugio tibi etiam familiari uti, silentio scilicet, & dissimulatione. Minus enim turpe est, & malum, tacere veritatem, cum confitenda est, quam mentiri. Repetamus iam, quæ in illa pagina 88. à te notata Illyrico respondi, istum tuum nodum obijcienti, vt manifestum fiat, falsum esse quod dixisti, nequiuisse omnes pontificios hactenus illum nodum soluere, & verissimum esse, nescisse te expeditum nodum religare; nihilq; respondisse, quia quid responderes, non reperisti. Sic igitur aiebat Illyricus, quem nescio an in omnibus sequaris.

Quomodo demonstretur expeditum esse nodum quem Antonius expediri posse negat, & eum non potuisse religare nodum.

sunt enim inter confessionistas multæ sectarum dissensiones. Memorabile verò prorsus est, quòd ipsum nomen cathedræ Petri, quam iactant, eos redarguat. Celebrant enim omnes Papistæ & ipse Papa festum S. Petri plane solemniter: quod festum omnia ipsorum martyrologia, & explicationes rituum testantur esse de Antiochiæ collocata cathedra, non Romæ; testantur ergo, ac protestantur contra seipsos, quod Petrus non ipsorum, sed Antiochenorum fuerit episcopus. Demum nostro tempore Paulus III. (quartum dicturus erat) animaduertens hoc vestigium veritatis contra ipsos nimium clare testimonium dicere, proprium festum pro cathedra Romana excogitauit. Hæc Illyricus; vtrum plena nugis & delira, iudicent, qui legunt. nos (inquit Illyricus) testamur, & protestamur, non fuisse Petrum Episcopum Romanorum, sed Antiochenorum, cum celebramus cathedram eius Antiochenam. At quomodo hoc testamur, & protestamur, qui semper secundum scripturam testati, & protestati sumus, Petrum fuisse, & esse in suo successore Ecclesiæ vnius Catholicæ per cunctum orbem diffusæ episcopum? quod si nos, vt Illyricus somniat non intelligens neque quod loquitur, neque de quo affirmat, Petrum episcopum fuisse Antiochenorum, & non Romanorum, contra nos ipsos testamur & protestamur, cum secundum antiqua martyrologia cathedram eius Antiochenam celebramus, ergo nunc, cum cathedram Petri Antiochenam, & Romanam celebramus, contra nos ipsos similiter testamur, & protestamur esse Antiochenorum, & Romanorum

Mendacium Illyrici.

tantum

tantum episcopum. De quo igitur cum istis contendimus? An dixit dominus Petro, tibi dabo claues regni cælorum Antiochiæ? aut Antiochiæ, & Romæ? aut dixit, quodcunque ligaueris, aut solueris super terram Antiochiæ, & Romæ, erit ligatum & solutum & in cælis? aut dixit, Pasce oues meas Antiochenas, & Romanas? aut confirma fratres tuos Antiochiæ, aut Antiochiæ, & Romæ? an verò sic omnino intelligendum est, vt ipsa vis verborum, sicut antea docuimus, declarat, quæcunque, & vbicunque erunt oues meæ, pasce: & quicunque, & vbicunque erunt fratres tui, confirma? quæ ergo ista Illyrici deliramenta, & somnia? Quis non intelligit, velle me hic probare verbo Dei, cum dixit dominus Petro, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum &c. et cum dixit, pasce oues meas; & illud, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, Petrum tuisse, & esse in successore suo Ecclesiæ vnius Catholicæ per cunctum orbem diffusæ Episcopum, quod totidem verbis explicatè in eodem loco libri mei dixi, & non solum episcopum Antiochiæ aut Romæ? quod si erat Petrus Episcopus vniuersæ Ecclesiæ, vt per scripturam probamus, quid refert habuisse cathedram Antiochiæ, an Romæ, nisi quantum attinet ad commoditatem consulendi Ecclesiæ, & ad vtilitatem eius, sicut domino visum est? si tibi Antoni non videbar affatim probare, quod volui, cur non refellebas, si poteras? si non poteras, vt te non potuisse, nihil respondendo satis testaris, & protestaris, cur non puduit dicere, me nihil protulisse aliud, quam illud ex Marcelli epistola ad Antiochenses, translatam esse volente Deo cathedram Petri Antiochia Romam? explicaui deinceps proximè sequenti pagina 89. rationem celebrationis cathedræ Antiochenæ, & postea Romanæ; recitabo, quæ scripsi ante annos paucos; sic enim aiebam, Celebratione cathedræ Antiochenæ facile contenta fuit Ecclesia, fortasse ne Petrus duas cathedras habuisse existimaretur, vna enim fuit prima, post quam secunda non est, cœpta quidem Antiochiæ, continuata verò Romæ, immò vt vna cathedra Antiochena & Romana esse demonstraretur, ac celebratio

Antonijin mentiendo impudētia.

Ratio celebrationis cathedræ Antiochenæ, & postea Romanæ.

cathedæ Romanæ & celebratione Antiochenæ comprehensa esse intelligeretur, lectiones ex sermone Patris Augustini accommodatissimi ad illam Antiochenam celebrationẽ Ecclesia adhibuit: sic enim est in quadam illius festi diei lectione: Recte igitur Ecclesiæ natalem sedis illius colunt, quam apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente domino, tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam. Petrum itaq; dominus nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, super quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit. Vnde conuenienter psalmus, qui lectus est, dicit, exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum; benedictus Deus, qui exaltari in Ecclesia hoc fundamentum præcepit, quia dignum est, vt in Ecclesia hoc honoretur, per quod in cælum ascenditur. Hactenus Augustinus: cuius tu testimonio Illyrice, & tu nunc Antoni cum Illyrico, cum quo tunc loquebar, non ascendetis in cælum, quia fundamentum hoc in Ecclesia non honoratis, & colitis, dum Petro, & successori eius adhærere, & obedire non vultis. Sane quidem reddere rationem celebrationis cathedræ Antiochenæ, antequam Romana cathedra suo festo die celebraretur, quod hic feci, ad expediendum illum nodum Illyrici, & tuum pertinebat, cur igitur, dicam iterũ, si tibi expeditio nodi non probabatur, nõ astringebas nodum? cur dissimulasti? cur nihil hic respondisti? Deinde adiunxi, cur verò nostro tẽpore celebratio Romanæ cathedræ instituta sit à Paulo quarto, quem Illyricus per errorem, vt antea dixi, tertium fecit, non fuit alia causa, nisi ad vtilitatem Ecclesiæ honorem principis apostolorum ad gloriam & laudem Dei augere velle, eo præsertim tempore, quo ab hæreticis cathedra Petri Romana, impia, & sacrilega rabie impugnatur: vt quo magis eam inclinare, & deprimere conantur, eò magis eam à Catholicis per vniuersum orbem celebrari videant, & eo item magis preces beati Petri & patrocinium solicitemus, quo magis Ecclesia aduersus hæreses, & infideles eis indiget, præsertim cum ipse idem princeps apostolorum hæc, cum iam mors instaret, promiserit. promisit, inquam, Petrus, daturum se operam, vt post obitum eius, quæ præcepit & monuit, memi-

Lectio beati Augustini in celebratione cathedræ Antiochenæ.

Quare nostro tempore celebratio Romanæ cathedræ instituta fuerit.

meminisse possemus. Quomodo autem daturus operam erat, qui iam erat certus de veloci depositione tabernaculi, id est, de morte, nisi post mortem preces Deo pro Ecclesia adhibendo? Sic enim magnus etiam Leo intellexit, & interpretatus est in sermone 3. de die anniuersario assumptionis suæ ad Pontificatum, cũ inquit, dictum est, & tu conuersus confirma fratres tuos, quod nunc quoque proculdubio facit, & mandatum domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbique prætendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis suæ toro eadem, qua præsedit carne, requiescit? hæc quoq; ratio celebrationis cathedræ Romanæ à me explicata ad soluendum illum nodum Illyrici, & tuum faciebat, cur ergo non refutasti, si tibi non probabatur? sed premebat adhuc Illyricus, quod de celebratione cathedræ Romanæ nostro tempore instituta obiecit; Si cathedra enim, inquit, Antiochena Romam translata fuisset, solemnius istud festum Romanæ cathedræ, quam Antiochenæ fuisset; quin potius, inquit, illius Antiochenæ nullum esset. Respondi ego, an ignorat Illyricus, solere esse primitias honorabiliores, & dies natalitios cæteris iucundiores? Natalem n. sedis beati Petri paulo ante Antiochenam cathedram vocabat Aug. quæ ab Ecclesijs, ait, celebatur; magna igitur ratione, & diuino consilio factum fuit, vt primordia, atq; initia cathedræ Petri Antiochenæ celebrarentur.

" " " "

Quare celebrior fuit & antiquior celebratio cathedræ Antiochenæ.

Ad hæc tu, quia respondere non potuisti, & nodum Illyrici, & tuum enodatum, & expeditum esse conscientia coarguente conuictus videbas, alio nodo à te inuento nodum reficere voluisti.

CAPVT XXI.

De succesione apostolorum, quomodo testimonio scripturæ sanctæ probetur, & falsum sit, quod ait Antonius repugnare naturam apostolici muneris succesioni episcoporum in locum apostolorum, ac proinde repugnare apostolico ministerio cathedram Petri fuisse Romæ collocatam. et de prædicatione Petri Romæ, quæ instar orbis terræ erat. & de eo, quod ait Antonius, quod à nobis verbo affirmatur, verbo negandum esse. De sedibus patriarcharum, & de eo, quod finxit Antonius sedem Antiochenam ex loco suo deturbatam fuisse. & quomodo Antonius iste in sola Germania Ecclesiam relinquit tanquam nouus Donatista, & quomodo verbis suis confitetur non fuisse in Germania Ecclesiam ante Lutherum.

IMmo commentum illud, *inquis*, vel de collocata, vel de trãslata Petri cathedra aperte repugnat ministerio apostolico, cuius hoc proprium est, vt ante dixi, non huic, vel illi ciuitati alligari, sed diffundi per vniuersum terrarum orbem, ita præcipiente domino, profecti docete oẽs gentes, quibus verbis Christus ipse Petri, adeoq; omnium apostolorum cathedram nõ Antiochiæ, neq; Romæ, sed in omnium gentium oculis atq; auribus collocauit. quamobrem Romanę sedis primatum ipsorum Romanorum pontificum testimonio probare velle, nugari potius est, quam verè disputare. atq; vt id verbo affirmatur, ita etiam verbo negandum est; sunt enim eiusmodi commenta sola negatione iugulanda. *Ista ministerij apostolici repugnantia, quã excogitasti ad negandũ cathedram Petri siue Antiochenã, siue Romanam, ita vana, & commentitia est, & à sensu communi aliena, vt Illyricus longe te ingeniosior, & magis perspicax, nunquam eam obiecerit, nec obijciendam esse putauerit. metuebat enim homo callidus, ne à suis etiam rideretur, si obijceret. Tu verò minus callidus, & aliquanto impudentior, & audacior, non dubitasti obijcere. Itaq; vis nullos esse apostolorum successores, ac proinde neminem Petro in cathedra eius succedere, quia*

Quomodo Antonius Sadeel minus callidus quã Illyricus sit, & impudẽtior atq; audacior.

quia nõ sint iam vlli, ad quos illud pertineat, quod dominus apostolis præcepit, dicens, euntes docete omnes gentes. Cum hoc ipsum, quod nunc repetis, cap. xv. refellerem, dixi, & iterum dicendum est, mirari me, esse te tam obtusum, vt non distingueres tempus apostolorum à tempore apostolos consecuto; & Ecclesias, cum ab apostolis constituebantur, ab Ecclesijs constitutis, sed alterum cum altero confunderes. Quis nescit missos fuisse Apostolos conuenienter suo nomini, (vocabulum enim apostoli missum significat) ad constituendas, & ædificandas Ecclesias? postquam autem constitutæ erant, illi ipsi apostoli Ecclesijs constitutis episcopos præficiebant, quos suos successores reliquerunt. Hoc autem quanquam non erat opus, testimonio tamen apostolicæ doctrinæ à Clemente Rom. scriptæ libro VII. *cap.* 45. *probaui, postquam enim Clemens in persona apostolorum enumerauit episcopos, quos, dum viuerent, ordinauerunt, & eis Ecclesias commisserunt, subiungit, hi sunt, quos paræcijs in domino præfecimus, quorum doctrinæ semper memores, seruate sermones nostros; & sit dominus vobiscũ nunc & in infinita sæcula; vt ipse nobis dixit, cum esset ad Deum suum, eundemque patrem ascensurus, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, amen. interpretatus est hic Clemens in persona apostolorum, qua ratione sit Christus in hac vita cum apostolis vsq; ad consummationem sæculi, sicuti promisit ascensurus in cælum, nempe ratione successionis episcoporum, quos apostoli in vita sua ordinarunt, quibus doctrinam suam tradiderunt; & illi item alios ordinarunt vsq; ad hunc diem; in quibus tanquam successoribus censentur esse illi primi ordinatores ac magistri sancti apostoli. Auctoritate igitur euangelici loci, doctrina apostolorum interprete, probamus manere Christum in hac vita cũ sanctis apostolis vsq; ad consummationem sæculi in successoribus scilicet eorum. Non. n. potest vllus manere cum alio post mortem eiusdem, nisi manẽdo cum alio, qui in locũ illius successerit; vnum enim sunt, vt supra, c.* XII. *auctore etiã principe Philosophorum Arist. Accedit præterea ad hoc testimonium auctoritas apostolicæ traditionis, quæ vbiq; terrarũ testis est, episcopos singularũ ciuitatũ successores dici, & esse apostolorũ.*

Quàm obtusus sit Antonius neq; tẽpora, neq; causas distinguens.

Interpretatio apostolicæ doctrinę, quomodo sit nũc Christus cũ apostolis suis in Ecclesia vsque ad consummationẽ sæculi sicut promisit.

Quomodo episcopi sint successores apostolorũ secundum scripturam.

Deinde

Deinde cum apostolus ait in epist. ad Ephes. & ipse dedit quosdam quidem apostolos, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationẽ sanctorum, in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, finem Hierarchiæ Ecclesiasticæ expressit; quem consummationem sanctorum vocat, ad quam refertur ipsum ministerium multiplex apostolorum, prophetarum, Euangelistarum, pastorum, & doctorum pro ratione vniuscuiusq; at si finis est, & quæ ad finem referuntur, sint, necesse est; est autem finis in Ecclesia καταρτισμὸς τῶν ἁγίων, *id est, consũmatio sanctorũ; consummatio enim, siue perfectio siue integratio, siue refectio, quæ* καταρτισμὸς *dicitur, non adhibetur, nisi cui aliquid deest; in supera autem & cœlesti Ecclesia nihil deest vlli, nec ibi fit huiusmodi consummatio sanctorũ, quam apostolus* καταρτισμὸν *appellat. sunt igitur in Ecclesia nunc, quos Deus propter hunc finem posuit in Ecclesia; aut si non sunt; neq; hic finis est, quod fieri non potest. quare cum apostoli, quos Deus primum posuit in Ecclesia, morte prohiberentur permanere, sicut apostolus de sacerdotibus Leuiticis dixit, necesse est, successores eorum remanserint; hi autem sunt primi episcopi prouinciarum, qui archiepiscopi metropolitani vocantur, canon apostolicus vocat primos, qui iubet, vt episcopi prouinciales singularum gentium primum, prouinciæ suæ agnoscant. Prophetis autem, id est, episcopis, quos Deus in Ecclesia posuit, secundo, vt idem Apost. in priore ad Corinth. scripsit, episcopi succedunt. etsi enim omnes episcopi sunt successores apostolorum, illi prᵒ succedunt, qui sunt maiores episcopi, maioresq; prophetæ; post eos proximi successores sunt reliqui episcopi, qui sunt minores episcopi, & minores prophetæ; episcopos enim vocat Apostolica doctrina libro 1. Clementis Rom. prophetas populorum. sic etiam vocat Lucas in actis Apost. c. 13. cum ait de prophetis, qui erant Antiochiæ, imposuisse manus Paulo & Barnabæ, vt in libris de hierarchicis ordinationibus docui. Itaq; vtriq; horum tum maiores, tum minores locum apostolorum supplent, sed illi primum, hi secundo. Euangelistarum verò locum supplent diaconi, qui euangelium in Ecclesia recitant; pastores sunt parochi, doctores sunt presby-*

De ordine eorum, qui Apostolis succedunt, qui maiores & qui minores episcopi, qui propius, & qui minus prope succedunt.

De successoribus euãgelistarum, pastorum, & doctorum, quos dominus in Ecclesia posuit.

presbyteri, qui verbum Dei docent. Ipsi enim sunt adiutores episcopi, vt in eorum ordinatione episcopus præfatur. Redeo ad episcopos successores apostolorum siue maiores, siue minores, quorum ministerium, quod ad consummationem sanctorum in Ecclesia tanquam ad finem refertur, cum in potestate clauium, quæ data est apostolis, versetur, merito apostolicum nominatur & est, cui quidem non repugnare, vt tu insipienter putas & dicis, huic, aut illi ciuitati alligari, ex eo nos probamus, quòd ratio eorum, quæ referuntur ad finem, ex fine sumenda est, vt philosophus tuus tradit: καταρτισμὸς *autem, id est, consummatio sanctorum, vbi est magna multitudo eorum, qui consummandi sunt, ibi vt fixum sit ministerium, quod ad ipsam consummationem tanquam ad finem suum pertinet, necessario postulat. Non est igitur proprium ministerij apostolici diffundi per vniuersum orbem, vt tu nõ intelligens, quid diceres, dixisti. Quod enim proprium est alicuius, naturam eius consequitur, & aliter se habere non potest salua natura eius cuius est proprium. Idem dicendum est de illo mandato domini, quod apostolis dedit, cum eis dixit, euntes docete omnes gentes, cuius erat idem finis, qui fuit dandi ipsos apostolos, scilicet consummatio sanctorum, quæ consistit in salute animarum, quæ est nunc finis fidei nostræ, sicut beatus Petrus ait, in altero enim sæculo finis fidei est beatitudo. Ratio igitur huius mandati ex fine pendebat; quare cum consummatio sanctorũ, id est, salus animarum postulabat, vt Petrus per Iudæam, & inde per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Asiam, Cappadociam doceret, illic docebat; cum postulabat, vt Antiochiæ doceret, ibi docebat; cum Romæ item, ibi. An rationem huius mandati accommodare ad finem eius dices tu Apostolico ministerio repugnasse? Immò rationi naturali, & diuinæ repugnasset non accommodare. Si te rogẽ Antoni, quare Paulus apostolus cũ Barnaba conuersatus est Antiochiæ annum totum, nisi vt docerent turbam multam, sicut Lucas in actis Apost. c. xi. narrat? quare Romæ biennio toto mansit in conducto, nisi vt prædicaret regnum Dei, vt idem scribit? & quia hæc faciebat sine prohibitione, vt idem Lucas testatur? an ministerium apostolicum ad-*

Quomodo falsum sit & scripturæ repugnet, quod ait Antonius repugnare ministerio Apostolico alligari episcopũ huic, aut illi ciuitati.

Quomodo apostolicũ ministeriũ ad consummationem sanctorum tanquã ad finem suum accommodari & referri debet.

ulterabat, quia nõ proficiscebatur toto illo biẽnio ad docendum oẽs gentes? quid? si reliquo tempore vsq; ad mortem, & martyrium suum ibi moratus esset docens, vt Lucas ait, quæ sunt de regno Iesu Christi cũ omni fiducia, sicut illo biennio fecit, an repugnasset hoc apostolico ministerio? minime; non magis, quã illo biennio repugnauit; si eadẽ causa, & ratio ibidem manendi, & morandi vsq; ad extremum vitæ fuisset. Veniamus ad Petrum: scribit Eusebius Cæsar. in annalibus suis, fundasse Ecclesiã Antiochenam, (quod Petri & Pauli prædicatione factum est) & ibi annis vii. mansisse. Nunquid illa septennij mora in vna ciuitate apostolico ministerio repugnauit? quis hoc dicat? præsertim si consideret, cũ beatus Petrus ibi euangeliũ doceret, fuisse δῆμον εἰς ἀκοσιν ἐκτεινόμενον μυριάδας, id est, fuisse ducenta milia ciuium, vt beatus Chrysostomus patria Antiochenus in homilia de Laudibus Ignatij tertij episcopi Antiocheni scribit. Postea visũ est domino, qui hoc inspirauit, vt veniret Romam princeps & caput Apostolorum ad principem & caput totius orbis ciuitatum, in qua omnes mundi nationes, & linguæ erant, multo magis quam Hierosolymis, vbi tot gentes, & nationes, & tot earũ linguæ erant, quot Lucas Euangelista in die Pentecostes fuisse narrat. Romæ igitur cũ docebat Petrus, oẽs gentes docebat. Præsertim cum inde iura & leges iustæ in vniuersum orbẽ manarent, quod nutu Dei factum esse ait B. Cyrillus lib. vii. contra Iulianũ apostatam; vt omnis regio, inquit, & ciuitas, & vna cum alijs ij, qui in sacris regni solijs honorati sunt, Deum ipsum adorẽt, id, quod tandem factũ re ipsa videre licet. Hoc dicit Cyrillus propter magnum Constantinum, & alios post eum Christianos, & pios imperatores. Ob hanc causam Paulus apostolus Romanos reprehẽdit, quod cum alios iuste iudicarent, & in eis iudicandis rectum à prauo discernerent, ipsi tamen iniusti, & iniqui essent. Propter quod, inquit, inexcusabilis es ô homo omnis, qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas. Vbi igitur magis decebat docere principem apostolorum, & Ecclesiæ Catholicæ caput, licet impij hæretici, quos Lutherus apostata filius diaboli peperit, negant, quàm in ciuitate ciuiũ innumerabi-

De prædicatione Petri Antiochiæ annis vii.

De aduentu Petri Romã tãquam ad caput orbis.

Quomodo cum Petrus Romę docebat, omnes gentes docebat.

Quare Romæ potius quam vspiã alias Petrũ docere decuisset.

merabilium, & cuncti orbis domina, vbi, vt paulo ante dixi, omnes mundi nationes, gentes, & linguæ erant? aut vbi magis finis Euangelicæ prædicationis, qui erat solus Iudæorũ, & gentiũ, requirebat vt Petrus magister cũcti orbis doceret, quã vbi posset dicere illud ex sapientia Salamonis, diligite iustitiã, qui iudicatis terrã? deniq; si Chrysostomus in ea homilia, quã paulo ante dixi, dicit de sancto Petro collocasse Ignatium episcopum Antiochiæ, quæ erat, inquit, τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἀντίρροπον, id est, instar cuncti orbis, quanto magis nobis, qui in Deũ pij sumus, credendũ est, quod successor Petri, idemq; martyr Marcell⁹ affirmat, licet tu liuore, & hæresi excæcatus perneges, Petrũ iussu Dei cathedrã collocasse in ciuitate Iudæorum & gentiũ domina, & vniuersæ terræ iudice, quæ erat multo magis quã Antiochia ἀντίρροπον ἁπάσης οἰκουμένης. Si enim erat cũcti orbis instar Roma multo magis, quã Antiochia, profecto collocasse Romæ cathedram beatum Petrũ, id ipsum erat, quod tu requiris, scilicet in omniũ gentium oculis & auribus eam collocasse. tuis enim verbis te conuincimus. Satis, vt opinor, conuulsum est, quod ad cõcludendum, nullũ esse Romanorum pontificium primatũ, sumpsisti, repugnare scilicet apostolico ministerio collocatã fuisse cathedrã Petri Romæ. Sed videamus quod ad conclusionẽ adiunxisti, quo te iugulasti, cũ me iugulare putasti. Sic.n. ais; Quamobrem Romanæ sedis primatũ ipsorum Romanorũ pontificũ testimonio probare velle, nugari potius est, q̃ verè disputare. Atq; vt id verbo affirmatur; ita etiã verbo negandũ est. Sunt.n. eiusmodi cõmenta sola negatione iugulanda. *Hic quoq; vis decipere eos, qui te audiũt, & legũt, quasi nos testimonio pontificũ Romanorum ad probandũ primatum eorũ indigeam⁹. Indigeremus.n. si aliorũ testimonia tã multa, tã grauia, tam antiqua non suppeterent. Infirma tu, si potes tuis testib. testimonia nostrorũ testium Irenæi, Tertulliani, Chrysostomi, Augustini, & aliorũ, ne oẽs enumerem, quibus contra Magdeburgenses, & contra Andream Freyhubium, & te vsi sumus. In translatione solum cathedræ Antiochenæ Romã iussu domini, testimonio Marcelli pont. & martyris vsus sum. dic tu, vbi alias testimonio pontificum*

Quomodo quod Antonius requirebat, vt cathedra Petri in omnium oculis & auribus collocata esset, hoc factum esse demõstratur, cum Romæ collocata est.

Antonij mendacium impudētissimū, nos testimonijs pontificum primatū eorum probare, & nō auctoritate scripturæ S. & aliorum patrū, & conciliorum testimonijs.

Quomodo perinde facit Antonius, vt si cōtendat satis esse dicere tantum, & non brobare.

Antonius Sadeel sola negatione putat refellendos esse aduersarij testes.

Antonius Sadeel patronus Protestantium in ijs, ad quæ respondere nō potest, sola negatione vtendū esse dicit.

Quomodo Antonius similem se stipiti faciat, nihil respondendo vt d qui buscam dicit Arist.

primatum eorum probauimus & non alijs testibus nō pontificibus, & alijs argumentis, & scripturæ sanctæ auctoritate? aut si demōstrare hoc non potes, cur tam impudenti mendacio tuos decipis? sed demus interim tibi, nos testimonio pontificum Romanorum primatum eorum probasse, an non oportebat te illud aut grauioribus testimonijs, aut rationibus veris, & certis argumentis refellere? Hoc autem cum non solum nōn feceris, sed neq; faciendum esse aliter affirmes, quid aliud est, quam dicere, ego primatum Pontificis Romani nego; cur autem negem, non habeo, neque probo, quia probare non possum. Quis enim vnquam dixit, quod verbo dicitur, verbo negandum esse? & eiusmodi commenta sola negatione iugulanda? quid aliud est hoc, quam contendere, satis esse dicere, & non probare? quod Parmenianus faciebat, cui hoc obijcit Aug. in qua officina dialectices didicisti sola negatione commenta iugulare? Quis vnquam rabula tam imperitus, & impudens in foro vllo versatus est, qui sola negatione testes accusatoris refellēdos esse putaret? Quare, quod ego tot argumentis, & testimonijs scripturæ sanctæ, & conciliorum, atq; apostolicæ traditionis auctoritate de primatu Episcopi Romani probo, sola tu negatione iugulandū esse dicis? quid hoc impudentius, aut magis stultè dici potuit? aut quod magis te apud bonos, & æquos iudices cōuinceret? si sola negatione vtendum tibi est, quid igitur hactenus cauillando laborasti, quomodo, etsi nihil respōdes, respōdere tamē videreris, nec te tui, si taceres, victū esse existimarēt? rursus, si sola negatione iugulandū est, quod dicimus, vt tua bella translatione te digna vtar, non est quod tecum de primatu pontificis disputemus, quia in hac disputatione similem te stipiti facere vis nihil respondendo, si quis te percontando redarguere velit. Cum eo autem, qui talem se facit, ridiculum est velle dissererec. Hoc dixit tuus Arist. libro 4. primæ Philosophiæ, Quod si nihil dicat, inquit, ridiculum est contra eum rationem quærere, qui nullius rationem habet, ὅμοιος γὰρ φυτῷ τοιοῦτος ἢ τοιοῦτος, id est, similis enim est stirpi, qui eiusmodi est, quatenus talis est. Vide qualis ex hac disputatione euaseris similis stipiti, qui nihil tibi dicendum reliquisti, nisi, nego. Quia aliud, quod dicas,

non

non habere te, hoc ipso, quod dicis, confiteris. Qui negationem tuã omni ratione carere fateris, cũ sola negatione vtendum tibi esse dicis, hoc scilicet in officina Arist. didicisti. Quid dici poterat magis falsum, & à cõmuni sensu magis abhorrens, quàm idem esse, & non esse, aut illud, omnia esse vnum, & tamen Aristoteles tuus non putauit sola negatione iugulanda esse, qui tam multis, tam varijs, & tam acutis argumentis in Physicis & Metaphysicis vtrumq; confutat, & redarguit. Sed pergamus vlterius, & properemus ad finem. Sed tamen, *inquis*, ex his vestris nugis Turriane, ego aliquid serium colligo, cum ius diuinum sit immutabile, vestrarum autem sedium ordo sit mutabilis, eum iuris diuini non esse. Nam prima sedes fuit primum Antiochiæ, deinde Romæ, vt vos quidem contenditis. Secũda vero sedes aliquãdo Alexandriæ, deinde postea Constantinopoli collocata, atque idẽ dici potest de quibusdam alijs, vt patet ex can. Renouantes dist. 22. datur, inquit, intelligi, quod Alexandrina Ecclesia de secunda facta sit tertia, & Antiochena de tertia facta sit quarta, nisi forte quis duas contendat esse secundas. Hæc ille: egregiam profecto decisionem, & dignam, quæ in pontificia decreta referretur. At enim, quid misera illa Antiochena commisit, quare ex primo loco deturbata, nunc in tertium, nunc in quartũ tam indigne reiecta fuerit? Quis non videt varios illos vestrarum sedium gradus nõ alijs, quam ambitionis humanæ columnis fuisse suffultos? *Excutiamus nos breui hoc serium, quod tu ex nugis nostris, quas tu nugator maximus, & totus mendax dicis, colligis. quod nõ serium, sed ludicrum esse, mox apparebit: nã prima, inquis, sedes fuit Antiochiæ, deinde Romæ, vt nos cõtendimus. Ita est, prima sedes beati Petri primum fuit Antiochiæ, deinde eadẽ prima sedes Petri fuit Romæ, & ab hoc primo gradu, & primatu nunquã excidit, sed adhuc viuit in suis successoribus per vicariam eorũ ordinationem. Secunda sedes fuit semper Alexandriæ propter honorem S. Petri, qui Marcum discipulum suum, & ex baptismo filiũ Alexandriam misit, & illic cũ collocauit: quæ consuetudo ab apostolis*

De sedibus patriarcharum, & earum ordine.

relicta est, siquidem iam tunc prisca erat, eũ Synodus Nicena habita est, vt ipsa Synodus testatur; quæ consuetudinem priscã primatus illius in prouincijs Ægypti, Libyæ, & Pentapolis, seruare iubet. Canon autem à Grat. dis. 22. relatus c. Renouantes, canon apocryphus est, furtim sancitus, nõ à sexta Synodo, quæ contra Monothelitas habita est, & canones, quia nõ opus erat, non edidit, sed ab alijs patribus, qui annis post sextam Synodum xxiiii. in Trullo congregati can. centum composuerunt, qui falso sextæ Synodo attribuũtur, tametsi iã approbati sint; ijs exceptis, qui ab Ecclesiasticis decretis discrepant. Apocryphus etiã est ille canõ 3. Syn. Const. & xxviii. canon Synodi Chalcedon. quos canõ iste patrũ in Trullo sextæ Synodo attribuit, renouare se dicit c. 36. Scripsi de his copiose cum actæ sextæ, & septimæ Synodi contra Albertũ Pygiũ Campensem ante annos xx. defenderẽ, probaui hæc quæ hic cursim attigi, testimonijs veterum, & alijs manifestis argumentis, non repetã hic, quia quod huc attulisti de sedibus istis, extra causam est, & tu extra chorũ saltas. Si ea scire volueris, indicaui librũ, lege si libet, etsi alia sunt magis necessaria, quæ nescis, & quæ ignorare magis tibi periculosum est. Semper itaq; habita est secunda sedes Alexandrina, semper tertia Antiochena. Ridiculaq; est illa tua cõmiseratio, plena dolo, & fallacia, cum ais, Quid misera illa Antiochena cõmisit, quare ex primo loco deturbata nũc in tertiũ, nunc in quartum tã indigne reiecta fuerit. Sedes Antiochena Petri nunquã ex primo loco deturbata fuit, sed Romã translata, vt antea audisti, quod aũt aliò transfertur, & quidem cum maiore dignitate, & commodo, quis vnquã, qui loqui sciret, deturbari dixit? sed fallere voluisti non distinguens sedem Antiochenã Petri à sede Antiochena episcoporũ, qui successerunt Antiochiæ non Petro, sed illis episcopis, quos illic constituit Petrus; Euodiũ dico, & postea Ignatium, sedes Antiochena horũ ex tertio loco in quartum reiecta fuit furtim, id est, can. apocrypho clanculum composito in Synodo Chalcedonensi absentibus legatis pontificis Rom. qui Synodo Chalcedonẽsi sexcentorũ episcoporum præerant, vt ex actione extrema eiusdem Synodi perspici potest. Idem fabricatum est in illo 3. can. Synodi Constan-

Canon dis. 22. c. Renouantes, apocryphus.

Canon 3. Synodi Const. & canon Synodi Chalcedon. 28. item apocryphi, & & furtiui, siue suppositi.

Quæ extra causam Antonius attulerit extra chorum saltans

Cõmiseratio Antonij plena dolo, & fallacia.

Sedes Antiochena ex tertio loco in quartum in Synodo Chalcedonẽsi, furtim canone apocrypho reiecta.

Constantinopolitanæ. De Gratiano, quẽ tu hic rides, risu potius immò fletu dignus, non est mirandũ, si hunc canonem 36. Synodi in Trullo, & canonẽ Synodi Constant, & aliũ Synodi Chalced. in eo citatos, & renouatos nõ tanquã apocryphos notauit. Multa vir ille & doctus & pius magno labore & studio inuenit, legit, & in vnũ volumen congessit, quæ nos ita legimus, vt ille à nobis legi voluit, vt apostoli ad Thessalon. sententia antecedat, omnia probate, & quod bonũ est, tenete. Nos labore, & industria illius cũ grata memoria ad vtilitatẽ nostram, & Ecclesiæ adhibito iudicio fruimur. Redeo ad illud seriũ tuum, nobis verò perridiculũ, quod ex nugis, non nostris sed tuis collegisti. Cum ius diuinũ, inquis, sit immutabile, vestrarũ aũt sediũ ordo sit mutabilis, colligo eũ Iuris diuini non esse. Vbi probasti, primatũ sedis Petri mutatũ esse? fuit ne mutatus, quando cathedra Petri Antiochena translata est Romã, & facta Romana? est ne de loco vel Antiochiæ, vel Romæ in Euãgelio? quæ nugæ sunt istæ tuæ? an vocat illud ius diuinũ primatus Petri, cui soli Christus dixit, tu es Petrus & super hãc petram ædificabo Ecclesiã meam, quia Petrus cathedrã ex vrbe Antiochia ad vrbẽ Romam Iudæorum & gentium dominã, quæ instar orbis terrarum erat, Dei nutu, & voluntate transtulit? si Constantinopolitani volebant per ambitionẽ, & clam sedẽ Episcopi Romani æquare sedi Constan. & Alexandriam loco suo mouere, & itẽ Antiochenã, potuit hoc vitio diuinum ius lædi? si non potuit, quorsum illud tuum seriũ nugatorium? Quis non videt, inquis, varios illos vestrarum sediũ gradus nõ alijs, q̃ ambitionis humanæ columnis fuisse suffultos? Synodus Nicena, vt paulo ante dixi, testatur priscã iam tunc fuisse cõsuetudinẽ τῶν πρεσβείων Ecclesiæ Alex. quæ si iã prisca erat, nõ poterat esse aliunde profecta, quã ex traditione apost. qui secundo loco post sedẽ Petri sedem Alexandrinam honorare voluerũt. Dixi causam, similiter dicendũ est de prisca consuetudine τῶν πρεσβείων Ecclesiæ Antioh. 3 loco post sedẽ episcopi Rom. In traditione igitur apost. nituntur illi gradus Alex. & Antioh. sedis, & non sunt columnis ambitionis, vt tu ais, suffulti. Videamus tandẽ conclusionem ex meris nugis tuis inductã.

De Gratiano & studio, atq; labore eius, & quomodo legendus.

Quomodo gradus Ecclesiæ Alex. & Antiochenæ in apostolica traditione nituntur.

Restat

„ Restat igitur, *inquis*, vt Romanus principatus non sit di-
„ uini Iuris, sed positiui, aut nullius potius; cum in tanta in-
„ iuria nullum ius vel quæri debeat, vel possit vnquã inue-
„ niri. *Semper oratio tua Antoni vacillat. Ipsa inconstantia te coarguit. Si Romanus principatus non est diuini. Iuris, sed positiui, id est humani, sic .n. accipis nunc positiuum, vbi est istud ius humanum? cur nunquã tabulas istius iuris humani protulisti? deinde, si est iuris positiui, quomodo adiungis, aut nullius potius? si enim nullius potius, igitur propinquius veritati est, nullius iuris esse principatum Romanum, quã esse alicuius, id est, iuris positiui. Quod aũt propinquius vero est, magis est verum; & quod magis verum, ipsum est verum, sicut quod propinquius est, ipsum propinquum esse dicitur; opinaris igitur rem Romani principatus esse alicuius Iuris, id est, positiui, & nullius: sed ne videare Protagoras quispiã, ex cuius sententia sequebatur æquè rem quamlibet esse & nõ esse, tu magis veram esse alterã partẽ contradictionis affirmas, quod est, vt Arist. ait, hominis aliquid iam definientis. sed rursus, si iuris positiui est Romanus principatus, quomodo, quod nunc ais, statim negas? dicis enim vel potius nullius iuris, cum in tanta iniuria nullum ius inueniri possit. Si nullũ ius reperiri in eo potest, quomodo dixisti, Restat igitur vt principatus Romanus non sit iuris diuini, sed humani? hoc nimirum est illud serium, quod te ex nugis nostris colligere dixisti. Immo ex tuis potius deliramentis, & insania mera collegisti, vt tanquã alter Heraclitus rẽ esse & nõ esse dicas, etsi nõ opinaris. Non enim tam amentem te esse iudico. Sed vt lubricus es dicis, quod non sentis, vt sic tibi vtcunque cauillando elabi videaris. Postremo, sic tractationem loci huius scilicet de primatu Petri concludis,* Sit iam igitur huius loci finis, & concludamus hæc verba Christi fuisse perperam detorta ad primatum Romanum confirmandum, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Nouus noster dialecticus concludit nihil sumendo, vnde efficiat, quod se dibit concludere. amabo, quos testes veteres produxisti, esse ita, vt dicis? quas scripturas? quam traditionem? quos interpretes illius loci? quas ratio-*

Oratio ipsa Antonij sẽp vacillãs & inconstans eũ coarguit.

Quomodo Antonius opinatur principatũ episcopi Romani esse alicuius iuris id est, humani, & nullius, sed ne alter Protagoras videatur, alteram partẽ contradictionis magis verã dicit.

Quomodo Antonius tanquã alter Heraclitus esse & non esse dicat, licet nõ opinetur.

Quomodo Antonius nouus dialecticus nihil sumẽdo concludat.

rationes, quæ argumenta? nihil horũ habes. nihil enim hactenus protulisti neq; proferre vnquam poteris. Nos verò sic concludamus, hæc verba Christi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, fuisse semper ad primatum Petri declarandum relata: testes antiquos citaui, qui sic interpretati sunt, vt ad Petrum proprie pertineant, cui soli dicta sunt. Probaui ex contextu ipsorum verborum, non posse aliter intelligi, & te nescire græce, si negares: omnes tuas cauillationes redargui, & esse dolo, insciti a, & repugnantia plenas demonstraui; licet tu neges, qui sola negatione iugulare didicisti, vt tua metaphora vtar. Sequitur deinde epilogus mendaciorum tuorum, quæ vtrum à me satis confutata sint, & veritas patefacta, & vtrum aliquid ad respondendum Antonio Sadeeli relictum sit, viderit academia eius, cuius alumnus, & discipulus est: Iudicet ipsa, quam bene meritus sit de Protestantibus iste Antonius, qui Protestantium Ecclesiam Donatistarum Ecclesiam facit, cum Ecclesiam per cunctum orbem diffusam periisse concludit, excepta Ecclesia Germanica Protestantium. hæc enim est vestri Antonij extrema conclusio: Nostra igitur Ecclesia vera est Ecclesia, ab ipso Christo per verum euangelij ministerium ædificata; & ex ratione consequentis, cum Ecclesia Romana non iam super petram quam confessus est Petrus, sed super humana commenta, cuiusmodi est pontificis primatus, fundata sit, non est vera Christi Ecclesia ab ipso Christo ædificata. *Amisit igitur Christus hæreditatem, quam dedit ei pater, qui filio suo dixit per prophetam suum, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Succurrat Antonius, vt hæreditas reddatur filio Dei; ne æterna eius hæreditas inter caducas hæreditates referatur. Vniuersa enim Ecclesia per cunctum orbem diffusa, quæ vnam sanctam Ecclesiam catholicam in Symbolo, quod canit, confitetur, Ecclesiam confitetur ædificatam esse à Christo super Petrum, qui fuit origo vnitatis eius, & à quo cœpit ordo sacerdotalis, quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia datus est, cui soli dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam me-*

Quomodo Antonius Ecclesiam Protestantium faciat Ecclesiam Donatistarum.

Extrema cõclusio Antonij, amisisse Christũ hæreditatem, quam dedit illi pater cælestis, si Ecclesia Romana nõ est super Petrũ ædificata.

Quomodo Antonius Christũ spoliat, vt Protestãtes suos spolio Christi ditet.

Quomodo necesse est Antonio, si vnã Ecclesiam Catholicam confitetur, & vnũ sacerdotiũ, dare vnum à quo vnitas Ecclesiæ & sacerdotalis ordinis incipiat.

Quomodo Antonius verbis suis confitetur ante Lutherũ nõ fuisse Ecclesiam Protestantium.

Quomodo sequatur ex verbis, & sententia Antonij nullã Ecclesiam ante Lutherum in mũdo fuisse.

am meam &c. tolle Petrum originem vnitatis Ecclesiæ, & Ecclesiam sustulisti. Hoc facit vester Antonius, gratulamini ei, quod Christum spoliauit, vt Protestantes spolio Christi ditaret; Ecclesiam enim Catholicam negat, vt Ecclesiam in Germania defendat: tolle, vnde cœpit ordo sacerdotalis; & sacerdotium sublatum est. Aut dicat Antonius, si Ecclesiam vnam & vnum sacerdotium confitetur, à quo vno origo vnitatis Ecclesiæ, & sacerdotij cœpit? à pluribus. n. non potest, nec ab vno Christo, quia non fuit sacerdos καθ' ἡμᾶς, id est, nostri ordinis. Deinde vester Antonius, vt gratulationem amplificetis, non solum Ecclesiam in Germania tantum relinquit, vbi non est primatus pontificis fundamentum eius, sed Ecclesiam, quæ in Germania ædificata est, ante Lutherum non fuisse verbis suis confitetur, cum ait, Nostra igitur Ecclesia vera est Ecclesia ab ipso Christo per verum Euangelij ministerium ædificata. Cum enim dicit Ecclesiam Protestantium ædificatam esse per verum euangelij ministerium, quæro, cuius ministrantis ministerium dicit? cum ministerio enim simul intelligitur qui ministrat, & quod ministratur, id est Euangelium. quis autem Euangelij, super quod ædificata est Ecclesia Protestantium, minister primus fuerit, præterquam Martinus Lutherus, ostendi non potest: ante Lutherum autem non fuit Lutherus; igitur ante Lutherum non fuit Ecclesia Protestantium; quia non fuit minister talis euangelij, quale Martinus prædicauit. Ita fit, vt ante Lutherum neque vestra, neque nostra Ecclesia fuerit. Hic est progressus & exitus patrocinij Antoniani, & finis meæ Responsionis ad cauillationes loci secundi; pergamus ad tertium locum, & eius cauillationes.

L. O-

LOCVS III. IOHANNIS 21.

Pasce oues meas.

SOPHISMA TVRRIANI.

HÆc est vis articuli, & pronominis τὰ πρόβατά μου, vt Christus Petro iusserit pascere quascunq; oues suas, id est, Ecclesiam Catholicam. Quare consequens est, vt si quæ sint, quæ ad Petri curam pascendi non pertinent, nec oues illæ quidem Christi sint. Itaque duces gregis confessionis Augustanæ, & Antuerpiensis, & Heluetiæ, & similium, non pertinent ad oues Christi, quandoquidē pasci nolunt à Petro; ac proinde extra Ecclesiam sunt.

SOLVTIO SOPHISMATIS SVPERIORIS.

CAPVT XXII.

De loco Euangelij Ioannis, Pasce oues meas, quomodo per hanc legē detur omnis potestas spiritualis gubernationis quibuscūq; datur, idq; per Petrum, & de comparatione huius legis cum lege coniugali diuina, & de alio loco Ioannis, sicut misit me pater &c. & quomodo secundū prescriptionem Tertulliani probari debeat Petri primatus. & quod argumentum maximum, & grauissimum testimonium sit non esse Ecclesias Lutheranorum apostolicas. & de loco Ioannis, Erit vnum ouile, & vnus pastor; quomodo Cyprianus de vno grege Ecclesiæ Catholicæ, & de vno eius pastore successore Petri acceperit.

CVm post lapsum confirmandus esset Petrus ne vel ipse, vel reliqui apostoli de ipsius ministerio, & apostolico munere dubitarent, eo factum est, vt trinæ abnegationi trina Petri confessio fuerit opposita cū trina quoque muneris apostolici cōfirmatiōe. Itaq; verbo pascēdi Christus apud Ioannē in illo loco significauit, quicquid in docēda Ecclesia Petrus tanq; apostolus prestare debuit. Nā tametsi oēs Ecclesiæ ministri oues Christi pascunt, 1. Pet. c. 5. lōge tamē excellentiore modo apostoli dicūtur Ecclesiā pauisse. Christus igitur iubet Petro pascere oues

„ suas, id est fungi apostolico munere, licet eius se indignũ
„ fœda illa abnegatione reddidisset. *Et paulo post*, Ex qui-
„ bus, *inquit*, efficitur, nihil hic eximium collatum fuisse
„ in Petrum, quod cæteris quoq; Apostolis nõ conueniret.
Et citatis pluribus locis scripturæ de munere pascendi ad omnes Apostolos pertinente, quasi hoc negaretur, aut de hoc controuersia
„ *esset, subiungit*, Ex quibus perspicuum est, omnes aposto-
„ los pauisse gregem Christi, & ad eos omnes præceptum
„ de pascendis Christi ouibus pertinere. atq; id non tantũ
„ doctissimi quiq; veteres tradiderunt, sed etiam hunc Io-
„ annis locum ad omnes Ecclesiæ pastores accõmodaue-
„ runt. *Non de hoc disceptatio nobis vobiscum est, Antoni, vtrum hoc præceptum, Pasce oues meas, ad alios etiã pastores pertineat; quod tu, cũ minimè opus esset, plurib. testimonijs probare voluisti, vt aliquid cõtra nos dicere videreris. Immò beatus Basilius, qui de primatu Petri, & episcopi Romani successoris eius magnifice sensit, vt ex testimonijs eius à me libro 3. contra Magdeburgenses, & libro 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei recitatis perspici potest, per hanc legem, Pasce oues meas, ait in monasticis constitutionibus c. 22. Christum posse se Petrum Ecclesiæ suæ pastorem constituisse, cum ei dixit, Pasce oues meas; omnibus q; deinceps pastoribus, & magistris æqualem tribuere potestatem, cuius rei, inquit, signum est, quòd omnes similiter atq; ille ligent, & soluant. vera hæc sunt. Non enim magis pastor est, qui maior est, & excellentior, quam minor, & inferior, cum vna & eadem sit ratio pastoris spiritualis, quicunque ille sit, quatenus pastor; scilicet personam Christi gerere; esse mediatorem inter Deum, & homines; & operari Deo salutem subditorum. Nihil enim aliud est, vt idem Basilius paulo supra dixerat, pastorẽ esse, quam hæc tria facere, ad quæ facienda omnes æqualiter positi constitutiq; sunt ab spiritu S. quæ vno verbo Apostolus de spiritualibus præpositis loquens complexus esse videtur, cum dixit, Ipsi enim peruigilant pro animabus vestris, scilicet operantes salutem vestram, & exercentes officium mediatorum inter Deum, & homines: denique personam*

Quomodo per eam legem spiritualem Pasce oues, non solum Petrus pastor omnium ouiũ Christi constitutus est, sed alijs etiam pastoribus data est æqualis potestas, quatenus pastores sunt.

Quæ pertineant ad rationẽ pastoris auctore Basilio, in quibus oẽs sunt æque pastores, licet nõ omnes sint eiusdem gradus.

Christi

Christi veri mediatoris Dei, & hominum gerentes, qui de cœlo descendit, vt hæc verè in nobis perficeret, & operaretur. verũ hæc æqualitas, & hæc vna eademq; ratio omniũ pastorum spiritualium, quatenus pastores sunt, non tollit gradus pastorum, quin alius sit presbyter parochus, alius episcopus ciuitatis, alius omnium ouium, & ciuitatum princeps pastorum, & ποιμενάρχης. sic enim Leo imperatori cognomento sapiens in quodam sermone suo elegantissimo beatum Petrum vocat. hæc enim accidunt pastori, pascere scilicet in vna ciuitate magna, aut in pluribus, aut in cuncto orbe. Sicuti eadem est ratio & æqualitas omnium hominum, quatenus homines sunt, quamuis non sit idem ordo, aut gradus hominum. Itaque non negamus nos ad omnes pastores pertinere præceptum de pascendis ouibus, immò vna & eadem ratio est cuiuscunq; pastoris, siue maioris, siue minoris, vt paulo ante Basilius dixit. Quare necesse est, vt vna & eadem lex de pascendis ouibus ad omnes pastores pertineat, quatenus pastores sunt: & æque dictum sit vnicuique pastori minori, pasce oues meas, vt dictum est maiori; non, inquam, hoc negamus, neq; hoc contendimus, sed illud, Christum hac lege Petro dicta, Pasce oues meas, constituisse eum ποιμενάρχων, id est, principem aliorum pastorum omnium, & in eo, tanquam in capite, & principe dixisse cæteris pastoribus, tum apostolis, tum non apostolis, vnicuiq; eorum, pasce oues meas per hanc enim vnam, & eandem legem in euangelio Ioannis scriptam, Pasce oues meas, dat dominus Iesus potestatem spiritualem ijs omnibus, qui pastores animarum fiunt, sed in eo, & per eum, à quo voluit vt potestas ista spiritualis inciperet, id est, per Petrum, cui primo datus est pontificatus; quod si in eo dixit omnibus alijs, qui pastores facti sunt, & nunc fiunt, vnicuiq; eorum, pasce oues meas, sequitur, si Petro non dixisset, nec alijs dictum fuisset; neq; nunc diceretur. Ipse igitur est, per quem alijs dedit hanc potestatem. Non citabo Leonem magnum, qui hoc expresse dixit in Sermone 3. de die anniuersario assumptionis suæ, non nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit, quia, vt tu dicere soles, pontifex loquitur in causa sua; citabo Ambrosium, qui in suo Pastorali ait, Idcirco nos, quibus in verbis

Quomodo per hanc legem Pasce oues meas, primo dictã Petro, eum constituit Christus principẽ pastorum, & dat per eum cæteris pastoribus secundum diuersos eorũ gradus pascendi curam & potestatẽ, quia in Petro, cui primo dixit. pasce oues meas, dixit alijs pastorib. vnicuiq; eorum pro portione gregis commissi, pasce oues meas.

diuinis credita est dispensatio, & qui gregem Christi alendam suscepimus, &c. & paulo post, Væ iam mihi est, si claues regni cælorum, quas in beato Petro apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minimè reseruauero. Idem paulo infra repetitum est à domino tertiò, Pasce oues meas; quas oues, & quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed cum illo nos suscepimus omnes, pro eo, quod nunc dicit, Cum illo nos suscepimus omnes; proximè dixerat, in beato Petro cuncti suscepimus. deinde subiungit, vnde regendæ scilicet sacerdotibus contradantur; & merito rectoribus suis subdidicuntur. Per hanc itaq; legem, qua iussit Dominus Petro pascere oues suas, & qua dedit ei potestatem pascendi, iubet item vnicuique pastori pascere oues suas proportione gregis cuique eorum commissa, & attributa, & dat eis potestatem spiritualem pascendi. Nec enim alia lex est in Euangelio, per quam potestas spiritualis gubernandi, & regendi animas detur, nisi hæc. Quare cum dixit Petro Pasce oues meas, in eo simul dixit, vt iterum repetam, vnicuique pastori, etiam minimo, cui non sint nisi centum, aut viginti oues rationales cõmissæ, & concreditæ. sicut quod dominus Deus dixit per Adam, Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; hoc ipsum dixit per Adam, & in Adam omnibus legitimis coniugibus; quia hæc sola lex Dei est, qua omnia iusta matrimonia sancita sunt. Et sicut eadem est ratio omnis matrimonij, esse scilicet duo in carnem vnam per Legem Dei; qui enim adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, sicut Apostolus ait, sunt que duo in carne vna, sed non secundum legem Dei, sicut paulò ante explicaui, auctore Basilio: eadem est ratio omnis pastoris spiritualis adhærentis suo gregi, tanquã sponsæ suæ per legem illam Christi in Euangelio, Pasce oues meas, Petro. & sicut illa lex coniugalis à Deo sancita, ideo transiuit, & pertinuit ad cæteros omnes coniuges legitimos, & ipsa per Adam, & in Adam lata est illis, quia Adæ primo tanquam radici, & origini generis humani data est: sic quia Petro primo data est hæc lex, Pasce oues meas, factum est, vt in eo data sit omnibus alijs

Quòd non sit alia lex in euãgelio per quã potestas spiritualis gubernandi animas detur, nisi hæc, Pasce oues meas.

Cõparatio legis de ouibus pascẽdis, quæ dicta est omnibus pastoribus in Petro, cum lege cõiugali dicta omnibus coniugibus in Adam.

alijs pastoribus, & per eum ad reliquos omnes pastores transeat, & pertineat, quæ non transiret, neq; pertineret, nisi Petro primo data fuisset. Videamus vtrum hoc ipsum dicat testis tuus & noster Augustinus, quem tu citasti. Loquens enim de parabola boni Pastoris, non ideò, inquit, modo tacentur pastores, & dicitur pastor, quia non inuenit dominus, cui commendaret oues suas, tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit. Immò verò & in ipso Petro vnitatem commendauit, multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas. Si hoc dixit dominus vni Petro, scilicet Pasce oues meas, vt vnitatem commendaret, igitur quod in Petro voluit dictum quoq; esse alijs apostolis, vt pascerent oues Christi, sic eos voluit pascere, vt à Petro non dissentirent; & ab eo tanquam ab origine vnitatis penderent. alioqui dicendo vni Petro, Pasce oues meas, non commendasset vnitatem. Refelle tu hanc rationem, si probabiliter potes; quod certum est non posse. Verum hoc, scilicet omnes apostolos pastores fuisse, & quidem alijs pastoribus excellentiores, ac proinde nihil eximium in Petrum fuisse collatum in munere pascendi, confirmare te dicis subiungens, Quod ita esse confirmant superiora Christi verba apud Ioannē 20. sicut misit me pater, & ego mitto vos. & apud Matthæum c. 18. profecti docete omnes gentes. quibus exponitur verbum pascendi hic vsurpatum. *In eo adhuc laboras, in quo non opus est. Quis enim vnquam ex nostris negauit vobis, non fuisse pastores omnes apostolos, & omnibus mandatum esse, vt euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos &c. Illud potius probare debebas, quod hactenus dicis tantum, & non probas, sic fuisse omnes Apostolos pastores, vt non esset vnus Petrus omnibus præpositus, in quo, & per quem omnes apostoli à Christo potestatem pascendi & mandatum docendi omnes gentes acceperint, quod nos dicimus, & probamus. Ad locum ergo Ioannis, quem contra te citasti, verbis docti Tertulliani respondemus: sic enim contra hæreticos disputans, & nos ad disputandū contra te, & tui similes regulis, & perscriptionibus instruēs, in libro de pscript. Hær. ait, Hinc igitur dirigimus præscriptionē; si dominus Iesus Christus apostolos misit*

Quare lex de pascēdis ouibus per Petrū transeat, & pertineat ad alios pastores ad similitudinem legis coniugalis diuinæ.

Quomodo Augustinus testis ab Antonio citatus testetur nisi vni Petro dictum esset Pasce oues meas, non fuisse futurā vnitatem in Ecclesia & pastoribus eius, ex quo fit, vt omnes pastores ab eo tanq; ab origine vnitatis penderet voluerit.

Quomodo locus Ioannis, sicut misit me pater, quē Antonius ad probādū non fuisse Petrum præpositū alijs Apostolis

pastoribus citauit, ipsũ redarguat secundum præscriptionem Tertulliani, qui hũc locum Ioannis attigit.

misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit; quia nec alius patrem nouit, nisi filius, & cui filius reuelauit; & nec alijs videtur reuelasse filius, quam apostolis, quos misit ad prædicandum, vtiq; quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid Christus illis reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, quod aiunt voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam. Hactenus Tertull. Percurre igitur omnes cuncti orbis Ecclesias, & inquire, an Petrum principem apostolorum fuisse teneant? & sic traditũ acceperint? hoc.n. apostolos prædicasse, & docuisse, fuisse scilicet Petrum cæteris apostolis præpositum, secundum perscriptionem Tertulliani non aliter probari debet, nisi per easdẽ Ecclesias, in quib⁹ ipsi apostoli præsentes docuerunt; aut ad easdem scripserunt: si proxima est Achaia, inquit Tertull. habes Corinthũ, si non longe es à Macedonia, habes Philippos; si potes in Asiam tendere, habes Ephesum; si autem Italiæ adiaces, habes Romanam; vnde nobis quoq; auctoritas præsto est. Statuta. Si igitur Antonij scire vis, quid istæ Ecclesiæ apostolicæ de Petro à sanctis apostolis acceperint, vtrum fuisse Petrum principem apostolorum an non, interroga Ecclesiam Orientis, quæ in Synodo Florentiæ ante annos 120. habita conuenit, in qua fuerunt prope 20. Archiepiscopi, siue Metropolitani eiusdem sententiæ, qui plurimos Episcopos eiusdem sententiæ in prouincijs suis habebant, quos nunc vocant suffraganeos; hi omnes cum Patriarcha Alexandrino, cum Antiocheno, Hierosoly. & Constant. & reliquis, qui subscripserunt, quod ab Ecclesijs Apostolicis audierant, & dedicerãt; & Ecclesiæ, vt ait Tertull. quod ab apostolis, & apostoli quod à Christo; & Christus quod à Deo accepit, hoc tradiderunt & obsignarũt, scilicet Petrum esse Apostolorum caput. Sic enim ait decretum: ἐπ διοριζόμεθα τὴν ἀποστολικὴν καθέδραν καὶ τὸν ῥωμαίων ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε τὸν ῥωμαῖον, ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ αὐτὸν τοῦ χριστοῦ ἐπὶ

Decretum Synodi Florentinæ ex Græcis, & Latinis de primatu episcopi Romani successoris Petri.

σὺ ἐπὶ γῆς τοποτηρητὴν καὶ πρᾶξ καὶ διδάσκαλον τῶν χριστιανῶν ἁπάντων.
græce recitaui, quia ipse Græcis delectaris. Coryphæum apostolorum vocat Synodus Orientis, quod verbum, ἀπὸ τῆς κορυφῆς dicitur, quod summũ capitis designat. Idem testatur Ecclesia Romana, in qua Petrus & Paulus docuerunt, & prædicarunt; & item testantur reliquæ omnes Ecclesiæ Occidentis, quæ communione doctrinæ Ecclesiæ apostolicæ Romanæ, & ipsæ Romanæ Ecclesiæ sunt, & apostolicæ. Sed quia vos Ecclesiam quoq; vestram apostolicã esse dicitis, & ad eam Ecclesias apostolicas falso reuocatis, audi, quid, quod ad hanc rem pertinet, idem Tertullianus perscribit. Etenim si quæ, inquit, audẽt se inter serere ætati apostolicæ, vt ideo videantur ab apostolis traditæ, edant, (inquit) origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrente, vt primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel ex apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrneorum Ecclesia Polycarpum à Ioanne collocatum refert: Romanorum Clementem à Petro ordinatũ; & proinde vtiq; & cæteræ exhibent, quos ab apostolis in episcopatum cõstitutos apostolici seminis traduces habeant. Hæc Tertullianus: quæ Ecclesias vestras conuincunt adulterinas esse, & suppositas, quæ Petrum negant apostolis præpositum fuisse, vt Episcopum Romanum successorem eius esse negent. edant enim originem suam ita per successiones ab initio decurrente, vt primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel ex apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem, & antecessorem. Vos enim alium auctorem Ecclesiæ, quam nunc habetis, proferre non potestis, quam Martinum Lutherum; ille fuit primus, ostendite quem ille ex apostolis aut apostolicis habuerit auctorem, vt Ecclesiam sine origine vnitatis vobis ædificaret; id est sine Petro, in quo erant apostoli tanquam in capite Ecclesiæ & origine vnitatis eius. quod si confingant, inquit idem Tertull. aliquid tale hæretici, quid enim, illis post blasphemiam illicitum est? sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata

Quomodo secundum præscriptionem Tertulliani demõstretur Ecclesias Protestantium adulterinas & suppositas esse.

Ecclesię Protestantium primus auctor & ædificator Martinus Luther us.

ex diuersitate, & contrarietate sua pronunciabit, nec apostoli alicuius auctoris esse, nec apostolici. Quia sicut apostoli non diuersa inter se docuissent; ita & apostolici non contraria apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis defciuerunt, & aliter prædicauerunt &c. hæc Tertullianus. huiusmodi fuit Martinus Lutherus, qui quia ab apostolis, & eorum Apostolica doctrina & cathedra discessit, aliter quã apostoli prædicauit, quod vt maiore licentia faceret, Petrum negauit primatum in apostolis, & vniuersa Ecclesia habuisse. subiungit deinde idem Tertull. qui Protestantes ducit vinctos, & de eis triumphũ agit, Ad hanc itaq; formam prouocabuntur ab illis Ecclesijs; quæ licet nullum ex apostolis, aut apostolicis auctorem suum proferant, vt multo posteriores, quæ deniq; quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita oẽs hæreses ad vtrãq; formã prouocatæ, probent se nostris Ecclesijs quaqua putant apostolicas, sed adeo neq; sunt; neq; possunt probare, quod non sunt; nec recipiũtur in pacem & in cõmunicationem ab ecclesijs quoquomodo apostolicis, scilicet obdiuersitatem sacramẽti nullo modo apostolicæ. hactenus Tert. Quod maius & manifestius argumentum, & grauius testimonium esse potest Antoni, non esse Ecclesias vestras apostolicas, quã quòd ab omnibus Ecclesijs apostolicis, quæ aliquẽ apostolũ, vel apostolicum habuerũt auctorem, siue à multo posterioribus Ecclesijs, siue ab ijs, quæ quotidie instituuntur, quæ oẽs in apostolica doctrina conspirant, & sunt, sicut ait Tert. pro consanguinitate doctrinæ, oẽs apostolicæ, ab omnibus inquam istis Ecclesijs apostolicis Ecclesiæ vestræ anathematizãtur, tanquã nullo modo apostolicæ quæ ab apostolis, & corũ principe Petro defciuerunt, ne in vno, & vnũ essent. Quæ noluerũt contra sententiã domini, vt esset in terra vnus grex, & vnus pastor. aliter .n. vnitas esse non poterat, vnde beatus Cyprianus, cuius tu testimonio libenter vteris, cum ad tuã causam videris tibi detorquere posse, postquam dixit in libro de vnitate Ecclesiæ loquens de Petro origine vnitatis, tamẽ vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientẽ auctoritate sua disposuit, paulo post de eadem vnitate, & origine, eius

Quare Martinus Luther Petrũ negauit primatum in apostolos, & Ecclesiã habuisse.

Quomodo Tertullian vinctos ducat Protestãtes, & de eis triumphum agat.

Quod sit maximum omniũ argumentũ Ecclesias Protestantium nõ esse apostolicas, sed ψευδωνύμους, id est, falsi nominis.

eius loquens, monet, inquit, ipse in Euangelio suo, & docet, erit vnus grex, & vnus pastor. deinde subiungit, & esse posse vno in loco aliquis existimat, aut multos pastores? aut plures greges? sunt quidem in Ecclesia Catholica per cunctum orbem diffusa multi pastores, & multi greges, sed non in vno loco, & vno grege; hoc enim fieri non potest; sed in multis locis, & multis gregibus. est enim, vt idem Cyprianus ad Cornelium scripsit, singulis pastoribus portio gregis ascripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus domino redditurus: vnusquisq; autem horum pastorum, quos hic dicit Cyprianus, episcopus est, & portio gregis ei ascripta episcopatus & Ecclesia eius est: sed rursus, quia episcopatus totus vnus est, constans ex omnibus episcopatibus, tanquam partibus, quia Ecclesia Catholica vna est ex omnibus Ecclesijs, quæ sunt partes eius, conflata, & coagmentata, idcirco necesse fuit, vt totius episcopatus, qui est vnus episcopatus diffusus per cunctum orbem, vt ait idem Cyprianus in alio loco, & est vnus grex, & vna Ecclesia, necesse inquam fuit, vt vnus episcopus, vnusq; pastor, & rector esset. Hoc est esse in vno loco vnum pastorem, & vnum gregem; & non posse esse in vno loco totius scilicet episcopatus, ac totius gregis, & Ecclesiæ multos pastores siue multos episcopos, & multos greges, sed vnum tantum; vt vnitas esse, & seruari possit. Citas deinde Augustinum, & iterum Cyprianum ad probandum alios esse pastores cum Petro, quod extra causam est, nemo enim hoc negat. Immo princeps pastorum Petrus esse non posset, nisi alij pastores essent: quorum enim pastorum primus esset, si solus esset? aut quomodo fuisset origo vnitatis apostolorum, & omnis Ecclesiæ, nisi vnus grex, cui præerat Petrus, vnanimi consensione ab apostolis omnibus, tunc cum apostoli viuebant, non vno in loco, sed in diuersis pasceretur. Sed videamus quæ sequuntur.

Locus Ioannis, erit vnus grex & vnus pastor à Cypriano expositus de vno grege Ecclesiæ catholicæ, & vno eius pastore Petri successore.

Quid sit auctore, & interprete Cypriano esse in vno loco vnum pastorem, & vnũ gregem & non posse esse in vno loco multos greges, & multos pastores.

Quòd Petrus nõ potuisset princeps esse pastorũ, nisi alij pastores fuissent.

CAPVT XXIII.

Responsio ad illud, quod Antonius obiecit, non esse consentaneum naturæ, vt vnus Petrus omnes oues Christi pasceret. & quid Philosophus duce & magistra ratione naturali de vnius primatu propter præstantiam virtutis senserit, & quomodo inde docemur, quid nos de primatu Petri à Christo propter prærogatiuũ charisma fidei instituto sentire debeamus. & quomodo cõcilium supra pontificem ponere perinde sit, vt partem toti præferre, & quod est naturæ repugnans. deinde, quibus virtutibus meruit Petrus primatum. & de fundamento & Radice primatus episcopi Romani. item quomodo interpretatio loci Ioannis Pasce oues meas, vt omnes oues commiserit, consentanea sit alijs locis scripturæ, & circunstantiæ loci.

» IVrrianus autem, *inquis*, ad vnũ Petrum eiusq; » successorem Romanum pontificem suo mo» re restringit hoc præceptum Christi, Pasce o» ues meas; atq; vt id efficiat, profert articulum » græcum cum pronomine, cuius ait tantã esse » vim, vt oẽs oues Christi significet, atque adeò, quotquot » vnquam futuræ sunt, quas cum Petrus pascere iubeatur, » nec id iam præstare possit, vtpote iam pridem è vita sub» latus, restat vt in suo successore, nẽpe in pontifice Roma» no pascat oẽs oues Christi, id est, regnum in oẽs Eccle» sias exerceat, sic Turrianus videtur sibi præclare ratiocinari.

Quomodo mea recitat Antonius perperam verbis suis, quibus ipse vti consueuit.

Deberes saltem Antoni, cũ mea recitas, verbis meis vti, & nõ tuis, quale est oẽs oues Christi pascere, id est, exercere regnũ in omnes Eccle sias. sic enim tu loqui didicisti. Sed pergamus recitare tua. Ego verò, *inquis*, agnosco, argumentum Thomæ ex li» bro aduersus errores Græcorum, sed ista expositio vel » Thomæ, vel Turriani, atque adeò pontificiorum om» nium nec ipsis contextus verbis, nec huius loci circum» stantiæ, nec alijs scripturæ locis consentanea est; immo » ne ipsi quidem rerum naturæ. *Scilicet acutior est & do*ctior quam Sanctus Thomas, et quã omnes pontificij Antonius Sadeel Lutheri discipulus, & idcirco non est ab eo requirendum vt quæ

Quomodo ut Antonius nouus Pythagoras.

vt quæ dicit, probet; satis est, si nouus Pythagoras dicat tantũ, sicut ipse Luthero dicenti tantum credidit. Itaq; quomodo expositio huius loci, Pasce oues meas, quòd omnes oues commissæ fuerint vni Petro; neq; verbis ipsis contextus, neq; circumstantiæ loci, nec alijs locis scripturæ consentanea sit; nõ opus est probare; quia Antonius Sadeel dicit, hoc satis sit discipulis eius. Illud verò extremũ, ne ipsi quidem naturæ consentaneam esse expositionem illam, hoc visum est illi, non satis esse dicere, nisi probaret, videamus igitur quomodo probet. Quis enim vnquam, inquit, existimauerit, vnum Petrum omnes Christi oues pascere potuisse? hoc est illud naturæ non consentaneum, quod Antonius Sadeel sagacitate ingenij sui olfecit. Thomas verò vt minus sagax non est odoratus, nec pontificij vlli. Quis non rideat, vel potius non defleat Antonium istum, qui sapientior, & ingeniosior quã Thomas videri vult? Damus hoc Antoni, non potuisse vnum Petrum omnes Christi oues pascere, sed quomodo tã tardus, & obtusus disputator es, vt existimaueris concesso hoc, totũ negotium confectũ esse? nõ sic obtuse disputatur apud Arist. tuũ li. 3. de rep. cõtra principatũ vnius, penes quẽ sit summa omniũ rerũ potestas, quæ dicitur ab eodẽ Arist. παμβασιλεία; dicamo nos, plenũ regnum, quod cæteris, quæ nõ sunt proprie regna, idẽ præponit. Qui illic disputat, sumpsit quidẽ, quod tu sumpsisti, sed adiũxit aliud quod tu, etsi ante oculos erat, nõ vidisti. sic. n. ratiocinatur; sed cũ ab vno cuncta prouideri non facile sit, conuenit hactenus tua sumptio, hanc. n. vim habet quod tu dixisti, Quis enim vnquã existimauerit, vnũ Petrum oẽs oues pascere potuisse? nihil amplius addidisti: nec in mentẽ venit illa regula iuris tritissima, & animis omniũ anticipata, Quod per alios facimꝰ, per nos facere videri. Vnde ille contra regnũ plenum disputans totũ hoc sumpsit, sed cũ ab vno cuncta prouideri non facile sit, plures magistratus esse oportebit ab ipso constitutos; sed nec ex hoc sequitur, non præstare esse vnũ principem omnium, etiã principe philosophorum auctore, si modo inquit, vir vnus singularis cæteris omnib. præstet: siquidẽ ratione præstãtiæ oẽs rerum publicarũ conditores cẽsent, principatũ esse deferendum. Si sic auctor gentilis natura duce de summa potestate penes

Quam obtuse Antonius contra primatum Petri disputet, cum sumit nõ potuisse vnum Petrum oẽs oues pascere.

Quomodo disputetur apud Arist. in Politicis contra principatum vnius.

vnum, & de vnius principatu, siue primatu, propter excellentiam virtutis vsu & exercitatione humani ingenij, & studij comparatæ sensit, quid par erat, & iustum, vt sentires tu de primatu Petri propter prærogatiuã charismatis à Christo dati, qui Ecclesiã suam super eũ ædificauit? si Christus, vt euangeliũ docet, rogauit pro Petro, vt non deficeret fides eius, & ei iussit, vt firmaret, quod ei tanquã petræ conueniebat, fratres suos, id est, totã fraternitatem, quæ erat Ecclesia, cuius sancti apost. columnæ quædã erant, an nõ erat talis, ac tantæ fidei Charisma oratione Christi à Deo patre impetratũ, dignum, vt vnus Petrus haberet in apostolis, & cuncta Ecclesia primatũ? rursus, si philosophus ratione naturali magistra iudicauit eũ, qui principatum adeptus esset propter excellentiã, & præstantiam virtutis, quæ in eo maior, quã in cæteris reperiretur, non decere, vt aliquando vir talis aut morte, aut exilio, aut per ostracismũ exterminaretur: nec, vt vicissim aliquando tanquam subiectus pareret, natura, inquit, repugnante, quæ partẽ toti præferri non sinit (quod quidem inquit, accideret ei, si quis ea virtutis magnitudine cæteris antecederet) si Philosophus inquã, qui neq; virtutes à Deo infusas, neq; charisma fidei, & potestatis spiritualis nouit, ratiõe, vt dixi, naturali ductus, sensit tantũ esse deferendũ ei, cui primatus propter magnitudinem virtutis humanæ datus esset, vt cuiuscunq; aliorum virtus comparata cum illius principis virtute, videretur pars cum toto comparata, ac proinde repugnare, partẽ toti ꝓponi, quid nos sentire decet, quibus reuelauit Christus per euangelium suũ ædificasse ecclesiam super Petrũ, & ei claues regni cælorum dedisse, pro eius q; fide, qua firmaturus erat fratres suos, patrem rogasse, ne deficeret, ei deniq; post resurrectionẽ iussisse pascere oues suas? quid inquã aliud sentire de Petro decet, quã constitutũ fuisse principem apostolorũ, & totius ecclesiæ per prærogatiuũ charisma summæ potestatis spiritualis ei datæ, cuius pars sit potestas cuiuscũq; alterius pastoris quãuis apostoli? quare naturæ repugnãs esse, si vllus supra eum esse queat; id enim esset partem toti antecellere. Ex quo fit, vt hoc obiter dicatur, qui tradunt, concilium esse supra pontificem, eos naturæ repugnare, cùm nihil aliud sit hoc, quã partem toti præferre. Aliter etiam disputatur apud Philosophum in eodem libro

Quid deceat Christianũ de primatu Pontificis sentire, cõparatione facta cũ eo, ꝙ Philosophus ratiõe naturali magistra de vnius principatu ꝓpter præstãtiam in studio virtutis sentit.

Quõ potestas cuiuscunq; alterius pastoris spiritualis pars sit potestatis Petro datæ, ex quo fiat, vt velle vllam aliorũ potestatem supra successorẽ eius esse, naturæ repugnet, hoc enim esse partem toti præferri.

Quõ, & quare naturæ repugnet concilium esse supra Papam.

contra principatū vnius. Nam princeps, inquit, ac reges nunc quoque multos sibi oculos, multas aures, multas item manus, atq; pedes faciunt; quoniā qui principatu istius contenti sunt, hos imperij siue principatus participes efficiunt, q; si principis iudicio hi quoq; sunt imperio, siue principatu digni, eiusdem profectò sentētia pares, & similes imperare, siue principes esse oportet eodē modo. Præter naturæ.n. ius est, inquit, vt paribus impar tribuatur; quin potius iustū est, vt sit inter eos imperandi & parendi vicissitudo. Hactenus illius argumentatio: sed neq; hic conclusio rationis vera est, nec ex illis, q̄ sumpta sunt, efficitur, vt non conueniat vni principatus, ei scilicet, cuius virtus sit, vt Philosophus ait, omniū aliorū virtute maior. Tunc enim iustū est, inquit, vt genus hoc regium & hic vnus regno cum summa rerum omnium potestate potiatur. Transferamus, quod ille dixit, & cōclusit de regno pleno terreno vnius, & de summa potestate sæculari ad regnum spirituale, & summā potestatem non huiusmodi, sed cælestem, quam dedit Christus Deus noster vni Petro, cui adiunxit reliquos sanctos apostolos adiutores tanquā multos oculos, multas aures, multas item manus, atq; pedes, adde etiam multas linguas, & ora, & eos omnes, quos ipsi apostoli episcopos, dum viuerēt, in diuersis ciuitatibus, & prouincijs episcopos constituerūt, ne tu iā Antoni dicas, quis vnquā existimauerit vnū Petrū oēs oues pascere potuisse? cum hic audias à tuo Arist. imò id etiam videas, reges nunc quoq; multos oculos, multas aures, multas manus, atq; pedes sibi facere. Virtus vera omniū aliorū virtute maior, qua Petrus meruit, vt omniū apost. princeps fieret, illa excellentiss. cōfessio fuerit, quā domino per contāte, quē apostoli sui eum esse dicerent, nihil cunctatus nomine omniū confessus est, meruit, inquā, vt qui pro omnibus diuinā illā confessionē edidit, omniū fieret os, & caput, & dux. Altera virtus p̄ter virtutē istā fidei admirabilis, qua meruit etiam vt pro fide eius, ne deficeret, Dominus rogaret, fuit charitas qua meruit, vt quod promiserat cōfirmaret, cum dixit ei, Pasce oues meas, postquā tertiò interrogasset, vtrum diligeret eum plus alijs apostolis, & ille respōdit tertiò, Domine, tu nosti omnia, tu scis, quia amo te. Et quia nemo maiorē charitatem habet

Quō transferendū est, quod Philosophus conclusit de sūma potestate vnius, cuius virtus aliorū omnium virtute maior sit, ad summā potestatem spiritualē, cuius charisma fideiprērogatiuū excellētius quam aliorum sit.

Petrus ob excellentiam fidei, & charitatis factus princeps pastor cunctæ ecclesiæ.

Principatus Episcopi Romani successoris Petri prærogatiuũ charisma gubernationis spiritualis totius Ecclesiæ est.

Fundamentum & radix primatus episcopi Romani charisma fidei Petri, in quo per vicariam ordinationẽ succedit propter orationẽ Christi ad patrẽ cælestem.

Quòd Petrus viuit in successoribus suis, qui nunquam deficient in cathedra eius vsque ad cõsummationẽ sæculi.

Quomodo Antonius quod dixit, expositionẽ illius loci eu angelici Pasce oues meas, non esse cõsentaneã ipsis contextus verbis, neque circũstantiæ loci, nec alijs lo-

habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis, cõfirmauit dominus ita esse, quod de charitate sua in Christum Petrus respondérat, cũ statim prædixit illi martyrium, quod pro fide Christi, & pro ouibus sibi commissis subeundum erat. Ob excellentiam igitur fidei & charitatis fecit Christus Petrum principem pastorem Apostolorũ, & cunctæ Ecclesiæ suæ: fundamẽtum autẽ huius principatus, qui principatus est prærogatiuum charisma gubernationis spiritualis, est charisma fidei Petri pro quo ne deficeret in Petro, ac proinde in successore eius per vicariam ordinationem, patrẽ cælestem rogauit, idq; quia in Petro tanquam in origine ordinis sacerdotalis, & vnitatis Ecclesiæ, tota potestas clauium cõtinebatur, ita vt quicunq; potestatẽ clauium, & pascendi oues Christi acciperent in Petro, tanquam in principio, & exordio potestatis acciperent. Idcirco necesse fuit, vt in Petro facto principe omnium, & de cuius potestate alij partẽ accepturi erant, non deficeret fides, quandiu in cathedra sederet. Idem de successore eius dictum sit: non enim ad tẽpus, id est, quàm diu Petrus, & reliqui Apostoli superstites essent, Ecclesiam super Petrũ ædificauit, quid enim amentius, aut magis impiũ dici, aut cogitari posset? sed vsq; ad consummationẽ seculi. viuit enim adhuc Petrus in successoribus suis, qui nũquam deficient, neque portæ inferi, id est, schismata, hæreses, persecutiones tyrannorũ aduersus eos, & eorum cathedram, quæ cathedra Petri est, vnquam præualebunt. Hactenus responsum sit ad illud, quod dicebas, nec ipsi naturæ consentaneum esse, vt vnus pasceret omnes oues: redeamus nunc ad illud, quod proxime dixeras. Hanc expositionẽ illius loci, Pasce oues meas, vt omnes oues iussus sit Petrus pascere, nec ipsis contextus verbis, nec huius loci circumstantiæ, nec alijs scripturæ locis consentaneam esse. Callidè tu quidem, vt soles, qui non es aggressus probare, quod dicis, quia non potuisti. Probemus ergo nos consentaneam esse istis tribus, quæ negas. Ac primum quidem cõmississe vni Petro omnes oues pascendas, alijs locis scripturæ consentaneum est: quomodo enim Ecclesiam suam, quæ vna est tota, nominatim, & singulariter super Petrum diuinam illam fidei confessionem nomine omnium Apostolo-

postolorum confessum ædificaturus erat, sicut in Euangelio dicit, nisi eidem vni totam Ecclesiam committeret? & quomodo rursus totam, nisi partes omnes? igitur & partes partium, ac proinde singulos; omnes igitur. Quid autem est tota Ecclesia, nisi totum ouile rationale: omnes igitur oues totius ouilis, quod vnum est totum, vni Petro cõmisit pascendum. Deinde, super quem nominatim & singulariter ædificauit Ecclesiam, id est, super Petrum, eidem nominatim & singulariter dixit statim, tibi dabo claues regni cælorum. Potestas verò clauium, quæ tota fuit data ei, super quem tota Ecclesia ædificata est, ad pascendum totam Ecclesiam pertinebat, ergo ad singulos Ecclesiæ pascendos, & cum tota Ecclesia sit ouile totum, ad singulas oues pascendas pertinebat. Omnes igitur oues ei commisit, cuius potestatem ad pascendũ omnes referri voluit. Rursus consentanea est hæc expositio de pascendis omnibus ouibus à Petro illi loco, & tu aliquando conuersus firma fratres tuos. Cum enim dixit, fratres tuos, totam fraternitatem intellexit, tota autẽ fraternitas, tota Ecclesia est, firmare autem ad pastorem pertinet, & ad curam pastoralem, sicut firmari ad oues iuxta parabolam Ezech. 34. in qua verus pastor dicit, quod infirmum est, consolidabo, aut si fratres interpretaris reliquos Apostolos, certe cui committebat curam firmandi firmiores, multo magis committebat curam firmandi infirmiores. Consentanea præterea est hæc expositio illi loco Euangelij Lucæ, caput 22. cùm contendentibus discipulis, quis eorum videretur esse maior, dixit autem eis dominus, reges gentium dominantur; & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Quorsum docuisset discipulos, quemadmodum qui inter eos maior esset, se gerere deberet, si nemo vnquam inter eos futurus erat talis? quid vanius cogitari potest, quàm frustra hoc dictum fuisse? frustra autem dictum fuisset, si hæc admonitio nullum locũ in eis habitura fuisset, id est, si omnes pares futuri erant, inter pares enim nullus est maior. At maiorem esse, præesse est hoc loco, alioqui non comparasset cum regibus, quorum est præesse, & quia ad eos præesse pertinet, maiores sunt. Si igitur vnus ex Apostolis futurus

cis scripturæ non est aggressus probare, quia non potuit, nisi dicere tantum, vt solet; & quomodo nos probemus consentaneum esse istis tribus.

Quomodo expositio loci pasce oues meas vt omnes oues mũdi cõplectatur, alijs locis scripturę cõsentanea sit.

Quomodo ex loco Lucę qui maior est inter vos &c. demonstretur iussisse dominum Petro pascere õmnes oues.

turus erat maior iuxta hunc sermonem domini, & maiorem esse, vt dixi, hoc loco præesse est, vnus igitur in Apostolis ipsis præfuit, alioqui nõ fuisset maior. Quòd si apostolis fuit maior, quia illis præfuit; fuit igitur maior cæteris omnibus per cunctum orbem, & illis præfuit, quibus & apostoli maiores fuerunt, & quibus præfuerũt. Hic aũt non est alius quam Petrus; igitur fuit maior Petrus reliquis apostolis iuxta sermonẽ domini; ac proinde reliquis omnibus totius mũdi Christianis; & illis omnibus, quib. maior erat, præfuit. Quare cum in Euãgelio Ioannis pascere oues suas iußit Petro, omnes oues pascere iußit, quia illas oues iußit pascere, quibus maior erat: erat aũt maior omnib. & quibus erat maior, illis præesse iussus est, id est omnibus; pascere .n. præesse est, iußit igitur pascere oẽs, quia omnibus præerat; & omnib. maior erat. Postremo, cõsentanea est hæc expositio illi loco in actis apost. c. 15. cũ dixit B. Petrus in illa Synodo Hier. prima omnium, viri fratres, vos scitis, quoniã ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ audire gentes verbum Euangelij, & credere. Iterũ cum hunc locum obseruaui, interrogabam, quare non dixisset Petrus, viri fratres, vos scitis, quoniam à diebus antiquis Deus elegit nos, id est, apostolos, sed dixit, elegit in nobis id est, in apostolis, (apostolos .n. è quorũ numero & choro erat, intellexit, cum dixit, in nobis) audire gentes per os meum verbũ Euangelij, quod perinde erat, vt si diceret, elegit me ad prædicandũ gentibus, cum alioqui alios quoque Apostolos ad prædicãdum gentibus elegisset, nisi aliquid eximium, quod in Petro fuisse negas, significasset, cur sic locutus esset? significauit igitur se esse os & caput omnium, & cum prædicare, ac docere verbum Euangelij pascere sit, sequitur cũ ei præcepit dominus, vt pasceret oues suas, præcepisse, vt pasceret eas per se, & per reliquos apostolos tãquã adiutores suos, ita vt ipse esset ποιμενάρχης, siue ἀρχιποιμήν, vt ab antiquis patribus Græcis vocatur, hoc est, princeps pastorum. oẽs igitur oues pascere iußit. Hactenus de locis scripturæ, omitto reliquos, non.n. est tempus dicendi omnia. Videamus deinceps, quomodo sit hæc expositio consentanea illius loci Ioannis circumstantiæ, quod tu etiã requiris, & negas reperiri hic. Cũ vellet dominꝰ post

Quomodo ex loco Act. 15. elegit in nobis per os meum &c. demonstretur præfuisse Petrum omnibus o-nibus pascẽdis.

Quomodo expositio illius loci Pasce oues meas oẽs, cõsentanea sit circũstantiꝫ illius loci.

v.e-

resurrectionẽ suam præstare, quod promiserat, de ædificãda Ecclesia super Petrum, tunc dicit ei, Pasce oues meas, in quo ministeriũ verbi continetur, & simul iurisdictionem in eas tribuit, & potestatem clauiũ regni cælorum promissam; sine qua eiusmodi iurisdictio explicari, & expediri non poterat; in his enim negotium ædificationis Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, versatur. Itaq; dare primo vni Petro potestatem clauium regni cælorum, & ministerium pascendi oues Christi, hoc fuit ædificare Ecclesiam super Petrum, vnde nulli alij pastores, nec ipsi apostoli potestatẽ pascendi ad opus ædificationis Ecclesiæ acceperunt, nisi in Petro, & per Petrum, quia primo data est vni Petro, vnde origo, & causa, vt alij habeant, factus est. idcirco cum ei dictum est, Pasce oues meas, in eo quoq; dictum est, quibuscunq; secundum cuiusq; mensuram cura pastoralis cõmissa est, in eo enim censentur tanquã in radice, & origine ac principe pastorum omnes pastores: sicut in Adam, quia fuit origo generis humani, omnes homines, & in Abraam, quia fuit origo & principiũ populi Israelitici, omnes Israelitæ. Omne enim genus, inquit Tert. ad originẽ suam censeatur, necesse est. Sic igitur concludamus rationẽ, cum dictum est Petro Pasce oues meas, non esset in eo idem dictũ cæteris alijs pastoribus vnicuique secundum mensurã suam, vt quidem dictum est, nisi omnes pastores in Petro censi essent, censeri aũt non poterant, nisi eorũ origo, & caput fuisset; si aũt caput pastorum omnium fuit & origo, igitur ipsius fuit omnib. alijs pastoribus præesse, ac proinde omnib. eorũ quibus: pascere aũt præesse est, iussus igitur est Petrus oẽs oues pascere, Circunstantia huius loci hoc necessario requirente. Hæc aũt est circunstantia, quod dicitur Petro Pasce oues meas, cũ in eo tanquã in capite omniũ, forma boni pastoris omnib. pastoribus siue maioribus sine minorib. siue minimis suis lineamẽtis exprimitur, & apponitur. Bonus n. pastor, ait dominus in Euangelio Ioan. c. x. animã suam ponit pro ouibus suis, vt verò ponat bonus pastor animã pro ouibus suis ad exemplũ domini, quia charitas hoc facit, idcirco dominus cũ vellet Petrum pastorem ouium suarum facere, prius percontatur ab eo, vtrum diligat, dominum, idque tertio, iubens ad singulas percontationes, & respon

Quid fuerit ædificare Ecclesiam sup Petrum & in quibus potissimũ versetur negotiũ ædificationis Ecclesiæ.

Quomodo in Petro cẽsentur oẽs pastores, tanquam in radice, & origine ordinis sacerdotalis.

Quæ sit circunstantia illius loci, Pasce oues meas.

Quomodo in Petro proposita fuerit forma boni pastoris omnibus pastoribus maioribus, minoribus, & minimis, quia in eo, tanquam in origine continebantur.

responsiones, vt pasceret; in prima percontatione, & ad eam responsione, vt pasceret agnos; in secunda oues, sine, vt est in quibusdam exemplaribus, quod Gregorius episcopus Tauromeniæ in Sicilia in homilia in hunc locũ notauit, non πρόβατα, sed προβάτια, id est, non oues, sed ouiculas; in tertia, item, vt oues, vt hac triplici differentia, inquit idẽ auctor, totidem gradus τῆς προκοπῆς, id est, progressus spiritualis in pastu capiendo significaret, quos euangelium in parabola seminantis distinxit, inquiens, qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit; & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum; aliud autem sexagesimum; aliud verò trecesimum. Postquam verò charitas Petri triplici interrogatione domini, sicut triplex fuerat negatio, explorata, & tentata fuit, ac probata, & iussum, vt pasceret, continuo prædixit martyrium eius, quod boni pastoris proprium est; & ad quod charitas, cum opus est, bonum pastorem, non repugnantẽ, sed libentem, & exultantem adducit, cum esses, inquit, iũior, &c. Hactenus de expositione consentanea alijs locis scripturæ, & circunstantiæ loci. Tertium à te obiectum, sed non probatum erat, nõ esse expositionem consentaneam ipsis contextus verbis, sic enim tu dicis, de quo paulo post respondebo, cum de articulo quod opposuisti, refellam, nunc sequar ordinem tuarum futilium cauillationum.

CAPVT XXIIII.

Quomodo omnibus pastoribus dictum est illud, Pasce oues meas: & quomodo fides Petri transeat ad successores, non autem necesse sit vt transeat charitas, & quomodo per scripturam probatur, fidem esse posse sine charitate.

„ *Subiungis enim*, Cæterum, rescire velim ex Turria-
„ no, quamobrem hæc verba, Pasce oues meas, ad
„ Pontificem Romanum longe post exoriturum,
„ potius quam ad Ioannem, Matthæum, reliquosque A-
„ postolos dirigantur, quos non minus fuisse ouium Chri-
„ sti pastores, quam Petrum supra confecimus. *Dicam mil-*

hies

lies, non intelligere te quæ loqueris, neq; de quibus affirmas. Nos enim nunquam diximus, neq; dicturi sumus, non esse hoc dictũ Pasce oues meas, reliquis apostolis, immo etiam omnibus alijs pastoribus, siue quos ipsi apostoli, dum essent in vita, constituerunt, siue alijs eorum successoribus, hoc tamen interest, quod hoc singulariter dictũ est Petro, reliquis verò omnibus cõmuniter dictũ est in Petro: etsi Apostolis quidẽ excellentius, quã reliquis dictum est, quod Petro omnium excellentissimè, id est, primò. Quod autem dicis de apostolis, quos nõ minus fuisse ouium Christi pastores quam Petrum supra confecimus, Neq; quod hic dicis, intelligis. Vnus enim quiuis pastor qualis illecunq; sit, & quantuscunq;, non magis, neq; minus Pastor est, quam quilibet aliorum. vna.n. ratio est pastoris, quã supra auctore Basilio explicaui, ne eadem repetamus, etsi alij sunt maiores pastores, alij minores, vt in triangulis aiebam, non magis triangulum esse maiorem, quam minorem. Certum enim est fuisse Apostolos maiores pastores, & quos ipsi dũ viuerent, constituerunt, minores. Ita dixi supra propinquius succedere apostolis archiepiscopos, qui sunt maiores, quam episcopi, quibus per prouincias suas præsunt, qui sunt etiã successores apostolorum minores; sed omnes accipiunt à Deo in Petro, & per Petrum charisma potestatis spiritualis pascendi oues Christi. Nisi .n. ita prouisum esset, non potuisset esse vnitas Ecclesiæ. Quomodo enim vnitas Ecclesiæ consistere potest, nisi præpositi, siue pastores Ecclesiæ omnes secundum ordinẽ, & gradum suum sint vnum? vnum verò quomodo fieri possunt, nisi omnes ad vnum, qui sit origo, & fundamentum vnitatis eorum, reuocentur? hic ergo Petrus, à quo vno, sicut beatus Cyprianus ait, vt origo vnitatis Ecclesiæ inciperet, sua auctoritate dominus Iesus disposuit, successorem in cathedra, & sede sua reliquit, vt in eo vno origo eiusdem vnitatis Ecclesiæ conseruaretur, & perpetuaretur, sicut à domino dispositum fuit. Videamus iam conclusionem: quòd igitur ais, Te rescire velle ex Turriano, quare hæc verba, Pasce oues meas, ad Pontificem Romanum postea exoriturum potius dirigãtur, q̃ ad apostolos, quos nõ minus fuisse pastores, q̃ Petrum supra à te confectum esse dicis:

Quomodo dictũ est omnibus pastoribus in Petro vnicuiq; eorũ, Pasce oues meas.

Quomodo quod Antonius dicit non minus fuisse apostolos ouiũ Christi pastores, quã Petrum, verum est, sed non intelligit, quomodo verũ est.

Quomodo vnitas Ecclesiæ cõsistere non potest, nisi omnes præpositi, siue pastores vnũ sint, & vnũ esse nõ possunt, nisi omnes ad vnum reuocentur.

hæc est causa Antoni, quam paulò ante dixi, quod ita auctoritate
Quare hæc verba pasce oues meas ad successores Petri dirigantur, & Antonius quærit.
sua Dominus disposuit, vt B. Cyprianus tuus, & idem noster testis affirmat, vt ab vno Petro origo vnitatis Ecclesiæ inciperet. Hoc autem cum non disposuerit Dominus ad tempus, id est, quandiu Petrus superstes esset, quis enim nisi planè amens hoc dixerit? sequitur disposuisse, vt post mortem Petri alius succederet, à quo similiter origo vnitatis Ecclesiæ inciperet, quod fieri non poterat, nisi hæc verba Pasce oues meas, sicut dicta sunt Petro nominatim, & singulariter, ita ad eum, qui per vicariam ordinationem ei post mortem succederet, nominatim, & singulariter dirigerentur. Hoc tantùm interest, quod hæc verba Pasce oues meas Petro dicta sunt à Christo immediate; successori verò dicuntur à Christo per vicariam ordinationem, quæ ministerio episcoporum fit. Cæteris autem Apostolis dicta sunt in Petro sine alio ministerio intermedio, quatenus in illo erant vt in capite, licet non tanquam successores Petri, nec in illo gradu primo, & vno, in quo erat Petrus radix totius ordinis sacerdotalis. Exposui, quod dixisti, te velle rescire ex Turriano, quare hæc verba, Pasce oues meas, potius ad Pontificem Romanum, quam ad Apostolos dirigerentur. concludis ergo perperam, ita exponit Turrianus, Pasce oues meas, id est, tu solus per te ipsum, quandiu superstes fueris, deinde per vnum tuũ successorem pasce. Commentum tuum est hoc. Tu enim, quia neque quæ ego dico, intellexisti, & quod peius est, neque quod tu dicis, finxisti hoc; vt hoc absonum, & absurdum mihi impingeres. Nisi enim ita scriberes, non haberes, quid scriberes. Vbi ego hoc dixi, pasce oues meas, id est, tu solus per te ipsum? si nusquam dixi, pudeat te saltem tui commenti, & mendacij. Explicaui antea, quemadmodum Petrus per se, & per alios tum Apostolos, tum ordinatos ab Apostolis pasceret. Non opus est eadem repetere. deinde per vnum tuum successorem pasce: verum est hoc, sed non vt successor solus per se ipsum, sic enim tu intellexisti, sicut in Petro finxisti à me exponi, pasce oues meas, id est, tu solus per te ipsum. Pergis deinde dicere, & non probare, vt perpetuo facis, Quæ quidem expositio non con-

Antonij commentũ.

contenta est ipsius contextus finibus. *nõ intelligo, quos fines contextus dicas; neque tu explicas; neque quod dicis, probas. hic asperfisti sales, vt fatuitatem tuam condires.* Sed Iesuitarum, *inquis*, more longè lateque excurrit, atque diffunditur. *Scio, quare non placeat tibi expositio huius loci, Pasce oues meas fusius & vberius tractata, quia vt summus orator disputans de natura deorum dixit, quæ breuius, angustiusque concluduntur, tum apertiora sunt ad reprehendendum. Angustia enim, inquit, conclusæ orationis non facilè se ipsa tutatur. Et conclusa aqua facilè corrumpitur. Eadem ratio est; cur displiceat tibi excursio Iesuitarum, quia quocunque excurrunt per Germaniam, & alias nationes, ac prouincias, vberes fructus in Domino ferunt.* Itaque corruit, *ais*, sola ἀποφάσει. *Non hoc didicisti in officina Aristotelis, sola negatione iugulare, vt superiore tua translatione vtar. immo nec in officina Zenonis, qui, quamquam breuius angustiusque concludere solebat, non tamen ita breuiter, vt sola negatione vteretur. Faciebant fortassis hoc Pythagorici, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex ijs quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, ipse dixit, ipse autem erat Pythagoras. Puto etiam, si quid negarent, cùm ex ijs quæreretur, quare negarent, respondere solitos, ipse negauit, siue ipse dixit, non ita esse. Vester Pythagoras fuit Martinus Lutherus, cuius tantum apud Protestantes opinio præiudicata potest, vt sine ratione valeat eius auctoritas. ac puduit te negare solum, sine ratione. Idcirco correctionem adhibuisti negationi, reddis enim causam, cur neges pertinere hunc locum, Pasce oues meas, ad Primatum Petri,* quia nihil hic, *vt dicis*, de primatu Petri, nihil priuatim de vno Petri successore; nihil de Romano Pontifice videmus, neq; tu etiam, nisi tibi fortassis idem contigerit, quod illi, qui sibi duplices Thebas videre videbatur. *Nihil vides in hoc loco, Pasce oues meas, de primatu Petri, neque de successore, quia non vis videre, id est, intelligere; intelligere autem non vis, quia non vis credere, sicut scriptum*

Sales Antonij in Societatem Iesu mordaces.

Quare expositio loci, pasce oues meas fusius tractata Antonio displiceat.

Quare excursio Iesuitarum, quos Antonius vocat, ei displiceat.

Antonius Sadeel sola negatione didicit iugulare, ipse viderit, in qua officina hoc didicerit.

Quomodo fuerit Pythagoras Protestantium Martinus Lutherus.

Quare, & quo nõ videat in loco Euangelij pasce oues.

meas Antonius, quod dicit se non videre.

ptum est in Esaia, nisi credideritis, non intelligetis. Nos, qui euangelio credimus, & hunc locum, Pasce oues meas, & alios locos euangelij cum hoc congruentes secundum Apostolicam traditionem sanctorum patrum & omnium Ecclesiarum testimonio confirmatam intelligimus, non duplices Thebas, vt tu somnias, sed vnas videmus, id est, vnam domum dei cum vno patre familias; vnam Ecclesiam cum vno primatu Petri, qui in successoribus suis viuit. Vnus enim est primatus Petri, & successorum eius, quia Petrus, & successores eius vnum sunt. Tu tu Antonies, qui vnas Thebas non cernis; id est, vnam Ecclesiam Catholicam per cunctum orbem diffusam non credis; non ob aliam causam, nisi quia te & Protestantes tuos condemnat, & anathematizat. Adiungis deinceps. Quin potius si velim vrgere hæc verba, Amas me, facile cuertã tuum illud commentũ de pontificia successione. Amor enim Petri erga Christum fuit donum personale nõ minus, quam eius fides, neque transire ad successorem nisi " κατὰ μίμησιν vnquam potest. Dic mihi Antoni, cum dominus dixit Petro in Euangelio Lucæ, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, putas ne voluisse dominum consultum esse solum Ecclesiæ fratrum quæ superstite Petro futura erat? an Ecclesiæ etiam futuræ post Petrum fraternitatis? quis ambigere cum ratione potest, quin consultum esse voluerit, & prouisum Ecclesiæ perpetuò futuræ? Quis enim Rex tam imprudens est, & regni sui tam negligens, & contemptor, vt non velit regnum suum ita bene constituere, vt, si possit fieri, non solum quandiu viuit filius, stet, & floreat; sed etiã post mortem filij nunquam desit successor, qui regnum bene fundatum stabiliat, & amplificet? Igitur cum Christus rogauit patrem pro Petro, cui iubebat confirmare fratres suos, id est, totam Ecclesiam, vt non dificeret fides eius: fide enim firma Petri stabilienda erat tota fraternitas, id est, Ecclesia; pro omni successore Petri rogauit, ne fides eius deficeret, nisi vis minus prouidum fuisse dominum vtilitatis regni sui, quàm sint filij huius sæculi, quos ipse condidit.

Quomodo vnũ primatum Petri videmus in successoribus eius, in quibus Petrus viuit.

Quare Protestantes cũ suo Antonio Ecclesiã Catholicam per cũctum orbem diffusam non vident.

Quomodo cum Christo pro Petro rogauit, ne deficeret fides eius, pro eius successoribus idẽ rogauerit.

didit. Ex ista fide Petri, pro quo postea rogauit dominus, ne fides eius deficeret, profecta fuerat prius illa cælestis, & generosa Petri confessio de Christo filio Dei viui, quam nomine omnium apostolorum vt feruidior, & promptior anticipauit, & edidit. Huius fidei, quam gratia Dei nobiscum in nobis operatur, hæredes sunt, qui in cathedra Petri sedent; cum enim rogauit pro Petro, ne fides eius deficeret, quia hoc ad vtilitatem Ecclesiæ vsq; ad consummationem sæculi, vt bonus, sapiens, & potens prouidebat, simul rogauit, ne vnquam deficeret successor in cathedra Petri cum eodem charismate fidei non deficientis. transit quidem fides Petri ad successorem κατὰ μίμησιν, id est, secundum imitationẽ, quatenus nemo inuitus credit, quia fides, vt est in doctrina apostolica libri VIII. Clementis Rom. charisma Dei est, ὅπερ ἡμετέρᾳ εὐνοίᾳ καὶ σπουδῇ γίνεται, δῆλον ὅτι βοηθουμένοις ὑπ' αὐτοῦ, id est, quod Deo adiuuante, nostra bona voluntate, & in Deum beneuolentia, atq; studio acquiritur, sed vt ei, qui per vicariam ordinationem Petro successerit, nunquam hoc charisma fidei quandiu cathedram Petri tenet, deficiat; hoc Christus patrem rogauit. Quod qui negat, euangelio non credit, neq; prouidum, neq; bonum, neq; potentem Christum cõfitetur, sed potius incautum, inuidum, & infirmum impiè facit. Quod si tu cum tuis Protestantibus, quos decepis, non creditis esse hoc charisma prærogatiuum in cathedra Petri, id est, in successore eius, credite ijs, quæ vestis oculis videre potestis. Euoluite historias, & legite catalogos episcoporum, qui Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymis, quæ sedes apostolicæ sunt, successerunt, & videbitis quàm multi, non vno tempore, sed diuersis, hæretici in eis sederunt, quos omnes apostolica sedes Petri Romana semper prima dãnauit: euoluite etiam concilia œcumenica, & eorum acta, atq; historias, & reperietis omnia à Pontifice Romano approbationem petiuisse propter charisma pontificatus in Petro primo fundati, & semper in successoribus eius, cum eadem prærogatiua fidei non deficientis vsq; in hodiernum diem continuati. Multa quæ huc pertinebant, scripsi libro 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei, vt alios libros meos nunc taceam, in quibus idem feci, reperies in eis, sile-

Quomodo fides Petri transeat ad successores per gratiam & bonã voluntatem hominis.

De charisma te fidei, quo modo in nobis existat, & vnde.

Quomodo qui nõ credit esse successoribus Petri charisma prærogatiuum fidei nunquã in cathedra Petri deficientis, euangelio non credit, neq; Christũ confitetur prouidũ, bonũ, & potentẽ.

si legere libeat, quæ antea fortasse non legisti. Veniamus iam ad illa verba, Petre amas me, Quæ dicis si vrgere velles, posse te euertere pontificiam successionem. *Videamus, quomodo vrgeas, & non euertas. Conatus enim es vrgere, etsi dissimulas, quantum conari potuisti, amorem Petri ais, cum esset donum personale, sicut fuit fides, non potuisse transire ad successorem. Sic tu successionem episcopi Romani in locum Petri euerti putas. At verò cum non dixerit dominus Petro, ego rogaui pro te, vt non deficiat amor tuus; sed solum, vt non deficiat fides tua, sequitur, non necesse esse, vt amor Petri ad successorem transeat, sicut necesse est, vt transeat fides. Si enim necesse erat, cur non rogauit, vt non deficeret amor, sicut rogauit, vt non deficeret fides? dices fortasse, cum rogauit dominus pro Petro, vt non deficeret fides eius, simul rogasse, vt non deficeret amor; non enim fidem sine amore esse posse; at sicut fides, quia donum est personale, non potest transire ad successorem nisi κατὰ μίμησιν vt tu ais, id est, secundum imitationem, ita nec amor. Disserui de fide, quomodo transeat per gratiam Dei, & bonam voluntatem successoris, & quomodo pro fide eius in Petro rogauerit. De amore verò non necesse esse, vt transeat, idem dominus docuit, qui non dixit, rogaui pro te, vt non deficiat amor tuus, sed vt non deficiat fides tua. Posse autem fidem esse sine charitate, qui negat, verbum Dei plane negat. Etsi enim pater tuus Lutherus negauit epistolam B. Iacobi, qui dicit, fidem sine operibus mortuam esse; non tamen negauit epistolam Pauli ad Timoth. qui ait, finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Si est fides non ficta, est igitur & fides ficta; quia si vnum contrarium est, & alterum necesse est esse, vt in schola philosophiæ didicisti. Quomodo enim diceret fidem non fictam, nisi nouisset fidem fictam, siue hypocriticam? non quia sit falsa fides, sed quia non prodest homini ad salutem, nec est finis præcepti. qualis autem sit huiusmodi fides, in eodem loco docet apostolus; si enim fides non ficta, coniuncta est cum charitate, & corde puro, ac bona conscientia, fides ficta erit sine charitate, & sine puritate cordis & cum mala conscientia. Rursus si negas cum magistro tuo epi-*

Quomodo dominus nō rogauit pro Petro secundum euangeliū, vt non deficeret amor eius, sed ne deficeret fides eius.

Quomodo dominus docuit, non necesse esse, vt amor Petri transeat ad successores eius, sicut docuit necesse esse, vt transeat fides.

Fidē à charitate separari posse contra dogma Lutheri.

Qualis sit fides sine charitate, quomodo docuit apostolus.

epistolam Iacobi, qui fidem sine operibus mortuam esse dixit, at non negas, sicut neque Lutherus negauit epistolam Petri priorem, in qua, spem viuam dicit in principio Epistolæ. Est igitur & spes mortua, eadem ratione, quam paulo ante dixi de contrarijs, at spes sine fide esse non potest, siquidem in ratione eius continetur; est enim fides, vt Apostolus ait, substantia rerum sperandarum, & quæ sequuntur. Est igitur necessario sicut spes viua, & spes mortua, sic fides viua, & fides mortua. Transire igitur potest fides sine amore, siquidem separabilis est; & scripturam, & naturam negat, qui fidem à charitate inseparabilem esse tradit, vt tradidit Lutherus tuus, filius maledictionis, qui neque fidem, neque charitatem habuit. Deinde si scripturam negat, qui tradit amitti potestatem iudicandi, & docendi verbum, amissa charitate; sequitur, vt scripturam quoque neget, qui tradit, non posse dari potestatem iudicandi & docendi, nisi detur prius charitas. Negat autem scripturam, qui illud superius tradit, cum apostolus iudicium Romanorum probet, vitam, & facta eorum non probet, sed accuset, scimus enim, inquit, quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt, existimas autem ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quod tu effugies iudicium Dei? & in epistola ad Corinthios 2. cap. XI. de pseudoapostolis illis, qui prædicantes euangelium, volebant sua falsa dogmata tradere, non negat, quamuis pseudoapostoli essent, quin haberent potestatem dandi spiritum S. cum enim qui falsam doctrinam prædicat, secundum formam Ecclesiæ baptizat, consecrat, absoluit, spiritum S. tribuit, sic enim ait, nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, rectè pateremini. dabant igitur spiritum pseudoapostoli, si erant, qui spiritum Sanctum accipiebant. & dominus in Euangelio Ioannis cum mulierem deprehensam in adulterio, ab scribis & phariseis, tentandi causa ad Christum adductam, interrogauit inquiens, vbi sunt, qui te accusabant, nemo te condemnauit? quæ dixit, nemo domine. Non interrogasset,

Sicut in scriptura est spes viua, sic spes mortua, & sicut spes viua, & mortua; sic fides viua, & fides mortua, quia spes sine fide esse non potest.

Martinus Lutherus neq; fidem, neq; charitatem habuit.

Quomodo pseudoapostoli in epist. ad Cor. 2. c. xi. spiritum S. dabant.

vtrum nemo eam condemnasset, si scribæ & pharisæi, qui illam adduxerant, condemnare eam secundum legem Moisis, in cuius cathedra sedebant, non potuissent, neq; eis dixisset, qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, nisi iudices eos esse cognouisset, alioqui accusauit eos tacitè, quod eadem facerent, quæ iudicabant; ipsi enim adulteri etiam erant. Immo de eisdem scribis, & pharisæis præcepit in Euangelio Matthei, inquiens, super cathedram Moisis sederunt scribæ, & pharisæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. nisi spiritum fidei ad docendum veritatem legis & secundum eam iudicandi accepissent, nunquam dominus præcepisset, vt quæcunque in cathedra Moisis dicerent, seruarentur, & fierent. Hi enim erant successores eorum LXX. *quos in libro Num. cap. xi. Moises iussu Dei elegit, quibus Deus de spiritu Moisis, vt scriptura dicit, tradidit, vt sustentent, inquit, tecum onus populi, & non tu solus graueris. Quod si ad hos transibat spiritus fidei & veritatis, quo & veritatem legis de cathedra Moisis tradebant, & ex lege recte iudicabant, alioqui turpiter, & sine charitate viuentes; cur tu Antoni contra aperta testimonia & exempla scripturarum putas non posse esse in successore Petri charisma fidei Petri, sine charitate & sanctitate eius? neque posse eum de cathedra Petri docere veritatem, & iudicare verum iudicium, nisi sanctitatem Petri habeat? ô cæcam mentem & omni luce veritatis priuatam. Progrediamur vlterius, & exhauriamus sententiam tuam.*

Quomodo cũ scripturis sanctis pugnet tradere nõ posse esse charisma fidei Petri & potestatis eius in successore, nisi sit in eo charitas Petri.

CAP.

CAPVT XXV.

Quibus nominibus antiqui patres & Ecclesiæ doctores Euangelium sequentes Petrum appellauerunt, vt primatũ eius declararent. Item de falsa interpretatione loci Pauli facta è Græco ab Antonio. de loco illo Euangelij Ioann. alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & de Apostolis ad varias regiones orbis ad prædicandum non sine iudicio & voluntate Petri profectis. Et de obseruatione Basilij in vsu articuli, ex qua intelligitur significare articulum in loco Ioannis Pasce oues meas, omnes oues.

DEinde, *inquis*, nouam planè in hac quidem quæstiõe significationem affingis verbo pascendi, dum eo significari putas summum Petri in vniuersam Ecclesiam principatum. *Ego non hoc verbo tantũ, significari vnquam dixi, principatũ Petri in vniuersam Ecclesiã, vt tu fingis; neque nouam significationem affingo huic verbo, vt tu per ignorãtiam dicis, non intelligens quid dicas. Verbũ enim hoc pascendi non est proprium hic, sed translatum. Et eadem translatione verbi vsus est Esaias cap. 40. cum de Christo prophetans ait, sicut pastor pascet gregem suum. Ego verò neque vllam nouam significationem propriam huic verbo dedi, neq; nouam translationem affinxi, nec intelligo, quid dicas; immò neque tu. Principatum, vt dixi, Petri nunquam hoc verbo solo pascendi significari putaui. Sed his verbis, pasce oues meas, collatis cum alijs locis Euangelij à me supra notatis, & explicatis, dico, & affirmo declarari principatum Petri in vniuersam ecclesiam, sicut à me antea probatũ est, ne more tuo dicã tantum & non probem. Et si expositionem huius loci, pasce oues meas, habere vis μονόρρητον, siue μονόλεκτον, id est, vno verbo comprehensam, hunc locum, & alios cum eo in eandem sententiã, de quibus iam dictum est, consentientes, secuti veteres, tum sancti patres, & doctores Ecclesiæ, tum patriarchæ, & alij episcopi antiqui, tum imperatores, sic in libris, & epistolis suis Episcopum Romanum appellauerunt, πρόκριτον, ἔξαρχον, πρόεδρον, πρωτοστάτην, κορυφαῖον, κορυφαίαν ἀκρότητα, ἀρχιποιμένα, siue ποιμενάρχην, ἡγεμόνα, πρωτεύοντα,*

Quibus nominibus Euangeliũ sequuti antiqui Primatum Petri declarantibus eũ appellauerũt.

τίνοντα, πρωτόβαθρον, *Chrysostomus vocat in homilia in Petrum, & Paulum* καθηγητὴν τῶν ἀποστόλων, ἀρχὴν τῆς ὀρθοδοξίας, μέγαν τῆς ἐκκλησίας ἱεροφάντην, τῆς οἰκουμένης ἁπάσης διδάσκαλον, *& in homilia in xi. Apostolos,* πρωτότοκον τῆς τοῦ καλοῦ ποιμένος ἀγέλης πρόβατον, *id est, ouem primo genitam gregis Christi boni pastoris. Quis autem ignorat ad primo genitum pertinere primatum, nisi quid obstet? Et alij alijs eiusmodi nominibus, quæ primatum Petri declarant, eum appellauerunt, & nisi longum esset, locos & testimonia nominatim, & sigillatim recitarem; sed non est tempus, & volumen iam non producendum, sed contrahendum est. Ais, de-*

» *inde,* neque mouet, quod ex hoc loco 1. Petri 5. obijcis vni-
» cuique pastori commendari quidem suum gregem, in
» hoc autem elucere primatū Petri, quod omnium simul
» Ecclesiarum curam gesserit, hoc enim fecit Petrus, vt A-
» postolus, non vt primus Apostolus. *Hoc tu tuo more dicis tantum, & non probas, vt nunquam desinas esse Parmenianus ille apud Augustinum.* Quo fit, *inquis,* vt Paulus affirmet, sibi
» maximam omnium Ecclesiarum curam incumbere: ag-
» men illud, inquit, in me quotidie consurgit, nempe so-
» licitudo de omnibus Ecclesijs 2. Corinth. cap. 12. *Non notassem hunc locum, nisi quia videris arrogare tibi scientiam linguæ Græcæ. Quid est illud agmen quod dicis? Sic enim vertis è Græco verbum* ἐπισύστασις, *sic enim legit Theodoretus, qui sic interpretatur, sistit me quotidie in iudicio, & circumduci quotidie per carceres, per subsellia, per tribunalia. Chrysostomus in Homilia de Ieiunio Quadragesimæ* ἐπανάστασις *legit, quod verbum significare dicit* συστροφήν, *id est, coitionem, quales frequenter in Paulum fiebant. Coitionem verò non significat istud tuum agmen, quod ita intellexisti, quasi ipse Apostolus Paulus exponeret, sic enim vertis, agmen illud in me quotidie consurgit, nempe solicitudo de omnibus Ecclesijs. Quid ineptius exponi potest? solicitudinem de omnibus Ecclesijs quam par erat continuam esse, & illo pectore Apostolico dignum, nunquam intermittere, facit Antonius bellus quotidianam. O singularem solicitudinem, quæ quoti-*

Expositio loci Pauli è Græco prauа Antonij Sadeelis.

quotidie, & non potius singulis horis, & momentis vexabat. Si sollicitudo, vt Stoici definiunt, est λογισμὸς λυπηρός. *Cicero vertit, ægritudo cum cogitatione, idem enim est, cogitatio cum ægritudine, quid ita acerbum erat cogitare quotidie dolenter de omnibus Ecclesijs, & non potius semper? Sicut idem aiebat in epistola ad Rom. 9. magna mihi tristitia est, & continuus dolor. Tu vt Apostolum ex parte subleuares, ex duabus vexationibus vnam fecisti,* ἐπισύστασιν, *siue* ἐπανάστασιν εἰς μέριμναν *conuertens, quasi necesse fuisset hic, vt ille articulus* ἡ μέριμνα *haberet vim (vt aliquando solet)* τὸ ἧττι, *aut* ἄγαν, δηλονότι, *& similium. Non est, hic articulus* ἐξηγητικὸς ἢ δηλωτικὸς, *sed* διαιρετικός, *id est, diuidit, & significat de vna affliction ad aliam transitum. Itaque dum odio nostri interpretationem veterem, qua Ecclesia nostra vtitur, declinas, malè vertendo, locum Pauli deprauasti. Sequitur.*

Quod si Petrus dicto cap. 5. se presbyterorũ συνπρεσβύτερον appellauit, non Dominum, aut principem, quanto minus ius illud sibi in Apostolos ipsos arrogasset. *Rectè dicis nesciens, & nolens. Non sibi arrogauit Petrus principatum in omnes Apostolos, sed Dominus, vt principatum haberet, auctoritate sua disposuit. Quia verò Petrus non erat vniuersus episcopus, alioqui non fuissent alij episcopi, episcoporum verò vnus ordo est, neque magis episcopus est vnus quiuis, quam alius, Idcircò sympresbyterum presbyterorum, id est, coepiscopum episcoporum se vocat beatus Petrus. Sed quamuis omnes episcopi sint æquales ordine, est tamen inter eos distinctio gradus; episcopi enim metropolitani maiores sunt Episcopis suis prouincialibus, quibus per prouincias suas præsunt. Pontifex omnibus præest, & maximus est, & solus, & primus; vt Cyprianus martyr testis vtriusque nostrum affirmat: loquens enim libro 4. epistola secunda ad Antonianum de Cornelio facto Pontifice legitimè, sic ait, factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio; de clericorum penè omnium testimonio; de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum*

Quid rectè dicat Antonius nesciẽs & nolens.

Quõ se B. Petrus vocet sympresbyterũ presbyterorum, id est, coepiscopum episcoporum.

Quõ episcopus Romanus primus & solus auctore Cypriano secundum euangelium.

cum locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret, quo occupato, & de Dei voluntate, atq; omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam episcopus fieri voluerit, foris fiat, necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille foris fuerit, multum licet de se iactans, & sibi plurimum vendicãs, profanus est, alienus est, hostis est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est etiam, non secundus ille, sed nullus est. Hactenus *Cyprianus, qui testatur tibi, & tuis Protestantibus episcopum Romanum successorem Petri, & esse primum, & solum; post quem in gradu suo secundus esse non possit. Quid habes quod hic cauilleris bone Antoni. Veniamus ad aliam cauillationem, quam in loco Ioannis, Pasce oues meas, tentasti. Sic enim ais,* Hic
» autem scilicet promis argumentum ex intima quadam
» arte, & linguæ Græcę peritia, nosque totos ad vim vnius
» articuli Græci reuocas: nihil te loci circumstantia, nihil
» alij scripturæ loci consimiles mouent, ipsam deniq; rerũ
» naturam quantum libet reclamantem non audis, sed
» hunc vnum articulum vrges τὰ πρόβατά μου, id est, inquis,
» omnes oues quascunque, atque adeo quotquot dicuntur
» oues, sic enim loqueris. at enim, cùm ita dicit Christus,
» Oues meæ vocem meam audiunt, Ioan. 10. idem articu-
» lus præfigitur, neque tamen verum est eos omnes, qui di-
» cũtur oues Christi, vocem eius audire, eumq; sequi, nam
» hypocritæ dicuntur quidem oues, sed tamen, si propriè
» loquimur, nec audiunt Christum, nec ipsum sequuntur.

Immò loci circumstantia, & alij loci scripturæ, & ipsa natura rei, id est, monarchiæ optimi omnium status Reipub. me, & omnes Catholicos mouent necessariò, vt sic accipiatur locus, & tu es ille, quem neq; loci circumstantia, nec alij loci scripturæ, neque natura ipsa rei mouent; quin omnibus istis, & omnibus ecclesijs tòtius mundi, & ecclesiæ maiorum tuorum omnium à principio Germanicæ Christianitatis propter vnum Lutherũ impium, apostatam reclames. Ego quod dico probaui, tu vt Pythagoricus dicis tantum, quia tuus Pythagoras dixit, & ei dicenti tantum, credidisti; qui te ex-

Quibus reclamet Antonius in intelligẽtia loci Ioannis Pasce oues meas.

pectat,

pectat, nisi vnde ille exiuit, redeas, dum tempus est; antequam veniat nox, quando nemo potest operari. De loco Ioannis 10. si tu tã sagax es in contemplanda circumstantia loci quomodo non intellexisti, oues Christi ibi dici, & esse, qui audiunt Christum? ipse enim dixit ibidem Iudæis, sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Omnes itaq; qui vocẽ Christi pastoris boni audiunt, & sequuntur, oues eius dicuntur, & sunt. Qui verò non audiunt, non dicuntur proprie oues eius. si enim oues eius essent, audirent, & crederẽt. Redeamus, inquis, ad articulum Græcum. Ego quę bene dicis de vsu articulorum, non reprehendo, sed illud accuso, quod ais, adeò vt falso ita concludatur, præponitur articulus, ergo hæc præpositio est vniuersalis, vt patet ex sequentibus exemplis. Quasi hoc ego dixerim, aut ex his, quæ scripsi, efficiatur. Quod ego dixi in paginis à te notatis, hoc est, quod dominus dixit Petro, pasce τὰ πρόβατά μου non posse significare ratione articuli & pronominis nisi τὸ καθόλου, id est, Vniuersaliter, perindeq; esse, ac si diceret, pasce quascunq; oues meas &c. Si dixi ratione articuli, & pronominis, cur tu malitiose ista duo, quæ ego coniunxi, disiunxisti ad calumniandum me? Ego de articulo cũ hoc pronomine μου in eo loco locutus sum, nullum præceptum tradidi de vsu Articuli, quòd significaret semper τὸ καθόλου: immò aliquando significat τὸ μοναδικόν, vt Apollonius vetustiss. Grammaticus notauit, vt cum dico, Ptolemæus ὁ γυμνασιαρχήσας, sed de articulo adiũcto ouibus cum illa circunstantia pronominis μου dixi significare hoc loco omnes oues vniuersaliter. Audi nunc rationem. cum enim Dominus, qui est pastor verus, vni Petro singulariter dixerit, Pasce oues meas, quod reliquis Apostolis non singulariter sed cõmuniter dixit, in ipso, cui singulariter dixit, consequens est, vt tã oues, quæ sunt in ouili Christi, id est in Ecclesia Catholica, quæ vna est, quàm eas oues, quas habet, quæ nondum sunt adductæ ad ouile, quas ipse pastor cælestis nouit, vni Petro commiserit; ipse enim dixit in Euangelio in loco à te citato, alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; illas me oportet adducere, & erit vnum ouile & vnus pastor, & hodiè conuenienter huic sententiæ vniuer-

Expectat Antonium Lutherus, nisi redeat vnde ille exiuit.

Ratio, quare articulus cum pronomine in loco Ioannis significat τὸ κατόλου.

Locus Euangelij alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili &c.

Quomodo episcopus Romanus adducat ad ouile illas alias oues, quas Christus dixit se habere & illas oportere adducere.

Apostolos non fuisse sine iudicio & voluntate Petri profectos ad prædicandum, alio ad alias regiones.

Quòd à nullo ex sanctis patribus dictum est totum orbem cõmissum vlli ex apostolis, nisi Petro.

salis pastor Christi principis pastorum vicarius & episcopus Romanus Petri successor per alios, quibus auctoritatem tribuit, adducit illas alias oues, quas Christus dixit se habere, quæ non erant ex hoc ouili, & eas oportere se adducere. Eunt enim à pontifice missi ad Indos tum Orientis, tum Occidentis, qui cum potestate clauium annuncient Euangelium, quam cum eis secundum Apostolicam traditionem per Ecclesiasticam ordinationem communicat. Immo hoc amplius addam, Apostolos ipsos non sine Petri iudicio, & voluntate profectos, sicut dominus præceperat, ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, alium, vt Hippolytus martyr narrat, ad Scythiam, & Thraciam iuisse, vt Andreas, & ad Græciã etiam, vt Chrysostomus auctor est; alium ad Phrygiam, vt Philippus; Bartholomæum ad Indos: Thomam ad Parthos, Medos, Persas, & Hircanos, & Æthiopes, vt Chrys. testatur: Bartholomæus ad Lycaoniam, vt idem Chrys. in Homilia in 12. & alios aliò secundum cuiusq; mensuram, & regulam. Congruit cum hoc, quod dico, quod apost. in epist. 2. ad Cor. scripsit cap. x. aduersus pseudoapostolos, quos, vt Chrys. ait, verisimile erat, arroganter dicere, orbẽ terrarum conuertimus, & ad fines orbis terræ peruenimus, nos autem inquit Apostolus non in immensum gloriabimur, sed secundũ mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingẽdi vsq; ad vos, non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos. Quem locum explanans Theophylactus, Chrysostomum, qui idem dixit, secutus, sic ait, ὥσπερ γεωργοῖς ἀμπελῶνα διαμερίζων ὁ θεὸς οὕτω καὶ ἡμῖν τοῖς ἀποστόλοις τὴν οἰκουμένην ἐμέρισε, id est, tanquam agricolis vineam distribueret Deus, sic orbem terrarum nobis apostolis dispertiuit, & assignauit. Petrum verò magistrum totius orbis, & ei totum orbem commissum, frequenter idem Chrysostomus dicere solet, quod de nullo alio apostolo à sanctis Patribus dictum esse reperitur. Qui igitur credit, super Petrum ædificatam esse Ecclesiam; sicut dominus singulariter dixit Petro, tues Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, cum in hoc loco, Pasce oues meas, consideret circumstantias, cui dicatur; Petro enim vicario suo dicitur, super quem ædificata est Ecclesia,

Circunstantiæ in loco Ioannis Pasce oues meas, considerandę ad intelligendũ cõmissas esse omnes oues Petro.

Quę sit causa, cur Antonius non intelligit significari omnes oues in loco Ioãnis, cũ ait Pasce oues meas.

stia; & quis dicit, dicit enim ipse, qui est summus omnium pastor in cælo & in terra, qui super Petrum ædificauit Ecclesiam, & præcepit ei confirmare fratres suos: facile ille quidem intelligit, articulum illum cum pronomine significare hic τὰ πρόβατά μου omnes oues, quæ ad vnum ouile Christi pertinent. Sed quia tu non credis ædificatam esse Ecclesiam super Petrum, neque dictum esse Pasce oues meas ei, super quem ædificata sit Ecclesia Catholica, idcirco non intelligis habere hoc loco hanc vim articulum illum cum pronomine, vt significet omnes oues ouilis Christi commissas esse Petro. Quia nisi credideritis, ait propheta Esaias, non intelligetis. millies mihi repetendum est hoc aduersus te, qui fidem amisisti, & ideò non intelligis hæc. Deinde, notasti ex recondita tua disputandi arte, propositiones indefinitas non esse passim neque temere cum vniuersalibus confundendas, sed ex circunstantia, & pro ratione subiecti dijudicandas: verum est hoc, quod dicis, sed non intelligis contra te dicere, si quidem hæc propositio imperatiua βόσκε τὰ πρόβατά μου, nõ est confundenda cum hac, βόσκε τὰ πρόβατά μου. illa enim significat βόσκε πρόβατα τάδε ἢ τάδε, id est, Pasce oues has aut illas ἀδιορίστως, id est, indiscretè siue indefinitè; neque tu negabis, si vllam litteram græcam didicisti. Hæc verò, βόσκε τὰ πρόβατά μου, ab illa differt, non ob aliam rationem, nisi quia in illa priore propositione πρόβατα, id est, oues, sine articulo significat vniuersale non vniuersaliter, sicut Arist. libro priore Peri hermenias tradit: in hac verò posteriore significat τὰ πρόβατα id est, oues cum articulo vniuersale vniuersaliter, sicut omnes oues. τὸ γὰρ τὰ πρόβατα ἰσοδυναμεῖ ἐνταῦθα τῷ τὰ πρόβατα. sed quia tu semper dicis tantum, & nunquam probas; ego rursus, qui nihil contra te dico quod non probẽ, probabo etiam hoc & quidẽ testimonio Magni Basilij, cui tu non audebis obijcere ignorantiam linguæ Græcæ. Is igitur in regulis breuioribus interrogatione 4. quis est, inquit, qui qualecũq; peccatũ, paruũ vocare audeat? cũ apostolus dixerit, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν θεὸν ἀτιμάζεις, id est, per trãsgressionẽ legis Deũ in honoras, nõ dixit, διὰ παραβάσεως τόδε ἢ τόδε, ἀλλ' ἀδιορίστως ὁλονότι διὰ πάσης παραβάσεως, id est, nõ dixit per trãsgressionẽ

Loci scriptutæ obseruati à beato Basilio de vsu articuli significantis καθόλου ex quibus demonstratur vis articuli in loco Ioannis Pasce oues meas.

hanc, aut illam, sed indiscrete per omnem transgressionem legis Deum inhonoras. Rursus ibidem, εἰ δὲ τὸ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία οὐχ ἥδε, ἢ ἥδε, ἀλλὰ τῷ ἀδιορίστῳ δηλονότι πᾶσα ἁμαρτία, *id est, si autem stimulus mortis peccatum, non hoc, aut illud, sed indiscrete omne peccatũ; sic Basilius. Ex istis igitur duobus locis à Basilio in scriptura obseruatis, si quid ingenij habes, poteris hunc vsum articuli discere, & locum Ioannis Pasce oues meas, sic esse, vt dixi, intelligendum, ac si mihi tempus esset, possem demonstrare, nullum locum ex ijs, quos ex scripturis citasti de articulo, contrarium esse huic obseruationi magni Basilij. Quin potius alia ratione, quam tu non intelligis, adhiberi in illis locis articulum. Deinde tanquam legislator,* Ita igitur, *inquis,* statuamus, hæc Christi verba, Pasce oues meas, non vniuersalem omnium aggregationẽ, sed eorum qualitatẽ significare, qui erant adducendi ad Euangelij cognitionem. *Quam qualitatem dicas, nemo intelligit, neq; tu explicas, quia neq; tu quid diceres, intellexisti,* Est .n. *inquis,* articulus hoc loco διακριτικός. *Quia Græce dixisti, non opus erat, vt probares esse* διακριτικὸν, *id est, habere vim distinguendi, ego verò iam probaui ex alijs scripturæ locis cum hoc collatis, & ex circunstantia loci, & testimonio obseruationis beati Basilij in vsu articuli, non esse* διακριτικόν *hoc loco articulum, sed* ἀδιοριστικόν, *siue* ἀδιακριτικόν, *id est, non esse, vt ita dicam, discretiuum sed potius indiscretiuum, quia vniuersaliter significat iuxta obseruationem beati Basilij, qui dixit in illis locis supra obseruatis, significare articulum* τὸ ἀδιόριστον. *Est, fateor, aliquando articulus* διακριτικὸς, *qualis in hoc loco esse non potest, vt in illo loco Pauli Corinth. 2. cap. 12.* ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, *articulus ille* τὸ *oppositus paradiso, distinguit paradisum ab illo tertio cælo, significatque esse alium locum paradisi separatum à loco cæli. Obseruauit hoc S. Epiphanius in Anchorata, item in illo loco, quem tu paulo ante male intelligẽdo pessime è græco vertisti,* ἐπισύστασις μου καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν ἐκκλησιῶν, *articulus discernit solicitudinẽ omnium Ecclesiarum ab illa instantia quotidiana, quam interpres vetus dixit. Tu verò vnam vexationem ab altera non distinxisti,*

sed

sed potius vtramque in vnum confudisti, faciens ex articulo διακριτικῷ, *siue* διαιρετικῷ, *articulum* συγχυτικόν, *id est, ex articulo distinctiuo fecisti articulum confusiuum. Ista est ars tua benè disputandi, ad quam me sæpè prouocas. Deinde ais,* bis igitur à te in hac argumentatione peccatum est, primum quidem παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, cum ex articulo vniuersalem propositionem collegisti, (vt modum imperandi taceam) *Nec hic intelligis, quod loqueris, & de quo affirmas, Ego enim* τὸ ταυτὸν ὡσαύτως ἑρμηνεύω, *id est, quæ idem sunt, similiter interpretor, vt in hoc loco* τὰ πρόβατα, *&* πάντα πρόβατα *idem sunt, id est, oues cum articulo, & omnes oues, vt iam probatum est. Tu verò quæ sunt idem, dissimiliter interpretaris; & ex falsis falsum concludis. Deinde, ais,* etiam peccatũ est παρὰ τὸ ἑπόμενον, cum ita perperã, id est, Turrianicè concludis, Petrus iubetur pascere oues Christi, ergo solus. nam φέρω ἔνστασιν, de reliquis Apostolis. *hic quoque Græcè loquitur Antonius, vt videatur ab ijs, qui non intelligunt Græcè, aliquid dicere. ego nunquam sic argumentatus sum, neque nunc argumentor, sed sic, Petrus iubetur primo pascere, ergo primo solus pascit; reliqui enim Apostoli non primo iubentur pascere, sed in Petro, qui primo singulariter iussus est pascere, communiter iubentur pascere. Tuus ergo paralogismus, vt verbis Arist. vtar,* ἐμποιεῖ φαντασίαν παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν, *id est, tua captiosa argumentatio speciem falsam efficit argumentationis propter homonymiam, id est, propter plura significata, quæ verbum, dicere, æquiuocè significat; dici enim potest aliquid alicui immediatè & primo; & alijs non sic, sed in alio; hanc enim vim habet argumentatio tua, omnibus apostolis iussum est pascere, non igitur solus Petrus iussus est pascere. Fallit propter homonymiam verbi, dici, omnes enim Apostoli iussi sunt communiter in Petro; Petrus iussus singulariter & primo, non in alio, sed in se. Postremo, vt iam tandem ad calcem veniamus,*

Antonij paralogismus, & fallacia, qua se & alios decipit.

CAPVT XXVI.

Responsio ad locum Cypriani ab Antonio obiectum de vno Episcopatu, cuius pars à singulis in solidum teneatur. Et quomodo falsum sit, quod ait commissum esse in solidum Petro & alijs Apostolis pascere omnes oues, & quomodo Antonius, & ante eum Molinæus locum Cypriani repugnantia implicauit. Et quomodo cum dixit Cyprianus Episcopatum vnum esse indiuisum, necessario dixit vnum Episcopum esse. Item responsio ex Cypriano ad id quod Antonius obijcit, Pontifices non oues, sed se pascere.

VIde igitur, *inquis*, quantum tibi largiar, fac
" appositam esse notam vniuersalem, tamē
" nihilo magis efficies id, quod vis; nec enim
" nouum est rem vnam multis in solidum
" committi. Esaias missus est ad vniuersos
" Iudæos; atque eisdem temporibus Osias erga ipsos Iu-
" dæos munus propheticum obijt; Apostolis omnibus ita
" dixit Christus, eritis mihi testes vsque ad vltimas terras
" Actorum 1. & aliquanto pòst ita Paulum affatur Ana-
" nias, eris ei testis apud omnes homines Actorum 9. & 2.
" & quamuis Paulus se Gentium Apostolum profiteatur,
" nemo tamen hactenus, qui modo sanus fuerit, aliquid
" propterea reliquis Apostolis detraxit. Quia verò in hac
" quæstione sæpè laudas Cyprianum, eumque grauissimū
" auctorem appellas, in spem venio, te hæc illius verba
" agniturum. Episcopatus, inquit, libro de vnitate Eccle-
" siæ, vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.
" Ecce tibi solutio tui sophismatis Turriane, non iam à
" nobis, sed ab ipso Cypriano producta. si enim singuli
" Episcopi vnius Episcopatus partem ita tenent, vt ipsum
" Episcopatum in solidum teneant, quia est indiuisus, se-
" quitur explodendam esse tuam hac conclusionem, so-
" lum Petrum Christi omnes oues pascere, quia Christus
" dixit, Pasce oues meas. *Vide tu in quot formas necesse sit te*
" *mutari, & quàm lubricum fieri, vt quod dicis, defendas. Iam lar-*

giri

giris liberaliter, dictũ esse Petro pasce omnes oues meas, sed idem in solidum commissum esse alijs Apostolis, quæro igitur nunc, putas ne contineri præfecturam his verbis, ita vt verbum pascere non solũ docere significet, sed etiã præesse? scio non negabis. cum. n. pascere iußit, & cũ potestate ligandi & soluendi, & leges ecclesiæ sanciendi misit, necesse est iurisdictionẽ in oues dedisse, iurisdictio autem sine potestate præfecturæ expediri non potest; immò iam Molinæus iurisconsultus, qui tecum primatum Petri tollit, concessit Ruffo, non prohibuisse Dominum in euangelio præfecturam, cum dixit apostolis, qui maior est inter vos &c. sed ambitionem; si igitur pascere præesse est, quomodo commissum esse hoc Petro, & alijs Apostolis in solidum exemplo Esaiæ, & Oseæ, qui missi sunt ad Iudæos, vt eis prophetarent, probasti? an prophetare præesse erat? & prophetia præfectura? accipiebant ne prophetæ simul cum charismate prophetiæ potestatem in populos, quibus prophetabãt? Quis hoc dicturus est, nisi forte omnes prophetas Danieles facies, aut Samueles, & Iudices populorũ, ad quos mittebantur. vt iam nõ solùm Iudæorum Iudices essent, sed Gentium, vt Ionas Niniuitarum, ad quos missus est; & alij prophetæ, etsi nõ sunt missi ad Gentes. commissum enim est illis prophetare etiam Gentibus, vt Ioel, Abdias, Naum, Abbacum, vt ex eorum proœmijs perspici potest, & Isychius etiam in suo in 12. prophetas prologo obseruauit. Altero etiam exemplo probas commissum esse in solidum Petro, & alijs Apostolis pascere omnes oues, sicut inquis, Apostolis omnibus dixit Christus, eritis mihi testes vsq; ad vltimas terras. Hic etiam quæro, erat ne præesse, fieri testes omnes Apostolos passionis, & resurrectionis Christi, & omniũ, quæ Christus in terra fecit, vt opus consummaret, q̃ dedit ei pater, vt faceret, sicut ipse in Euangelio Ioan. c. 17. dixit? si non erat idem, quorsũ hoc pertinebat? quomodo hoc exemplo probasti, quod volebas? sed accedamus propius. Manifestum est, præesse, quod dã dominari esse, ac proinde si cõmissum est apostolis in solidum præesse omnibus ouibus, sequitur commissum esse eis, esse earum dominos in solidum, nõ quales domini erant, qui Gentibus dominabãtur, quod Christus prohibuit in euangelio,

Quõ iam cõcessit Molinæus Ruffo non prohibuisse Dominum in Euangelio præfecturã, sed ambitionem, cũ dixit Apostolis, qui maior est inter vos, &c.

Quõ redarguatur, qd Antonius dicit commissum esse in solidum Petro & alijs Apostolis pascere omnes oues.

Quomodo Antonius prophetiam facit præfecturam, & testes esse facit præesse.

& B. Petrus in epistola sua priore, cum ait, non dominantes in clero, sed esse dominos ad eorũ vtilitatem, sicut Sara, inquit idem Petrus, obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Erant enim ecclesiæ subiectæ apostolis, sicut mulieres subiectæ sunt viris suis: at Vlpianus, & alij iurisconsulti statuunt duos eiusdem rei in solidum dominos esse non posse. Vnde in concilio Niceno decretum est, vt non sit nisi vnus vnius ciuitatis episcopus, quem canonem se ignorasse Augustinus confitetur, cum sedit vna cum Valerio episcopo, cuius coadiutor factus erat. Sed veniamus iam ad locum Cypriani, quem contra te non intelligens, quid diceres, citasti. Quod mihi quidem, fateor, optandum fuit, vt tuus tandem testis idemq; meus testimonium contra te diceret; & huic contentioni, & meo libro finem imponeret; episcopatus, inquit, libro de vnitate Ecclesiæ, vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur; hoc est testimonium Cypriani, quod tu quidem non explicasti, & repugnãtia quadam siue malitiosè, siue per ignorantiam inuoluisti. Cum subiungis, Si enim singuli episcopi vnius episcopatus partem ita tenent, vt ipsum episcopatum in solidum teneant, quia est indiuisus, sequitur explodendam esse tuã hanc conclusionem, solum Petrum Christi omnes oues pascere, quia Christus dixit, pasce oues meas. *Fateor eam esse huius connexi rationem, vt si superius concedatur, necesse sit inferius concedi; at superius concedi nõ potest, cùm sibi ipsi repugnet, Nihil igitur testimonio Cypriani effectum est, ex quo iudicium causæ pẽdere voluisti. quomodo autem sibi, quod dixisti, repugnet, & ipso testimonio Cypriani tu conuincaris, mox explicabo, si illud prius dixero, eodem modo, quo tu, Molinæum iurisconsultum hunc locum Cypriani admixta repugnantia deprauasse; sic enim scripsit inuertens verba Cypriani, sicut tu, episcopatum vnum atq; indiuisum esse, & penes singulos episcopos in solidum esse oportere,* hactenus Molinæus. *Hunc Mundus Ruffus item iurisconsul. & quidem iudicio omnium eruditiss. ita refellit, & te in eo, nõ potest, inquit, esse hoc ex Cypriani sententia. Nam Cyprianus ait, vnum esse atq; indiuisum episcopatum; non erit igitur is in solidum penes singu-*

Quõ cogatur Antonius concedere, posse esse plures eiusdem rei dominos in solidum, & negant iurisconsulti fieri posse.

Quomodo Antonius testimonio Cypriani, quem citat, cõuincitur.

Quõ repugnantiam Molinæi in testimonio Cypriani recitato Mũdus Rufus cõuicit.

singulos, nisi esset vnus episcopus, & non multi. Quare aut penes singulos ipsum illum episcopatum, qui vnus sit, in solidum necesse est non esse; aut plures esse episcopatus: non sunt autem plures, vt ait Cyprianus, sed vnus tantum; non igitur possunt singuli episcopi qui plures sunt, eum in solidum habere, sed pro parte tantum. Hæc Ruffus. Ego verò quia cũ dialectico disputo, subtilio hoc, quod Ruffus, premam; & φιλοσοφώτερον. Episcopatus, inquit Cyprianus, vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, habet igitur iste vnus episcopatus, quem Cyprianus dicit, partes, quarum vnaquæq; pars ab vnoquoq; episcopo tenetur. Quod si is, qui partem episcopatus, qui vnus est, tenet, ipsum vnum episcopatum, vt tu Cypriano affingis, in solidum tenet, igitur totum non distinguitur à parte: pars enim ad totum refertur, quia pars, totius est pars, totum autem vt non distinguatur à parte, fieri non potest, quia si non distinguitur, & totum est idem simpliciter & in solidum vni parti, eadem ratione esset, idem alteri partium, quæ autem vni & eidem sunt simpliciter eadem, ipsa sibi viciſsim sunt eadem: ex quo rursus fieret, vt episcopatus, qui vnus est totus, non haberet partes diuersas, quas singuli episcopi tenerent. Iam credo intelligis repugnantiam, qua dixi te cum Molinæo testimonium Cypriani inuoluisse. explicemus nunc quomodo ipso Cypriano interprete intelligendum sit testimonium eius, quod produxisti, in quo totam spem causæ obtinendæ collocasti; sic enim dixisti, venire te in spem, vt verba eius agnoscerẽ. vtinam ego in hãc spem de te venire possem, sed, sicut scriptum est de alijs tui similibus in Deut. scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Cum igitur ait Cyprianus episcopatum vnum esse & indiuisum, ipse declarat, quem vocet episcopatum vnum & indiuisum, Ecclesiam scilicet; statim enim subiungit, Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Ecclesia itaq; Catholica vna est ex multis Ecclesijs constans, quarum singulis singuli episcopi sic præsidere debent in Ecclesia Catholica, quæ vna est, vt Episcopatum ipsum vnum atq; indiuisum esse maximè probent, vt idẽ Cyprianus ait, id est ipsam Ecclesiam Catholicam esse vnam & in-

Quomodo demonstretur inuoluisse Antoniũ testimonium Cypriani citatum repugnantia.

Quomodo testimoniũ Cypriani, & Antonius repugnãtia implicauit, & in quo totam spẽ causæ obtinendæ posuit, intelligendum necessario sit ipso Cypriano interprete, qui Antoniũ conuincit.

Quem vocet Cyprianus episcopatum quomodo idem declaret.

diuisam, hoc autem faciunt, cum inter se cohærent, & idipsum dicunt omnes, & non sunt schismata, nec ab origine & capite vnitatis discedunt, quod est episcopus Petri successor. Quid autem sit teneri à singulis in solidum non episcopatum ipsum vnum, quod tu finxisti, & Cyprianus nunquam dixit, sed partem episcopatus, idem Cyprianus, in epist. ad Cornelium tertia, lib. 1. declarat, cū ait, singulis pastoribus, id est, episcopis portionem gregis esse ascriptam, quam regat, inquit, vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus domino redditurus. Hoc igitur est à singulis in solidum partem vnius episcopatus, id est, vnius Ecclesiæ Catholicæ teneri, & gubernari, vt ipse solus qui tenet, in solidum redditurus sit rationem partis, siue portionis sibi ascriptæ illius vnius gregis, de quo dictum est in Euangelio, erit vnus grex, & vnus pastor. De hac ratione in solidum reddenda dixit Apost. in epist. ad Hebr. obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri. exemplum sit huius rationis in solidum reddēdæ à pastoribus ouium rationalium, quod Iacob dixit in Gen. c. 31. ad Labam de ratione, quam reddebat ei de grege pecorum commisso, damnum, inquit, omne reddebam, quidquid furtim peribat, à me exigebas &c. Explanaueram hunc locum Cypriani antea, sed dum tu idem iteras, me quoq; idem iterare cogis. immo iteranda adhuc sunt aliter, quo magis à tuo & nostro teste conuincaris. Cum ait Cyprianus, episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, à singulis episcopis dicit; proximè enim dixerat, quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus maximè episcopi, qui in Ecclesia præsidemus; at episcopus ad episcopatum refertur, igitur illa portio gregis, quæ vnicuiq; ascripta est, quam regat, & gubernet, sicut idem Cyprianus dixit, episcopatus eius est, ad quem suus episcopus tanquam pater ad suos filios, magister ad suos discipulos, & pastor ad suum gregē refertur. Sunt igitur in vna Ecclesia Catholica totidem episcopatus, quot episcopi; & totidem episcopi, quot episcopatus; deinde sicut multæ orationes vna sunt σωδέσμῳ, hoc est coniūctione, vt libro priore Peri hermen. tradit Arist. & vnū sunt,

Quomodo Cyprianus declaret, quid sit teneri à singulis in solidū partem episcopatus, qui vnus est.

De ratione in solidum reddendaà singulis episcopis.

Quomodo quot sunt episcopi, tot episcopatus esse necesse sit, ex quibus vnus episcopatus per cunctum orbem diffusus constat.

sunt, quæ vinculo quopiam continentur, vt fascis, sicut idem lib. 7. Metaphys. docet, sic omnes episcopatus cum in vnum cohærẽt, vnus episcopatus indiuisus sunt, qui ex suis partibus compositus est, totum autem re quidem non differt à partibus suis; sicut non differt re Syllaba à literis, ex quibus composita est; vt idem Arist. libro 7. Metaphys. tradit. differt tamen ratione; alia .n. est forma ba, & alia b. a. ba enim est forma coniuncta cum materia, quæ materia est a. b. sic alia ratio & forma est vnius Ecclesiæ Catholicæ, siue vnius episcopatus indiuisi; & alia singularum Ecclesiarũ, siue singulorum episcopatuum, ex quibus, tãquam ex materia vnus episcopatus componitur. Ipse verò vnus episcopatus forma est, qua dissoluta, vnus episcopatus indiuisus non manet; manent tamẽ episcopatus singuli, ex quibus ipse vnus episcopatus cõpositus erat. Cũ igitur aliquid aliud sit nõre, sed ratione vnus episcopatus, siue vna Ecclesia Catholica præter episcopatus, & Ecclesias, ex quib. constat, & episcopatus sit τὸ ὅλον, id est, eorum, quæ ad aliquid dicuntur, sequitur ipsum vnũ episcopatum vnius episcopi esse: & episcopatus singulos, singulorũ episcoporum esse. Quare cũ Cyprianus dixit Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, simul dixit, vnũ episcopum esse ipsius episcopatus, qui vnus est, & indiuisus; qui vnus non esset, nisi in eo esset vinculum quoddam, quo copulantur in vnum singuli episcopatus; id aũt vinculum est episcopus vnus, qui ipsi episcopatui, qui vnus & indiuisus est, præest, & eius forma est. In hoc vno episcopatu, vt est vnus totus, sicut vnus pastor est, & plures pastores esse non possunt, ita etiam vnus grex est, & non plures. hoc ipsum idem Cyprianus dixit in eodem libro de vnitate Ecclesiæ, vt antea exposui, postquam enim de vnico Petro dixerat, cui dominus dixit, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & post resurrectionem, Pasce oues meas, & à quo vt vnitatis origo inciperet, auctoritate sua disposuisse dixit; paulo post, monet, inquit, ipse in Euangelio suo, & docet dicẽs, Erit vnus grex, & vnus pastor. deinde subiũgit interroganter, & esse posse in loco aliquis existimat, aut multos pastores, aut plures greges? vno in loco dixit, id est, in ipso episcopatu, qui vnus est.

Quomodo differat inter se vnus episcopatus siue vna Ecclesia Catholica & omnes episcopatus, siue omnes Ecclesiæ Catholicæ, ex quibus ille vnus episcopatus, siue illa vna Ecclesia Catholica constat, & quibus exẽplis differentia ista demonstretur.

Quid sit, qđ Cyprianus interroganter dixit, & esse posse aliquis vno in loco existimat aut multos pastores; aut plures greges?

affirmat igitur Cyprianus totius episcopatus, qui vnus est, vnũ esse pastorem, & vnum gregem; partium verò suos particulares pastores, & particulares greges. Isti autem pastores partium nisi ad vnum caput referantur, inter eos ordo esse non potest, non enim est ordo inter æquales. Quare qui caput omnium episcoporum, & vnum principem pastorum in Ecclesia visibili à Christo constitutum tollunt, vt Protestantes faciunt, regnum Christi, quod secundum humanitatem de cælo regnat in terra, nolunt esse monarchiam, sed polyarchiam cum anarchia, quo nihil potest esse monstrosius; videre volunt polyarchas, non monarcham, Superintendentes dico acephalos, id est, capita sine capite. Tametsi ne capita quidem sunt, sicut nec Ecclesiæ, quas tenent; sed ita loquimur, vt tui iurisconsulti ædes dirutas, ædes vocant, sed tamen dirutas; & testamentum nullum, vocant testamentum, sed tamen nullum: & in scriptura sancta Israel etiam vocatur populus, qui vitulos aureos in Samaria colebat; & in Genesi filij quoque Dei appellantur non solum qui ex Enos oriundi non degenerarunt à virtute eius, & cognomẽto: sed qui degenerarũt, & ex genere Cain homicidæ, vxores φιλοσάρκως, id est, libidinosè duxerunt. Respondeo mihi Antoni, si vestri Superintendentes requirunt à suis, quibus præpositi sunt, obedientiam in ijs quæ pertinent ad animas, pro quibus eorum cura excubat, quare ipsi nolunt habere vnum primum, cui in ijs item quæ spiritualia sunt, ipsi obediant, vt sic obedientes, forma gregis fiant, & obedientiam, quam ab alijs postulant, ipsi alteri adhibeant? Venit tandem Antonius ad clausulam; & causam suam epilogo mendaciorum perorat. Quamobrem, *inquit*, cum perperam verba Christi exponas, cum ineptè de alijs Apostolis neges, quod de Petro affirmatur, denique cum falso addas in tua expositione, quod in ipso contextu non continetur, nempe de Petri successione quam Roman. Pontifici tribuis, concludimus, totum tuum istud argumentum esse plene sophisticum, ac nullius momenti, adeo vt sola negatione refelli potuerit. *Concludamus nos rursus, Cùm verba Christi Pasce oues meas, collatis*

Quomodo Protestãtes regnũ Christi in terra faciunt non monarchiã, sed polyarchiam cum anarchia, & videre volunt non monarchã, sed polyarchas qui sũt superintendentes acephali, id est, capita sine capite.

Quomodo superintendentes Protestantium, obedientiã quã ipsi ab alijs exigũt, nolunt ipsi vlli alij superintendenti præbere, vt fiant forma gregis in obedientia, quæ ad gubernandum potissima est.

Peroratio Antonij cũ epilogo mendaciorum.

latis alijs locis scripturæ, & ex ipsa circumstantia loci, & ex ipso contextu probauerim ad Petrum primo & singulariter pertinere, & ad alios Apostolos in Petro & per Petrum communiter, & Petri successionem secundum scripturã, & rationem necessariam diuinæ prouidentiæ, & testimonium Apostolicæ traditionis contineri in his verbis ostenderim; & Antonius dixerit tantum suo more & nihil probauerit, & sola negatione nostrum argumentum refellerit, q ipse dicit satis esse, concludimus meras nugas esse, & mere nugatorias cauillatiões, quas attulit. Pergit Antonius perorare, Retorqueamus igitur, *inquit*, tuum argumentum « hoc modo, Petrus iubetur pascere oues Christi, siquidẽ « ipsum amat; pascuntur autem oues Christi pura euange- « lij prædicatione, synceraque sacramentorum admini- « stratione, ac cæteris alijs rebus præstandis, quæ ad mini- « sterium Euangelicum pertinent, quas quidem Petrus fi- « delissimè executus est; at Episcopi Rom. ipsi se pascunt, « non oues Christi; immò ipsas oues, & quotquot purum « Euangelium profitentur, id est, Christum ipsum in suis « membris non oderũt tantum, sed etiam gladijs, & flam- « mis insectantur, ergo Romani Pontifices non sunt Petri « successores: nec enim Christum amãt, nec eius oues pa- « scunt, quod vtrumque fecit Petrus. *More tuo, sicut hactenus fecisti, falsum sumis, & non syllogizas; id est, peccas in materia, & forma. Petrus, inquis, iubetur pascere oues Christi, siquidem ipsum amat. Quis hoc tibi dedit? vbi probasti, in charitate Petri fundatam fuisse à Christo potestatẽ & curam pascendi oues eidem Petro mandatam? si nusquam probasti, quia neque probari potest, cur sumis ad retorquendum argumentum, vt dicis, quod nec à te probatum, nec à me concessum est? sic ne in Gymnasio tuo disputare didicisti? ego ex euangelio non super charitatem Petri, sed super petram fidei, sic enim beatus Chrysostomus Petrum vocat, fundatam esse Ecclesiam probaui; donecq; tu refellas, non est opus eadem repetere. Explicaui etiam, cur dominus prius percontatus fuerit Petrum, vtrum amaret eum, & quid Dominus illa*

Quomodo Antonius ad retorquendũ argumentum sumat, quæ nunquam probauit, neq; probari possunt.

per contatione tertiò iterata docere, & monere voluerit. Tu verò cum ais, Petrus iubetur pascere oues Christi, si quidē ipsum amat, causam mandandi Petro hoc munus pascendi, ad amorem Petri erga Christum retulisti, vt ex eo sequeretur secundū dogma tuum hæreticum, in quibus successoribus hæc causa, id est, amor cum fide non reperiretur, ius successionis ad eos non pertinere; sed sum-

Paralogismus Antonij propter ignorantiā elenchi.

psisti falsum, & per defectū, & ignorantiā elenchi captiosā ἀντίφασιν in schola sophistarū construxisti. Si quidem ἀντίφασις, id est, contradictio, siue redargutio ducens ad contradictionem, est, vt Aristot. tradit, eiusdem, & vnius non nominis, sed rei, & nominis non æquiuoci, sed vniuoci, & ex concessis necessario, & secundū idem, & ad idem, & similiter, & eodē tempore, &c. Quod autē assumpsisti, at Episcopi Romani nihil tale iam pridem fecerunt, sed pastoris pedo in regium sceptrum conuerso, ipsi se pascunt, non oues Christi, *Quia tu ex hoc, quod odio Pontificum finxisti, effectum putas, non esse pastores, amabo te, cum Dominus per Ezechielem cap. 34. malos pastores accusat, cur pastores vocat? an essent mali pastores, nisi pastores essent? minimè, non magis quā coriscus esset coriscus musicus, nisi esset coriscus; si pastores sunt, & à domino quāuis mali, tamen dicūtur pastores, ergo tam diu tu & ego oues sumus, quam diu illi pastores. Cur igitur, si quādo non sint pastores, quales esse oporteat, vis tu desinere esse, & es? id est illorū ouis, qualescunq; sint, modo fidē teneant, quā tu amisisti? si dominus licet malos pastores, nomine tamen & dignitate pastoris honorat, cur tu verbo Dei, & volūtati, ac iudicio, & sententiæ eius repugnas? cur pastorem tuū esse negas, quem Deus tandiu pastorem tuū esse affirmat, quandiu pastorem vocat? Rursus cum Pont. Rom. se & nō oues Christi pascere dicis, quia cū ouis alioqui sis, licet extra ouile aberres, pastorem tamē & iudicem tuū, de quo tot mala aut temerè audisti, aut credidisti, imò Christum ipsum, qui dat ecclesiæ pastores, iudicas, respōdet tibi B. Cyprianus pro Pontifice Rom. eisdem verbis, quibus pro se Florentio, siue Puppiano respondit libro 4. epistola 9. porro, inquit, etiā nunc in literis tuis animaduerto, eundē te adhuc esse, qui prius fueras, eadē te de nobis credere,*

Quō Antonius verbo Dei & volūtati, ac iudicio, & sentētiæ eius repugnet, cum negat pastores esse, quos credit malos pastores esse.

Quō Cyprianus pro Pontifice respondet Antonio eisdē verbis, quibus pro se respondit Puppiano.

credere, & in eo q̃ credideras, perseuerare; & ne forte claritatis & martyrij tui dignitas, nostra cõmunicatione maculetur, mores nostros diligenter inquirere, & posse Deũ iudicẽ, qui sacerdotes facit, te velle nõ dicã de me, (quãtus enim ego sum) sed de Dei & Christi iudicio iudicare, hoc esse in Deum nõ credere; hoc esse rebellem aduersus Christum & aduersus Euangelium eius existere. Vt cùm ille dicat, nonne duo passeres asse veneunt, & neuter eorũ cadit in terram, sine patris voluntate? & probet maiestas eius, & veritas, sine consensu, & permissu Dei etiã minora non fieri, tu existimes sacerdotes Dei sine conscientia eius in Ecclesia ordinari? nam credere, quod indigni & incesti sint, qui ordinantur, quid aliud est, quam contendere, quod non à Deo, neq; per Deum sacerdotes eius in Ecclesia constituantur? an putas esse maius de me meum, quam Dei testimonium? cùm Dominus ipse doceat, & dicat, testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat, eo quod vnusquisque vtique sibi faueat, ne contra se aliquis infesta & aduersa depromat; fides verò syncera sit veritatis, si in prædicationibus nostris alius sit prædicator ac testis. Si testimonium, inquit, dixero de me, testimonium meum non est verum. Alius enim est, qui testis est de me. Quod si ipse Dominus omnia postmodũ iudicaturus, noluit de testimonio suo sibi credi, sed maluit de iudicio ac testimonio Dei patris probari, quanto magis hoc seruos eius obseruare oportet, qui iudicio, ac testimonio Dei nõ probantur tantum, sed etiam gloriantur? Prævaluit autem apud te contra diuinam sententiam, & contra conscientiam nostram fidei suæ iuribus nixam inimicorum & malignorum commentum, quasi apud lapsos, & profanos, & extra Ecclesiam positos, de quorum pectoribus excesserit spiritus sanctus, esse aliud possit nisi mens praua, & fallax lingua, & odia venenata, & sacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis necesse est inueniatur, cùm dies iudicij venerit. Quod verò dixisti, sacerdotes humiles esse debere, quia & Dominus, & Apostoli humiles fuerunt, humilitatem meã & fratres omnes & gentiles optimè norunt, & diligunt; & tu quoq; noueras, ac diligebas, cum adhuc in Ecclesia esses, & mecum communicares. Quia tu etiam humilita-

tem

tem à pontifice Romano requiris, vt illi à Cypriano; ad crimen enim superbiæ pertinet, quod calumniaris pastoris pedum in sceptrum regium esse conuersum, respondemus, quod de se Cyprianus, humilitatem pontificis Romani norunt & diligunt omnes peregrini, Christiani, & Iudæi, & Gentiles, qui ad eum veniunt; & vestri Germani, cum huc aduentant, vident, si videre volunt, etsi nescio quàm libenter propter odium inueteratum, de ijs loquor, qui cum Ecclesia nostra non communicãt, qui inter nos latent. ijs enim Germanis, qui in Ecclesia nostra sunt, non credo fidem adhibebitis, si se testes esse humilitatis eius profiteantur, quia eos etiam odistis. Denique patres, & maiores vestri nouerũt & dilexerunt. Sed redeo ad epistolã Cypriani, quia dixerat à Deo se constitutum Episcopum, nec hoc, inquit, iacto, sed dolens profero, cum te iudicem Dei constituas, & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt, qui audit vos, me audit; & qui me audit, audit eum, qui me misit. Et qui reijcit vos, me reijcit; & eũ, qui me misit. Inde enim schismata & hæreses obortæ sunt, & oriũtur, dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Hoc dixit de Pontifice Romano. is enim, sicut in epistola ad Antonianum in libro 4. scripsit de Cornelio, primus est, & cum post primum secundus esse nõ posset, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est etiam, non secundus ille, sed nullus est. Hic superba Protestantium præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei, qui eum in Cathedra Petri collocauit, honoratus, indignus hominibus à Protestantibus, & eorum ministris iudicatur; inde enim vestra hæresis, & schisma ortum est, & perseuerat. Subiungit deinde idem Cyprianus, Quis enim est hic superbiæ tumor, quæ arrogãtia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem suam præpositos, & sacerdotes vocare? ac nisi apud te purgati fuerimus, & sententia tua absoluti, etiam sex annis neq; fraternitas habuerit episcopum, neque plebs præpositum, neque grex pastorem, neq; Christus antistitem? subueniat Puppianus, & sententiam

Quod Antonius calumniatur pedũ Pontificis Romani in sceptrũ regium esse conuersum, quia ad crimen superbiæ pertinet, respondetur ei, sicut Cyprianus respondit Puppiano.

Vnde ortus hæresum & schismatũ existat auctore Cypriano.

Qualis sit Protestantiũ præsumptio & superbia.

rentiam dicat; & in acceptum iudicium Dei & Christi referat; ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis accersitus est, sine spe salutis, & pacis exisse videatur &c. & paulo post, annue, inquit, aliquando, & dignare pronunciare de nobis, & episcopatum nostrum cognitionis tuæ victoria firmare, vt Deus & Christus eius agere tibi gratias possint, quòd per te sit antistes, & rector altari eorum, pariter & plebi restitutus. Si tam vehementer Cyprianus cum causam suam diceret, in eos scripsit, à quibus ipse alioqui episcopus eorum iudicabatur, quanto grauiora & vehementiora scripsisset in eos, qui episcopum primum iudicant, quod omne scelus, & impietatem superat, negant, cuius origine, & auctoritate vnitas Ecclesiæ continetur, si causam eius diceret? si iam pridem pontifices Romani sententia Antonij Sadeelis pastores esse desierunt, subueniat Antonius velut alter Puppianus, diceret Cyprianus, & sententiam dicat, & fretus auctoritate Protestantium pronunciet de Episcopo Romano episcopatum habere, ne Ecclesia Catholica per omnes mundi regiones & oras diffusa, quæ eum pro episcopo generali Petri successore semper habuit & habet, in errore fuisse, & esse videatur; vt Deus & Christus eius gratias ei agere possint; quòd per eum, & per Protestantes vnus grex & vnum ouile sit, sicut ipse promisit. Postremo quod in ista tua & te digna ἀντιφάσει captiosa & fallaci adiunxisti, quod pontifices Romani Christum ipsum in suis membris, non tantum oderunt, sed etiam gladijs, & flammis insectantur, & ideò non esse Petri successores, Respondet tibi pro pontifice August. quod ipse etiam Donatistis respondit, qui persecutionem, & crudelitatem Catholicis similiter obijciebāt: respondit, inquam, cum alias sæpe, tum in libro contra Donatistas post collationem, sic enim inscriptus est liber, aut non omnem persecutionem iniustam esse; aut non esse dicendam persecutionem, cum iusta esset. Sicut persecutio igitur Donatistarum, qui per schisma ab Ecclesia Catholica per cunctum orbem dilatata defecerunt, auctore Augustino iusta erat, sic persecutio Protestantiū, qui schisma fecerunt, vt Philippus Melanchthon in respons. ad articulos Bauaricæ Inquisit. libens confitetur, eiusdem Augustini testimonio

Quid Cyprianus diceret Antonio, si viueret, & causam pontificis ageret.

Quid respōdeat Augustinus pro pontifice Romano ijs, qui crudelitatē ei obijciunt, quia Ecclesia Catholica hæreticos punit.

iusta est, qui non magis laudem martyrũ merentur, cum in ea persecutione, quam ipsi vocant, vitam amittunt, quàm Donatistæ; martyrem enim, dixit B. Cyprianus, non pœna, sed causa facit; & Cyprianum secutus idem Augustin. in Psal. 33. nemo ergo, inquit, dicat, persecutionem patior; non ventilet pœnam, sed probet causam; ne si causam nõ probauerit, numeretur cum iniquis. Hactenus Augustin. & hactenus nos ad tuam sophisticam retorsionem argumenti. Cùm igitur, vt tandem concludamus, & peroremus, probatum sit à nobis, & locis alijs Euangelij collatis, & ex circumstantia loci, & proprietate sermonis, quod dictum est Petro, pasce oues meas, de vniuersis ouibus ecclesiæ Catholicæ, quæ vna est, accipiendum esse, dictumq; vni, & soli Petro tãquam primo, post quem, dum cathedram teneret, secundus esse non posset, in eoque dictum idem cæteris Apostolis & eorum successoribus secundum mensuram & regulam eorum, cumque hoc ipsum Apostolica traditio prædicet, cuius testes sunt omnes ecclesiæ cuncti orbis, quæ partes vnius ecclesiæ Catholicæ censentur; ac cum ad testimonia omniũ sanctorum Patrum de hac sententia consentientium, postremo accesserit testimonium Cypriani à te Antoni productum, quo dum causam vincere voluisti, victus es, cumq; ratio diuinæ prouidentiæ penitus requirat, vt non solùm, dum Petrus & alij Apostoli viuerent, tantisper principatum vnius, qui secundum naturam, & scripturã ex omni genere gubernationis optimus, & perfectissimus est, Christus in Ecclesia sua, quæ est regnum eius, esse voluerit, sed semper deinceps vsq; ad sæculi consummationem, Cumq; omnes Antonianas cauillationes redarguerim, & repugnantiæ, ac captionis, & fallaciæ plenas esse demonstrauerim, denique cum nihil aliud Antonio relictum sit, nisi negare tantũ veritatem, scripturas suo sensu interpretari, suo iudicio proprio cõdemnatum esse, quia in quo damnaretur, elegit, superest, vt secũdum Tertulliani præscriptiones non sit cum eo amplius disputandum, sed vitandum ab omnibus Catholicis, donec à Domino in iudicium ad tribunal eius, qua hora non putat, rapiatur.

Liber ſecundus huius defenſionis propediem quoque prodibit.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Typis Godefridi Kempenſis.
ANNO M. D. LXXX.